





INSTITUTIONES THEOLOGIÆ MORALIS

AB

JLLUSTRI ADMODUM REVERENDO DOMINO

ANDREA POHL

IN TOTO ROSSIACO IMPERIO PRÆSBYTERORUM SÆCULARIUM CONGREGATIONIS MISSIONIS VISITATORE

CONSCRIPTÆ

ET

Ad usum, atque commodum Ecclesiasticorum Virorum

TYPIS IMPRESSÆ

p. Aegidius Siennicki O.S.M.

TOMUS II.

Comparavit pr: fl: 10.

VILNÆ IN LITVANIA

Ad Domum Congr: Miss: Montis SS. Salvatoris

Anno 1810.

E L E N C H U S

Eorum, quæ in hoc opere continentur.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS

Q. 8.

TRACTATUS DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET MISSÆ SACRIFICIO.

Q. 6.

Q. 2.

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

 catum

Q. 7.

 Q. 9.

Q. 5.

TRA-

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

Q. 4.

TRACTATUS DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Q. 13.

Q. 4.

TRACTATUS DE INDULGENTIIS, BENEFICIIS, ET SIMONIA.

ARTI

Quæ-

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS

ARTI-



TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

Sacramenti nomen à Sacro derivatur, quia ad rem sacram, ordinem, ac relationem habet. Varie autem in Sacra Scriptura ſumitur, tum pro re latente & secreta, ut Tobiæ Cap: 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est:* tum pro mystico rei occultæ signo, quemadmodum Apocalipsis Cap: 17. inquit Angelus ad Joannem: *Dicam tibi sacramentum mulieris*, hoc est rem secretam, quæ per mulierem designatur, & sic hic etiam nomen Sacramenti ſumitur, scilicet pro signo rei latentis, & occultæ.

CAPUT PRIMUM

De natura, & ministro Sacramentorum.

ARTICULUS 1mus

De natura Sacramentorum.

Quæres 1mo? Quid sit Sacramentum?

Resp: Sacramentum generice ſumptum, prout respicit Sacramenta novæ & antiquæ legis, est signum sensibile gratiæ sanctificantis, permanenter à Deo institutum, quia & Sacramenta antiquæ legis præter ſui ſpeciem, aliud quidpiam denotabant exg. circumcisio corporis, ſpiritualem cordis præcisionem, paſsionum refrenationem significabat, & eo usque ex divina institutione duratura erant, quousque ſubsisteret lex Moysis, atque primario à Deo

instituta ſunt, ut gratiam sanctificantem in ſuscipiente quoquomodo parerent.

Sacramentum vero ſpecifice consideratum, prout concernit Sacramenta novæ legis, *est signum ſensibile à Christo permanenter institutum, ad significandam, & producendam in homine gratiam sanctificantem.*

Septem autem ſunt à Christo Sacramenta instituta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. Permanenter vero ſunt instituta, hoc est lege stabili, & immutabili, unde perseveratura ſunt usque ad finem sæculi, omniaque, præter exteriorem ritum, qui signi rationem habet, gratiam Spiritus Sancti & significant, & eam homini conferunt, atque in anima ipsius, vi, ac efficacia à Christo sibi indita producunt.

Quæres 2do: Quibus Sacramenta perficiuntur?

Resp: Sacramenta eſsentialiter tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid deest, non perficitur Sacramentum. Ita Concil: Flor. in Decreto de Sacramentis. Unde quodlibet novæ legis Sacramentum ſuam habet formam & materiam, atque Ministrum ad illud conficiendum à Christo deputatum, ut constat ex Concilio Trident: quod, ſuam cuique Sacramento aſsignat materiam & formam, atque Ministrum.

Quæres 3tio: Quid sit materia, & forma Sacramenti?

Resp: Materia est res, quæ ad conficiendum Sacramentum usurpatur vg. aqua ad baptismum, panis, & vinum ad Eucharistiam. In nonnullis tamen Sacramentis loco rei sensibilis, actus hominis ſunt materia eorum, sic in Confirmatione, & Ordine impositio manuum, in Pænitentia Confeſsio, Contritio exterius significata, & satiſfactio. Materia autem Sacramenti duplex est, videlicet proxima, & remota. Materia *remota* est ipsa res quæ ad conficiendum Sacramentum adhibetur vg. aqua in Baptismo, oleum infirmorum in Extrema unctione. Materia *proxima* est usus, & applicatio ipsius rei ad conficiendum Sacramentum usurpari solitæ: vg. ablutio, quæ in Baptismate aqua fieri solet, unctio quæ in Extrema unctione oleo peragitur.

Forma Sacramenti ſunt verba, quæ ex Christi institutione ad conficiendum Sacramentum adhibentur, vg. in

In Baptismo. *Ego te Baptiso*, in Pænitentia: *Ego te absolvo.*

Quæres 4to: Quomodo in Sacramentis materia, & forma sibi debeant coexistere, seu quæ debeat esse utriusque simultas, atque unio?

Resp: Requiritur, & sufficit simultas, & unio moralis. Unde ad valorem Sacramenti necesse est, ut materia & forma simul moraliter ponantur, & secum invicem uniantur. Quia in composito morali, sufficit partium unio moralis. Porro Sacramentum est compositum morale, quod materia & forma tanquam partibus constat. Ergo sufficit ut illæ moraliter secum uniantur, & consocientur. Unde si quis peracta ablutione, statim proferat verba: *Ego te baptiso* valet Sacramentum. Equidem forma ista: *Ego baptiso te* & aliæ similes tempus præsens indicant, sed sua est hujus temporis latitudo, ita ut moraliter dicatur, nunc actu fieri quod immediate antea factum est, vel immediate post, fiet. Quapropter etiam nihil ad substantiam Sacramenti refert, an forma præcedat, an materia, postulat tamen utcunque ordo, & analogia, ut materiam sequatur forma, quia forma materiam de se indifferentem ad rationem Sacramenti determinat.

Verum hæc simultas moralis materiæ & formæ in aliis Sacramentis strictius sumenda est, in aliis latius, quia formæ Baptismi, Confirmationis, Ordinis, Extremæ unctionis, longe breviori intervallo à materia dividi possunt, quam formæ seu Pænitentiæ, seu Matrimonii. In baptismo enim si quis infantem abluerit, & post unum *Pater* & *Ave* dicat *baptiso te* mentiri censebitur, quia verbum *baptiso* rem præsentem, aut quasi præsentem exigit, ut verificetur. Aliud est de Pænitentia, ac Matrimonio, quorum formæ à materia plus sejungi possunt. Ceterum etsi in his Sacramentis physica materiæ, & formæ simultas non est de necessitate Sacramenti; est tamen de ministerii congruitate, tum ut serventur præscripta Ritualium, tum ut occurratur scrupulis, & consulatur certitudini Sacramentorum. Potest enim facile fieri, ut quæ brevis judicatur distantia, ac interruptio, sit reipsa longior.

Ab his excipitur Sacramentum Eucharistiæ in quo materiæ & formæ simultas physica requiritur, quia pronomina *Hoc*, *Hic*, quæ consecrationis formam ingrediuntur, verificari non possunt, nisi materia sit physice præsens.

Quæres 5to: Utrum mutatio formæ, ac materiæ obsit validitati Sacramenti?

Resp. Materia Sacramenti mutari potest vel *substantialitér*, cum ex communi hominum judicio non censetur eadem esse, cum ea, quam Christus instituit, sive spectando, speciem physicam, sive speciem moralem, idest secundum communem usum considerando; vel *accidentaliter*, cum etsi in nonnullis discrepat ab ea, quam Christus instituit, ejusdem tamen manet cum illa rationis. Pari ratione forma Sacramenti mutatur *substantialiter*, cum non idem remanet verborum sensus, quæ Christus ad conficiendum Sacramentum præscripsit, vel *accidentaliter* tantum, cum idem remanet verborum sensus, licetsi parum ipsa immutentur.

Itaque mutatio substantialis materiæ aut formæ, obest validitati Sacramenti, illudque perimit, non vero mutatio accidentalis. Quia mutatio substantialis sive materiæ, sive formæ, ipsam materiam ac formam tollit, quæ sunt partes Sacramenti essentiales, & sine quibus Sacramentum subsistere nequit: mutatio vero accidentalis materiæ, aut formæ, quoniam materiam ac formam relinquit integras, integrum etiam manet Sacramentum. Attamen aliquando mutatio materiæ, aut formæ videri potest accidentalis, quæ spectata Christi institutione reipsa substantialis est. Sic licet idem videatur esse, baptisare in nomine Ss. Trinitatis, ac baptisare in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, haud tamen valet baptisma priori modo collatum, quia Christus pro baptismi forma instituit, expressam, & distinctam trium personarum Ssmæ Trinitatis invocationem. Hinc etiam colligendum est *1mo*: Eum qui glacie ad baptisandum uteretur, aut triticea massa cruda ad Eucharistiam conficiendam, invalide utrumque Sacramentum conficere, quia etsi glacies ab aqua, massa cruda, à cocta, quæ panis est, non differant specie physica, differunt tamen specie morali, & secundum communem hominum sensum, hæc autem species moralis potissimum attenditur in Sacramentis quæ entia moralia sunt. *2do.* Non stare Sacramentum si materia ejus, eo usque alteretur ac immutetur, ut desinat moraliter id esse, quod ante fuit. Sic qui consecrando vino tantum immiscet aquæ, ut jam usuale vinum reputari nequeat, subvertit materiam Consecrationis, quæ in vero ac usuali vino perfici debet.

Quæ-

Quæres 6to: Quot modis in formam mutatio invehi possit?

Resp: Sex modis in forma mutatio contingere potest, unde isti duo prodierunt versus:

Nihil formæ demas, nihil addes, nihil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Itaque forma immutatur *1mo:* verbi alicujus subtractione, eaque subtractio Sacramentum perimit, si sensum formæ subvertit, non perimit Sacramentum si idem formæ maneat sensus. Unde si quis in baptismo demat vocem *Baptiso te* non stabit Baptismus, sicut nec Pænitentia si dicat solum *absolvo* & amittat *te*: quia Baptismus, & absolutio ordinantur ad certam personam, nisi ergo hæc exprimatur, ruit Sacramentum. Si vero in Baptismo dematur solum vox *ego*: vel in Eucharistiæ consecratione particula *enim*: nihil decedet utrique Sacramento, quia tunc formæ sensus subsistet.

2do: Mutatur forma additione extraneæ vocis unius, aut alterius, & tunc quoque valet, aut deficit Sacramentum, prout additio hæc sensum formæ immutat, aut eum non transvertit. Unde non conficiet Baptismum siquis dicat: *Baptiso te in nomine Dei increati, & Filii creati.* aut etiam: *Baptiso te in nomine Patris maioris, & Filii minoris,* quia sic immutatur sensus formæ, tolliturque æqualitas divinarum Personarum, quæ naturali formæ sensu exprimitur, & designatur. Pariter nullum erit baptisma, si quis dixerit: *Baptiso te in nomine Patris, & B. Mariæ, & Filii, & Spiritus Sancti:* quia sic conferri censeretur Baptismus, æque in nomine Mariæ, ac in nomine Patris, & Filii, quod formæ baptismali & ipsius institutioni adversatur. Non subvertitur autem Sacramentum si quidpiam formæ addatur, quod sensum ipsius non destruit, vg. si quis dicat: *Ego te baptiso in nomine Patris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Paraclet:* item: siquis Eucharistiam his consecret verbis: *Hoc est corpus meum, pro humano genere crucifixum*, secus si hac forma aliquis utatur: *Hoc est corpus meum aereum, cœleste,* quia voces *aereum, cœleste*, immutant sensum formæ, & hanc vocem *corpus*, à propria & vera significatione, ad alienum, & sinistrum detorquent sensum: maxime si adjungantur formæ tamquam determinativa ipsius, ita ut ex primaria loquentis intentione, præcedentia verba, per-

sub-

ſubsequentia restringantur. Quamquam enim certum sit, nullo prorsus interiori errore violari poſse veritatem Sacramenti, quod legitimo ritu perficitur, constat tamen non perfici Sacramentum à Ministro, qui errorem, vel alienum, ac perversum ritum inducere vult, cum ex hac prava illius intentione ſensus formæ determinatur ad ſensum, ſensui illius naturali, & totius Ecclesiæ, contrarium. Hinc Zacharias Papa consultus de Sacerdote, qui latini ſermonis nescius, infringens lingvam dicebat: *Baptiso te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta.* respondit: *Si ille qui baptisavit, non errorem introducens, aut hæresim, ſed pro sola ignorantia romanæ locutionis, sic dixerit, non poſsumus consentire, ut denuo baptisentur.* Quodsi etiam Minister erret circa significationem vocis, ac termini Sacramentalis, vg. si falso existimet voculam *hic*, in consecratione Calicis eſse adverbium locale, cum sit indicativum ac demonstrativum, nihil hinc deperit Sacramento, quia Minister cum ſupponatur veram habere intentionem faciendi id, quod instituit Christus, vult etiam per verba formæ significare id, quod Christus significari voluit, etiamsi illud male concipiat.

3tio: Mutatur forma, per variationem vocum. Si ergo voces varientur tantum, quo ad idioma, stabit Sacramentum, unde valet Baptisma, ſeu latine, ſeu polonice, aut germanice proferatur ejus forma. Stabit etiam Sacramentum, si pro voce adhiberi ſolita, vox ſynonyma usurpetur.. Unde si quis pro *absolvo te*, dicat: *Remitto tibi peccata tua*, vel pro vocibus: *Hoc est corpus meum*, dicat. *Istud est corpus meum.* Sacramentum perficitur. Denique sive cum Latinis absoluta verba usurpentur in forma Pænitentiæ. *Absolvo te*: sive cum Græcis depræcativa, *Absolvatur*: Sacramentum non periclitabitur, quia utrobique idem est, quoad ſubstantiam verborum, ſensus. At vero si variatio vocum ſensum formæ immutet, tunc tollitur ratio Sacramenti. Hinc si quis in Pænitentia dicat *Abluo te à peccatis*, aut in Baptismo *Mundo te ab originali culpa.* Sacramentum non conficietur, quia hac verborum variatione ſensus nativus formarum immutatur. Forma siquidem Penitentiæ consveta. *Absolvo te à peccatis* denotat juridice remitti peccata, quod non fit à peccatis abluendo, ac proinde verba illa *Abluo te à peccatis* istud non significant. Forma etiam baptismi consveta. *Baptiso te* lotionem, ablutionem, proprie dictam denotat, unde aqua fieri debet. Mundari vero quis à ſordibus potest,

quin

quin aqua lavetur. Ergo illa verba *Mundo te ab originali culpa* alium plane habent ſensum quam illa. *Baptiso te:* quoniam igitur per talem vocum variationem, formæ ſenſus immutatur, Sacramentum non ſubsistit.

4to: Mutatur forma transpositione verborum, quæ cum ſensum aufert, Sacramentum etiam tollit, alias Sacramentum in ſua ratione ſubsistit. Unde valet Baptismus ſub hac forma collatus: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ego te baptiso.* Valet & hæc Eucharistiæ consecratio: *Hoc est meum Corpus. Hic est ſangvinis mei calix.* Non valet vero ista consecrationis forma: *Meum est hoc corpus*, quia prima dicendi ratio ſervat ſensum formæ à Christo institutæ, ſecunda illum corrumpit, qui enim dicit: *Meum est hoc corpus*, illud non efficit, ſed indicat corpus, quod jam eſse ſupponitur, Christi eſse, & ad eum pertinere, qui vero dicit: *Hoc est corpus meum*, illud efficit, & indicat id quod manibus tenet, & nondum est corpus Christi, illico fieri corpus Christi.

5to: Mutatur forma per corruptionem terminorum, & illorum inversionem, quæ si tanta sit, ut verborum ſensum destruat, ruit Sacramentum, ut si quis dicat: *Baptiso te in nomine Matris* (loco Patris) *& Filii, & Spiritus Sancti.* Si autem corruptio & inversio vocum, non noceat eorum usuali significationi, & error nonnisi sit in terminatione pronuntiationis, non deficiet Sacramentum ut patet in Baptismo collato: *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta.*

6to: Mutari tandem potest formæ ſensus, per interruptionem, qua tollitur moralis continuitas ſermonis, & interumpitur intentio Ministri. Unde si quis post prolata hæc verba: *Ego te baptiso in nomine Patris*, ad aliud ſe convertat, & tamdiu perduret, ut posteriora verba cum prioribus moraliter non connectantur, Sacramentum efficietur tanto incertius, quanto fuerit prolixior mora, ſecus si baptisans tuſsitando, silentium aliis imperando, formam interrumpat.

Quæres 7mo: Utrum peccet qui materiam, aut formam Sacramenti immutat?

Resp: Qui materiam, aut formam cujuslibet Sacramenti ſubstantialiter immutat, mortaliter peccat. Quia & gravem Sacramento injuriam irrogat, & grave ſuscipienti infert damnum, cum per hoc nullum reddat Sacramentum, illudque irritum faciat.

Sed etiam mortaliter peccat, qui materiam, aut for-

mam Sacramenti immutat accidentaliter ſolum, si mutatio hæc sit notabilis, præcepto Ecclesiæ, consvetudini, ac præscriptis ejus graviter contraria. Unde graviter peccat Græcus qui consecrat in Azymo pane, latinus qui in fermentato, aut qui lingva vulgari Eucharistiam conficeret. Quodsi mutatio accidentalis, levis & modica sit, atque in iis contingat, quæ non ſunt graviter ab Ecclesia præscripta, ac præcepta, erit ſolum peccatum veniale.

Quæres 8vo: Utrum in conficiendis Sacramentis liceat uti materia, aut forma dubia?

Resp: Si quis extra neceſsitatem conficiet aliquod Sacramentum in materia aut cum forma dubia, peccat mortaliter: quia ſine gravi causa periculo nullitatis Sacramentum exponit, unde & Sacramentum profanat, & ſuscipientem damnificat. Quare extra gravem neceſsitatem tenetur Minister Sacramentorum, in iis conferendis ſemper adhibere materiam ac formam, certam, & indubitatam, alias peccat mortaliter, quia exponit Sacramentum periculo nullitatis, profanationis. Hinc Innocentius XImus ſequentem damnavit propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* In neceſsitate autem extrema licet administrare Sacramenta, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis in materia etiam dubia, ac probabili tantum, dum certa haberi nequit, ſemper tamen eam adhibendo quæ probabilior, & tutior haberi potest. Nam in extrema neceſsitate, ſuccurrendum est proximo omni meliori modo, qui occurrere potest, medium autem dubium, ac probabile ſolum melius est quam nullum. Ergo illud adhibendum est. Neque tunc quidquam peccatur contra Sacramentum, quia cum Christus Sacramenta instituerit propter homines, magis providere debemus ſaluti hominis, ejusque ſecuritati, quam integritati Sacramenti. Porro hoc locum habet dumtaxat in Sacramentis, quæ ſunt ad ſalutem neceſsaria, neceſsitate medii, qualia ſunt Baptismus, & Pænitentia, respectu siquidem eorum tantum potest occurrere extrema hominis neceſsitas. Unde dum periclitatur infans etiam maxime dubia materia ad eum baptisandum arripienda est, dum moribundus dubia tantum pænitentiæ ostendit signa, absolvi debet. Sed præter Baptismi & Pænitentiæ Sacramenta, alia, in materia, aut forma dubia, ac incerta conficere, illicitum ac graviter peccaminosum est, quia respectu illorum extrema neceſsitas occurrere nequit, cum non sint ad ſalutem neceſsaria neceſsitate medii.

Quæ-

Quæres 9no: An liceat ſupra eandem materiam repetere formam Sacramenti?

Resp: Non licet, niſi dubium sit rationabile de validitate jam ſemel prolatæ formæ, vel utrum prolata fuerit: prudens occurat ſuſpicio. Quia alias frustra, & sine ratione altera adhiberetur forma, cum irreverentia Sacramenti. Quodsi tale dubium adsit, debet forma iterari ſub conditione, ne Sacramentum maneat irritum. Dubium autem imprudens, quale eſse ſolet in ſcrupulosis, non ſufficit ad repetendam formam, ſed contemnendum est. Mortale autem est, formam Sacramenti ſupra eandem materiam sine rationabili neceſsitate repetere, quia inutiliter iterato profertur, atque sic Sacramento gravis irreverentia irrogatur.

ARTICULUS 2dus

De Ministro Sacramentorum.

Quæres 1mo: Quis sit Minister Sacramentorum?

Resp: Minister Sacramenti is est, qui Sacramentum efficit, baptisat, Eucharistiam consecrat, in Pænitentia confitentem peccata ſua absolvit. Porro ſolus homo ratione utens est Minister Sacramentorum. Quia Sacramenta conficiuntur actione humana, agere vero humano modo ſolus ratione utens homo potest. Ergo ſolus homo ratione utens est Sacramentorum Minister. Certe Christus ſolis hominibus dedit potestatem baptisandi, peccata dimittendi, atque in ſui memoriam faciendi Corpus, & ſanguinem ſuum consecrandi. Soli itaque homines ratione utentes conficere poſsunt Sacramenta, & illorum ſunt Ministri. Non tamen quilibet homo cujuslibet Sacramenti Minister eſse potest, quia Laici præter Baptismum, alia Sacramenta conficere nequeunt. Sed duplex est Sacramentorum Minister: ordinarius ſcilicet & extraordinarius. *Ordinarius* est ille, qui ex officio Sacramenta conficit, & dicitur minister ſollemnitatis. *Extraordinarius* ſeu necessitatis, qui in defectu ministri ordinarii, exigente necessitate Sacramenta conficit. Prior Sacramenta conficit, quia ad id ſpecialiter consecratus, & ab Ecclesia deputatus est, posterior autem nonnisi in defectu & absentia prioris Sacramenta conficit, aut administrat, veluti cum obstetrix absente Sacerdote infantem baptisat. Ministri autem

tem Sacramentorum ordinarii vel sunt *expositi* vg. actu Eucharistiam distribuunt, in Confesionali sedent, Confessores exeipiendo, vel sunt nonnisi parati, qui si rogentur, statim Sacramenta petentibus conferrent.

Quæres 2do: Utrum ad valorem Sacramenti requiratur in Ministro fides & sanctitas?

Resp: Ad valorem Sacramenti, neque vera fides, neque pura sanctitas in Ministro requiritur. Unde hæresi infecti, improbitate corrupti Ministri, valide conficiunt Sacramenta, dummodo ritu à Christo instituto illa perficiant. Quia Christus est principalis effector Sacramentorum, Minister vero nonnisi instrumentum, quo ipse ad ea conficienda utitur, pravæ itaque Ministri affectiones, ac cordis perversitates, valori Sacramenti obelse non debent. Certe Sacramentorum valor consistit in ritu externo à Christo præscripto, hic si à legitimo Ministro quisquis ille fuerit, ponatur, semper valet Sacramentum. Valor itaque Sacramentorum non dependet neque à fide, neque à pietate Ministri. Unde non solum Hæreticus, sed & Judæus, Paganus valide possunt baptisare. Sacerdos hæresi infectus valide Eucharistiam potest consecrare, in extrema necessitate, moribundum videlicet absolvere.

Quæres 3tio: Utrum peccet Minister improbus Sacramenta conficiendo?

Resp: 1mo: Qui in statu peccati mortalis, ex officio Sacramenta conficit, vel illa administrat, peccat mortaliter. Quia qui conficit, aut administrat Sacramenta, induit personam Christi, fit cum eo unum totale agens, ac demum merita ejus dispensat, res sacratissimas tractat, mysteria ineffabilia perficit. Graviter autem peccat, qui peccati mortalis reus, & diaboli mancipium existens, hæc & tanta præstare, & efficere audet. Peccat ergo mortaliter, qui peccati mortalis reus, ex officio Sacramenta conficit aut administrat. Certe S. Paulus Epist: ad Titum Cap: 1. dispensatores mysteriorum Dei admonet, ut sine crimine sint. Unde Ritnale Romanum inquit: *Impure & indigne Sacramenta ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt*, quare statim præscribit: *Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.*

2do: Qui etiam non ex officio, sed ex necessitate in statu peccati mortalis Sacramenta administrat, aut ea conficit,

ficit, peccat mortaliter. Quia ſemper, ubique & à quolibet ſancta ſancte tractanda ſunt. Sacramenta autem, à quocunque sive ex officio, sive ex neceſsitate conficiantur, administrentur, ſacratiſsima ſunt, ſancte ergo tractanda ſunt, ſcelere, & impietate ea conficientis, ac ministrantis pollui, & coinquinari non debent. Certe si ad Sacerdotes antiquæ legis dictum est Levit: Cap: 22. *Omnis qui acceſſerit de stirpe vestra, ad ea quæ consecrata ſunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Quanto ergo; ut inquit Paulus Epist: ad Hebr: Cap: 10. deteriora meretur ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſangvinem testamenti pollutum duxerit, quod faciunt illi, qui indigne, peccati mortalia rei, ſanctiſsima Sacramentorum tractant mysteria.

Hinc Sacerdos etiam simplex, nullo officio ad administranda Sacramenta obstrictus, qui peccati mortalis reus, licet in casu neceſsitatis, baptisat, Confeſsiones excipit, Eucharistiam administrat, pro numero Sacramentorum, peccata multiplicat mortalia. Magis tamen & gravius peccat, qui hæc ex officio, & munere facit vg. Parochus, Vicarius, Capellanus. Sed & Laicus exg. obstetrix quæ ingruente neceſsitate infantem baptisat, graviter peccat, si id in peccato mortali faciat.

Sed præter Sacramenta, eorum administrationem, aut confectionem, ſunt & alia ſacra officia, ac munia, quæ si in peccato mortali exerceantur, peccatum mortale inducunt, veluti 1. si quis cum ſacra Eucharistia proceſsionem peragat, populo benedicat, eam tangat, in Choro Divinis Laudibus præsit. 2. si Diaconus, Subdiaconus in peccato mortali officia ſua exerceant, quia ſacrum officium indigne pertractant. Unde S. Thomas in 4. dist: 24. art: 3. quæst: 5. inquit: *Quicunque cum peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat, unde patet, quod mortaliter peccet.* Aliud est de Clericis minoribus, quia eorum munia non tam ſacra reputantur, unde etiam hodie à Laicis ſæpe exercentur. Veri simile tamen est, & Clericus qui minores ordines, & Sacerdotes, qui Sacramentalia vg. benedictiones, aquæ, cinerum, imaginum, in statu peccati mortalis exercent, peccare venialiter, quia aliquatenus ſua profanant munera.

Quæres 4to: Quid facto opus sit ei, qui reus est peccati mortalis & interim urget neceſsitas administrandi Sacramenta?

Resp: Rituale Romanum, juſsu Pauli 5ti editum, id

docet

docet & præscribit, scilicet, si habeat copiam Confessarii & temporis, locique ratio permittat, debet prius confiteri, antequam ad administranda Sacramenta accedat, quodsi urgeat necessitas & copia Confessarii desit, aut etiam ratio temporis non permittat ut prius confiteatur, saltem debet prius actum contritionis elicere, & corde pænitere. Hæc facere si pertermiserit, peccat mortaliter. Excusari tamen potest à peccato, ob repentinam & inopinatam necessitatem ita urgentem, ut non relinquat spatium eliciendæ contritionis, ut si sit periculum nequis moriatur sine baptismo, vel sine absolutione, dum Sacerdos occuparetur in eliciendo actu contritionis, quare cavendum est Sacerdoti in hoc perplexitatis statu constituto, ne dum contritionem in se accendere conatur, infanti periclitanti, aut etiam adulto moribundo desit. Circa hunc tamen necessitatis casum duo notanda sunt. 1. immunem à peccato non fore illum qui necessitatem hanc prævidere potuit, ut prævidere possunt, & debent qui in amplis Pareciis Nosocomiis, aut exercitibus ministrant. 2. extra casus seu pueruli animam agentis, seu hominis ex alto decidentis, qui transeuntem Sacerdotem mire perturbant, rarum esse, ut quis ad eliciendum contritionis actum impotens sit.

Quæres 5to: Utrum liceat à malo Ministro Sacramenta recipere?

Resp: Hæc quæstio movetur de Ministro, quem certo moraliter constat esse in malo statu, quia in consvetudine gravis peccati, vel in proxima illius occasione versatur, ut si Parochus, aut alius quispiam Sacedos ebriestati, vel impudicitiæ deserviat, alioqui enim Minister debet præsumi bonus, quia charitas non cogitat malum. Unde ut ab alicujus Sacerdotis ministerio quis abstineat, non sufficit, communiter loquendo, ut sciat recenter ab eo grave commissum fuisse peccatum, adhuc enim præsumi potest, maxime si ad administranda Sacramenta sponte præsto sit, id quod sui muneris erat, fecisse, ut Deo reconciliaretur.

Jam vero qui Sacramenta postulant, vel sunt in extrema necessitate, ut si petatur Baptismus pro infante moriturо, vel in necessitate non extrema quidem, sed aut gravi, ut cum urget annuæ Confessionis præceptum, aut levi, ut cum quis vult Eucharistiam sumere intuitu cujusdam festi solemnis, indulgentiæque plenariæ.

Itaque *1mo* graviter ille peccat, qui petit Sacramenta à Ministro, qui illa conficiendi potestatem non habet, quia

quia tunc nullitati exponitur Sacramentum, ac proinde Sacrilegium immane perpetratur: ut si quis ab alieno Sacerdote, non à proprio Parocho exigat Matrimonii benedictionem, vel Confeſsionis auditionem, absolutionemque ab eo, qui ad Confeſsiones audiendas non est approbatus. Pariter nefas est exquirere Sacramenta à malo Ministro, sive exposito, sive parato, vel etiam à proprio Parocho, quoties ea cum eodem fructu â bono recipi poſsunt. Quia charitas exigit ne cuipiam gratis præbeatur occasio peccati. Hinc è duobus Ministris, quorum alterius ſanctitas, legitime dubia est, ille præferri debet, de quo nihil est dubii.

2do: In casu extremæ neceſsitatis licitum est recipere Baptismum à malo Ministro, etiamsi ille foret excommunicatus, denuntiatus, quia in tali casu ob penuriam legitimi Ministri, etiam ab Hæretico, Judæo, vel Pagano baptismum petere licitum est. Neque etiam dubium est, quin â Ministro hæresi infecto, & præciso recipi poſsit Pænitentia & Eucharistia in periculo mortis, quia Pænitentia & ſacrum viaticum graviter ad ſalutem ſunt neceſsaria iis, qui ex hac vita transituri ſunt. Imo urget tunc Divina lex ea recipiendi, cum ex parte recipientis inculpate recipi potest.

3tio: Etiamsi extrema desit, modo tamen ſufficiens adsit neceſsitas, licet â malo Ministro Sacramenta petere, quia tunc non petitur nisi id, quod alter licite & sine peccato facere potest, & cujus petendi justa adest causa, atque ſufficiens neceſsitas. Hæc vero neceſsitas aliquando gravior, aliquando minus gravis eſse debet. Namque cæteris paribus minor requiritur causa, ut à proprio Parocho petantur Sacramenta, quam ut ab extraneo Sacerdote, minor ut ab extraneo Sacerdote, ad Sacramenta ministranda exposito, quam ut â parato tantum postulentur. In hac enim, & aliis id genus materiis, eo quisque ſecurius declinat à peccato, quo plus juris habet ad petendum id, quod petit, & minus alium peccato exponit. Porro multo plus quisque juris habet ut sibi Sacramenta ministrentur à proprio Parocho, quam ab alieno Sacerdote. Minus quoque obijcitur peccato, qui expositus est ad ministranda Sacramenta, quam qui ad ea conficienda nonnisi paratus est.

Ceterum licet neceſsitas, quæ hic â peccato excusare potest, non consistit in indivisibili, haud tamen ſufficit quævis, etiam levis, & modica, ſed ea requiritur,

quæ

quæ injuriam Deo per peccaminosam Sacramenti administrationem à malo Ministro illatam utcunque compenset. Quare ob ſpiritualem fructum qui differri potest, fas non est etiam à proprio Paracho, qui improbus est Sacramenta exigere. Aliud est si ex eorum dilatione immineat periculum lapsus in aliquod grave peccatum, si gravis momenti indulgentiam vg. Jubilæum, quod difficile reddit, lucrari aliter nequeat, aut si diu in peccato mortali permanere debeat nisi malo confiteatur Ministro.

Quæres 6to: In ministro Sacramenta conficiente requiriturne intentio?

Resp: Certum & indubitatum est in Ministro Sacramenta conficiente omnino intentionem requiri, quia Concilium Florentinum docet Sacramentum quodvis tribus constare: materia, videlicet, forma & Ministro cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non stabit Sacramentum. Et Concilium Tridentinum Seſs: 7. Can: 11. hoc expreſse definivit his verbis: *Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Porro intentio est actus voluntatis deliberatus quidpiam facere sibi proponentis, ac statuentis. Sed multiplex est intentio. Et quidem 1. alia est explicita, alia implicita. *Explicita*, qua quis expreſse, & explicite aliquid indendit, ut si Sacerdos baptisans, ſpiritualem infantis generationem in se & expreſse intendat, ac velit. *Implicita*, qua quis aliquid non in ſe, ſed in alio indendit, ut cum quis infantem baptisat, licet de charactere, qui per baptisma imprimitur non cogitat, eo ipso tamen eum imprimere infanti intendit, quia ipsum vult baptisare. 2. alia est absoluta, alia Conditionata. *Absoluta*, est quando quis simpliciter & sine ulla limitatione aliquid vult. *Conditionata*, qua quis vult quidpiam, ſed ſub certa conditione. Hæc autem est vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro. 3. intentio est actualis, virtualis, habitualis. & interpretativa. *Actualis* est præsens & deliberata rei efficiendæ volitio. *Virtualis* est rei efficiendæ propositum, non actu, ſed virtute prioris volitionis permanens & continuatum, quod nec revocatum, nec interruptum fuerit. Ut si quis Altare acceſserit animo Miſsam celebrandi & Eucharistiam consecrandi, & in decursu mente distracta consecrationis verba protulit. *Habitualis* est intentio actu habita, non quidem retractata, ſed tam longo tempore interrupta, ut nullo modo perseverare cen-

seatur.

seatur. *Interpretativa* est ea voluntatis dispositio, ex qua quis hoc vel illud ultro vellet facere, si attendifset faciendum efse. Igitur actualem baptisandi intentionem habet, qui actu sibi proponit, ac statuit hunc infantem baptisare. Virtualem, qui actu voluit baptisare, sed in ipso baptisationis actu mentem habuit ad alia conversam. Habitualem, qui ante aliquot dies proposuerat, sibi hunc infantem baptisare, & hodie non renovata intentione baptisat. Interpretativam, qui ratus fe abluere nonnisi infantis simulacrum, aquam in verum effudit infantem, quem si fciret verum efse infantem, ferio baptisare voluifset.

Quæres 7mo: Qualis ergo requiritur in Ministro intentio, ut valide conficiat Sacramenta?

Resp: 1mo: Ut Minister valide conficiat Sacramenta, necefsaria est intentio faciendi id, quod facit vera Christi Ecclesia, quæcunque illa sit. Quare conficiens Sacramentum, exg. baptisans, debet velle & intendere talem ritum peragere, prout à Christianis peragitur, & qui pro sacro ab ipsis habetur. Idcirco ad validitatem Sacramenti non est necefse ut Minister intendat verum conficere Sacramentum, aut illum ritum peragere, ut vere & in se sacrum, neque etiam opus est, ut intendat facere quod facit Ecclesia Catholica, Romana, fed fufficit quod velit facere, quod facit vera Christi Ecclesia quamcunque, & ubicunque illam efse putet, ac intendat perficere ritum prout à Christianis peragitur, & ab ipsis pro sacro reputatur, quidquid ipse de eo interius fentiat. Quia ex Conciliis, Florentino, & Tridentino, ad validitatem Sacramenti fufficit, & necefse est, ut Minister conficiens Sacramentum velit, & intendat facere id, quod facit Ecclesia, huic vero intentioni generali, privatus, ac particularis error Ministri obefse nequit, quod videlicet ipse arbitretur Ecclesiam, aut Lutheranam, aut Calvinianam efse veram Christi Ecclesiam, dummodo generatim velit facere id, quod vera Christi facit Ecclesia, neque etiam nocet quod Judæus, aut Paganus, vel etiam Athæus, aut aliquis sine ulla existens Religione, apud se judicet, Baptismi ritum efse vanum, ac prorsus inutilem, dummodo velit ritum illum perficere prout à Christianis peragitur, & qui ab ipsis ut sacer habetur, atque ut talis ab ipsis practicatur. Unde ex perpetua Ecclesiæ Catholicæ fide, valent Sacramenta ab Hæreticis collata, Baptismus à Judæo etiam & Pagano confectus, quod non efset si pri-

vatus

vatus, & particularis Ministrantis & Sacramenta conficientis error, validitati eorum obeſset.

Neceſse tamen est, ut hæc intentio sit vera, seria, ac sincera, si enim Minister conficiens Sacramenta interius velit, nonnisi ritum Sacramentalem deridere, fingere, ac simulare, licetsi exterius illum serio & non jocose illum perficiat, non stabit Sacramentum. Qui enim solum habet irridendi, jocandi, fallendi, ac Sacramentum simulandi intentionem, non potest vere interius intendere id facere, quod facit vera Christi Ecclesia, sine quo Sacramenta stare, ac valere non poſsunt.

2do: Hæc autem intentio interna, vera, ac sincera non debet omnino eſse actualis, ſed ſufficit virtualis, & hæc saltem neceſsario prærequiritur. Quia in conficiendis Sacramentis semper habere intentionem actualem, non est in potestate Ministri, cum præter voluntatem hominis, cum maxime vult ad ea attendere quæ facit, ad alia mens ipsius sæpe avocetur, ſufficere ergo debet virtualis. Certe ut valide conficiantur Sacramenta, non ſufficit intentio neque habitualis, neque interpretativa, quia intentio habitualis, aliquando fuit, ſed dum conficitur Sacramentum nullatenus ſubsistit, interpretativa quoque eſset, si rem faciendam Minister cognoviſset, ſed reipsa non est, unde neutra in actionem qua Sacramentum conficitur influit, actualis autem intentio non omnino requiritur, quia haberi ſemper nequit. Igitur ſufficit intentio virtualis. Verum tamen modis omnibus curandum est Ministro, ut Sacramentum conficiendo habeat intentionem actualem, tum propter majorem Sacramenti certitudinem, tum propter ipsius reverentiam. Quare qui in conficiendis Sacramentis voluntarie distrahuntur, non mediocris peccati rei ſunt. Sed hic præcipue animadvertendum est, vix fieri poſse, ut actualem conficiendi Sacramentum intentionem non habeat, qui deliberate ad illud conficiendum accedit, & qui sciens quid faciendum sit, libereque illud facere volens, actualem non habeat faciendi voluntatem, cum à nullo ad faciendum cogatur, aut impellatur. Certe intentio actualis aliquid faciendi, aliud non est, quam actualis illud faciendi voluntas. Qui ergo scienter & deliberate vult, aliquid facere, actualem illud faciendi habet intentionem. Neque enim ut actualis habeatur intentio, neceſse est, ut actu quodam explicito concipiatur vg: *Volo celebrare*, *volo baptisare*, & præterea ſupra istiusmodi actum sese reflectat, attentionemque ſuam convertat, ſed satis est, quod

Mini-

Minister ad baptisandum, aut celebrandum deliberate se accingat, fponte, libere. sciens, & volens baptiset. consecret, tunc enim licetsi inter baptisandum & celebrandum distrahatur, actu non attendat, neque fupra id, quod perficit, sese reflectat, actu tamen vult baptisare, consecrare, ac proinde actualem baptisandi, conseerandi, habet intentionem.

Quæres 8vo: An valeant Sacramenta fub conditione collata?

Resp: *1mo:* Valet Sacramentum collatum fub conditione de præterito, aut de præsenti, si impleta sit conditio. Quia si conditio apposita, vel de facto jam extiterit, vel actu modo existat, tunc Sacramentum absolute confici censetur, & apposita conditio, quasi non adjecta reputatur. Hinc valent Baptismus, & Pænitentia fub his formulis collata: *Si non es baptisatus, ego te baptiso. Si vivis, ego te absolvo*, posito videlicet quod infans baptisatus non fuerit, & pænitens vivat. Si vero conditio apposita de præterito, vel de præsenti, non verificatur, nec fubsistat, ruit Sacramentum, quia Minister non intendebat conficere Sacramentum, nisi fub apposita conditione, hæc igitur si non fubsistat, Minister non vult Sacramentum conficere. Ergo tunc nullum est Sacramentum. Quodsi resciri conditio nequeat, utrum extiterit, aut extet, debet Sacramentum fub tali conditione collatum, iterari.

2do: Sub conditione de futuro libero, collatum Sacramentum non valet. Quia intentio Ministri illud conficientis, per appositam de futuro conditionem suspenditur, & qui fub conditione de futuro contingenti conficit Sacramentum, hic & nunc illud perficere non intendit, nisi impleta conditione. Jam vero sine intentione Ministri collatum Sacramentum nullum est. Igitur si aliquod Sacramentum fub conditione de futuro libero conferatur, nullum est. Aliud est si apponatur conditio de futuro necefsario eventuro exg. *baptiso te, absolvo te, si cras sol orietur*, quia tunc jam illa conditio censetur efse præsens, & verificata, & jam in præsenti verum est, quod necefsario futurum est. Unde inquit S. Thomas Doctor in 4. distinct 29. art: 3. *talia futura jam funt præsentia in suis causis.*

Quæres 9no: Utrum liceat Sacramentis, dum conficiuntur, conditiones apponere?

Resp: Sacramentis conficiendis nunquam licet appo-

nere conditiones de futuro, quia tunc nullum, ac irritum est Sacramentum, ipsumque graviter profanatur. Pariter conditionem de præsenti, vel præterito, sine necessitate non licet apponere, quia Sacramento irreverentia irrogatur, & est quædam nugatio, atque Ecclesiæ praxi adversatur. Necessitate autem exigente, ut si dubium sit prudens de validitate collati Sacramenti, illud iterando, licet conditionem apponere. Unde licet sub hac forma infantem in via proiectum baptisare: *Si non es baptisatus, ego te baptiso:* aut hominem moribundum alicubi repertum, his absolvere verbis: *Si es dispositus* vel *si es capax, ego te absolvo.* Non sunt tamen etiam sub conditione iteranda Sacramenta, nisi post diligens examen, & quando prudens occurrit dubium. Dum vero necessitate exigente, Sacramentum sub conditione conficitur, non omnino necesse est, ut conditio verbis exprimatur, nisi dum propter occurrens dubium Baptisma repetitur, quia tunc Ritualis Romani præscriptum observari debet.

Quæres 10mo: An tenetur Minister ritus ab Ecclesia in conficiendis, atque administrandis Sacramentis præscriptos, observare?

Resp: Ritus, qui in Sacramentorum administratione usurpari solent, triplicis sunt generis, essentiales, integrantes, & accidentales. *Essentiales*, qui sine Sacramenti interitu omitti nequeunt, unde illis omissis irritum est Sacramentum, quales sunt quæ spectant materiam, formamque Sacramenti. *Integrantes*, qui licet ad Sacramenti substantiam non spectant, ad ipsius tamen significationem, & intelligentiam multum conferunt, unde graviter ab Ecclesia præceptæ sunt vg. mixtio aquæ vino in Sacramento Eucharistiæ. *Accidentales*, qui nec ad substantiam Sacramenti omnino sunt necesarii, nec ad illius intelligentiam, significationemque multum conferunt, & nonnisi Sacramentorum administrationem adornant.

Itaque mortaliter peccat, qui essentiales, aut integrantes ritus in conficiendis, vel administrandis Sacramentis prætermittit. Quia essentiales ritus prætermittendo nullitati exponit Sacramentum, & integrantes negligendo in re multum sacra, grave Ecclesiæ præscriptum transgreditur. Hinc graviter peccat, qui extra Missæ sacrificium Eucharistiam conficeret.

Qui vero accidentales nonnisi ritus in conficiendis & administrandis Sacramentis, sine eorum contemptu, prætermittit, peccat tantummodo venialiter, quia istiusmo-

di

di ritus cum nonnisi ad ornatum, & majorem solemnitatem pertineant, non sunt adeo graviter, ac severe ab Ecclesia præscripti, ut mortaliter peccet, qui eos prætermiserit. Qui autem istiusmodi ritus ex contemptu, & parvipensione omittit, gravis peccati reus est, quia ut docet S. Bernardus, contemptus convertit in crimen gravis rebellionis, nævum satis levem simplicis transgressionis. In his autem contemptui æquiparatur gravis incuria, seu in addiscendis, seu in exercendis sacris ritibus.

Quæres xxmo, An aliquando liceat Sacramentum simulare?

Resp. Nunquam licet Sacramenta simulare, quia qui Sacramentum simulat, gravem Christo irrogat irreverentiam, illi pessime illudit, verbis ac rebus ab ipso institutis abutitur, unde in re gravissima facto ipso mentitur ac proinde graviter peccat. Hinc Innocentius XImus, sequentem damnavit propositionem: *Urgens metus, & gravis, justa est causa Sacramentorum administrationem simulare.* Hinc graviter peccat, qui Missæ celebrationem simulat, aut hostiam non consecratam cuipiam etiam scienti, & consentienti pro Communione porrigit, quia gravi peccato aliud vitare nefas est.

CAPUT SECUNDUM

De præviis ad Sacramenta recipienda dispositionibus, & eorum effectibus.

Quemadmodum solus homo potest Sacramenta conficere, ita etiam soli homini viventi administrari possunt. Et quoniam non omnis homo quodlibet Sacramentum conficere potest, ij tantum ea perficere valent, qui ad ea perficienda potestatem habent, pariter non omnes omnia Sacramenta recipere possunt, sed illa tantum percipere valent, quorum capaces sunt. Unde omnis quidem vivens homo baptisari potest, nemo tamen nisi baptisatus cetera percipere valet Sacramenta, quare Baptismus Sacramentorum janua merito appellatur.

ARTICULUS 1mus

De prœviis ad Sacramenta recipienda dispositionibus

Quæres 1mo Ut valide recipiantur Sacramenta, requiriturne in recipiente intentio?

Resp: In parvulis & perpetuo amentibus, nulla requiritur intentio ut valide recipiant Sacramenta Baptismi, Confirmationis, atque etiam Eucharistiæ, quia cum careant usu rationis, nullius actus humani, qualis certe intentio est, capaces eſse poſsunt, unde ex perpetua Ecclesiæ praxi, parvuli baptisantur, & antiquitus ipsis statim post Baptisma Sacramenta Confirmationis, ac Eucharistiæ conferebantur. Pariter etiam perpetuo amentes, *in fide Eccleſiæ*, ut inquit S. Thomas quæst: 68. art: 13. baptisantur, quia parvulis qui usu rationis carent, æquiparantur.

Certum quoque est, ut valide recipiatur Sacramentum Eucharistiæ, etiam in adultis nullam requiri intentionem aut interiorem consensum, quia cum Sacramentum hoc habeat eſse permanens, neque in usu positum sit, sicut cætera Sacramenta, quæ tunc ſolum ſubsistunt, cum perficiuntur, ubicunque reponitur, ſubsistit, & est verum Sacramentum, licetsi nullum, nisi in rite dispositis, & digne recipientibus, fructum pariat.

Sed ad alia præter Eucharistiam recipienda Sacramenta, in adultis requiritur aliqualis intentio, & interior voluntatis consensus. Unde adultus, qui vel omnino reluctans baptisatur, ordinatur, cæteraque recipit Sacramenta, ſeu mere negative erga illa ſe habet, invalide illa recipit. Quia ut docet Concilium Trident: Seſs: 6. Cap: 7. Justificatio, ſanctificatio, sive illius auctio in adultis non perficitur, nisi *per voluntariam ſusceptionem gratiæ & donorum* cælestium, atque id ex Christi institutione, qui noluit ut per Sacramenta, quæ ad ſanctitatem, justitiamque conferendam, aut augendam instituit, in adulto sine ipsius consensu valerent, justitiam, ſanctitatemque illi conferrent, vel in ipso augerent, nisi ipso volente, & consentiente, atque cooperante. Si ergo adultus aut reluctans sit, aut mere negative ſe habet, valide Sacramenta non recipit, nec proinde ullum gratiæ fructum in eo pariunt. Hinc Innocentius 3tius Cap: 3. de Baptismo sic inquit:

Illa

Ille qui nunquam consentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuscipit Sacramenti.

Certe per Baptisma & Ordinis Sacramenta, graves imponuntur obligationes. Porro obligatio gravis invito, & reluctanti imponi nec debet, nec potest. Ergo talibus collata Sacramenta, nulla, & irrita ſunt.

Verum ad recipienda valide Sacramenta non requiritur intentio actualis, neque virtualis, ſed ſufficit habitualis, ſeu intentio prius habita, & non retractata. Unde ex præscripto Ritualis Romani baptisari debent moribundi, etiam ſensibus & ratione destituti, si antea desiderium Baptismi exhibuerint, illudque expetierint. Ab hoc tamen excipitur Sacramentum Pænitentiæ, & Matrimonii, quia Sacramenti Pænitentiæ materia ſunt actus pænitentis, qui in præsenti fieri debent, dum hoc Sacramentum perficitur olim habiti non ſufficiunt, & Matrimonii contractus validus eſse nequit, nisi contrahentium consensus præsens sit, actu aut virtute perseverans.

Quæres 2do. Ad fructuose Sacramenta percipienda, quæ requiruntur dispositiones?

Resp: Sacramenta alia dicuntur *mortuorum*, alia *vivorum*. Sacramenta *mortuorum* ſunt ea, quæ peccatorem ſpiritualiter mortuum, ſanctificant, justificant, & gratia vivificant. Sacramenta *vivorum* illa ſunt, quæ justis, ac proinde gratia ſanctificante vivificatis conferuntur. Vivorum Sacramenta ſunt Confirmatio, Ordo, Matrimonium, Extrema unctio, maxime vero ſacratiſsima Eucharistia. Mortuorum duo: Baptismus & Pænitentia. Itaque *1mo.* ut Sacramenta vivorum cum fructu recipiantur requiritur immunitas â peccato mortali, ac proinde status gratiæ ſanctificantis est omnino neceſsarius. Hinc mortalis ſacrilegii reus est, qui ad hæc Sacramenta in statu peccati mortalis accedit, illaque recipit. Quare qui ad prædicta Sacramenta accedere vult, & ſe peccati mortalis reum eſse ſentit, confiteri prius debet, quantumcunque sibi contritus eſse videatur, quia contritio, quæ peccata deleat, rariſsima est, ut enim habet Catechismus Concil: Trident: *Quis ignorat illam*, contritionem ſcilicet, qua peccata delentur, *adeo vehementem, acrem, intensam eſse oportere, ut doloris acerbitas, cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſsit. Et quoniam*, ut ibidem dicitur, *pauci admodum ad hunc gradum perveniunt.* Igitur certiora, & tutiora præferendo, tutius est ut Sacramentalis confeſsio præmittatur, antequam aliquod ex prænominatis Sacramen-

tis

tis recipiatur. Certe per Sacramentum Pænitentiæ, & certius, & facilius peccata delentur, justificatio, & gratia ſanctificans acquiritur, quam per contritionem, quæ perfecta eſse debet ut peccata deleat, quam habere & perardum ac difficillimum est, & rariſsimum. Quare Catechismus Romanus sic inquit: *Cum Sacramenta administramus, aut percipimus, toties confeſsio prœtermittenda non est.* Verum quidem est, quod Sacerdos qui peccato mortali onustum ſe eſse ſentit, quando Confeſsarii copiam non habet, neque ratio temporis ac loci permittit confiteri, poſsit elicito contritionis actu, dum gravis urget neceſsitas, Miſsam celebrare, aut aliud Sacramentum conficere, ſed hoc ad alios non est trahendum, non enim potest talis occurrere neceſsitas, quæ aliquem adigat ad Sacramenta ſuscipienda, non præmiſsa Sacramentali Confeſsione, dum ſe peccati mortalis reum eſse ſentit.

2do. Jam vero ad Sacramenta mortuorum fructuose recipienda, non requiritur quidem status gratiæ, quia illa statum gratiæ conferunt, & efficiunt, hominem justificant, & ſanctificant, ſed in adultis requiruntur præviæ fidei, ac pietatis dispositiones, quibus homo aptus efficiatur ad ſuscipiendam gratiam ſanctitatis, ac alia Cælestia dona virtutesque, quæ eidem annectuntur. Hinc qui sine præviis dispositionibus Sacramenta ſuscipiunt, quamquam valide illa ſuscipiant, nullum tamen fructum gratiæ ex iis percipiunt. Sacramenta siquidem adinstar causarum naturalium, ubi obicem inveniunt nihil operantur. Qui vero sine præviis ac neceſsariis dispositionibus ad Sacramenta accedit *exg.* in statu peccati mortalis Ordinem, Conformationem ſuscipit, obicem ponunt. Nihil ergo gratiæ in iis Sacramenta operantur, ac prorsus infructuosa ipsis ſunt. Jam vero Sacramentum Pænitentiæ si recipiatur sine præviis fidei & pietatis dispositionibus, non ſolum infructuosum est, ſed & irritum, ac nullum, quia actus pænitentis maxime contritio, Sacramento Pænitentiæ eſsentialis est, quæ sine fide, & pietatis ſensu haberi nequit.

Quæres 3tio. Quid facto opus sit illi, qui sine præviis gratiæ, ac pietatis dispositionibus Sacramenta ſuscepit?

Resp. Qui sine præviis gratiæ ac pietatis dispositionibus Sacramenta ſuscepit exg. in statu peccati mortalis Eucharistiam ſumpsit, Matrimonium contraxit, Ordinatus est, aut etiam adultus sine pænitentiæ ſensu, actualem ad præterita crimina gerens affectum, baptisatus est. Is sincero

cero cordis dolore, ac Sacramentali confeſsione, commiſsum ſacrilegium, ac cætera ſua crimina abstergere, & abluere debet, atque tunc Sacramenta, quæ iterari nequeunt, veluti Baptismus, Confirmatio, & Ordo, reviviscunt, atque effectus gratiæ producunt, quos obstante obice, & mala hominis dispositione producere non poterant. Idem dicendum est de Sacramento Matrimonii atque Extremæ unctionis, quæ quis in statu peccati mortalis, & sine debitis dispositionibus ſuscepit, hæc inquam etiam Sacramenta per Pænitentiam reviviscere, atque effectus gratiæ, ſublato obice, producere, probabiliſsimum est, quia etiam Matrimonium hic & nunc vivente comparte iterari nequit, & Conjuges ſummopere indigent ſpecialibus hujus Sacramenti gratiis, quibus infeliciter privati ſunt indigne illud ſuscipiendo. Extrema etiam unctio, & raro datur, & gratiæ ipsi annexæ moribundo ſummopere neceſsariæ ſunt. Igitur pie de Divina bonitate ac misericordia præsumendum est, & hæc quoque Sacramenta reviviscere, atque per ſeriam pænitentiam ſublato obice, effectus ſuos producere.

Quod vero attinet cætera Sacramenta, videlicet Eucharistiæ, ac Pænitentiæ, hæc cum frequenter iterari poſsint, non est neceſse ut reviviscant, ſed ſacrilegæ Communiones, sincera pænitentia, ac integra Confeſsione compensari poſsunt.

Quæres 4to. Non recte dispositis, ac peccatoribus, licetne Sacramenta ministrare?

Resp: Peccatorum alii ſunt *publici*, quorum impietas ita nota est omnibus, aut fere omnibus, ut nulla tergiversatione celari poſsit; alii *occulti*, quorum crimen multos latet, atque pluribus ignotum est. Peccator etiam sive occultus, sive publicus, Sacramenta petit vel publice, ſcilicet coram frequenti populi cætu, vel occulte ac privatim, ut cum ſolus à ſolo Ministro Sacramentum exigit.

Igitur *1mo.* Peccatori notorio, ac publico, etiamsi publice petat, Sacramenta negari debent. Id constat ex præscripto Ritualis Romani, quod de Sacramento Eucharistiæ hæc habet: *Arcendi ſunt publice indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, fornicatores, & alii id genus publici peccatores, nisi de eorum pænitentia, & emendatione constet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.* Et hoc statutum est conformiter ad Christi edictum Math: Cap: 7. datum Apostolis : *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis mar-*

gari-

garitas vestras ante porcos. Ubi per canes, quibus ſanctum dare prohibet Christus, unanimi SS. Patrum consensu, publici peccatores intelliguntur. Unde S. Chrysostomus Homil: 83. in Math: Sacramentorum dispensatores sic graviter compellet: *Non vobis imminet ultio, si quemquam illius improbitatis conscium, hujus mensæ participem faciatis. Sive quis Dux militiæ sit, sive Præfectus, sive Princeps diademate coronatus, indigne ne accedat, prohibe, non de ignotis, ſed de notis hæc disputo.* Et quamquam hæc dicta, & statuta sint de Eucharistiæ Sacramento, ne istud ſanctum canibus detur, ſed idem dicendum ac intelligendum est de aliis quoque Sacramentis, quia & ipsa ſancta ſunt, & cælestes margaritæ, quæ ante porcos proijci non debent.

Cavendum tamen ſummopere est, ne pro notorio habeatur, quod vel paucis cognitum est, vel incertis rumoribus innititur vel ſola vulgi credulitate innititur. Neque etiam ut publicum peccatorem in hoc vico habeat Sacerdos, qui tantum notorius est in alio, præsertim si fama criminis ipsius non facile eo sit perventura. Arceri autem à Sacramentis maxime debent, publici Concubinarii, Adulteri, notorii fornicatores, meretrices. Neque Sacerdos deferat Eucharistiam ad infirmum, si notorie adulter necdum pellicem ſuam è domo ejecerat. Et ubi ſentit Parochus fieri poſse, ut ad Sacramenta accedat quis ſuspectæ famæ, æquum est, ut eum conveniat, & privatim moneat, quatenus mali rumoris, & ſcandali causas resecet.

Pænitentiæ tamen Sacramentum, quibusvis peccatoribus, eam postulantibus, denegari non debet, quoniam maxime pro peccatoribus hoc Sacramentum à Christo institutum est.

2do. Occulto autem peccatori, si Sacramenta publice petat, negari non debent, & id Christi exemplo comprobatur, qui Judam á sacra mensa non repulit, ſed ei, sicut & cæteris Apostolis sacratum panem porrexit, atque ex hac Christi actione universa didicit Ecclesie, occultos peccatores, publice petentes, a Sacramentis non eſse arcendos. Si vero occulte petierint, aut nonnisi coram iis petierint, quibus certo de illorum crimine constat, Sacramenta negari poſsunt, & debent. Quare sic in Romano Rituali præscriptum Sacerdoti reperimus: *Occultos peccatores, si occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem si publice petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.* Nulli vero præbetur

betur scandalum, si occulto peccatori & occulte petenti, aut nonnisi coram iis, qui certo ipsius norunt crimen, Sacramentum denegetur; imo si tunc Sacramentum ipsi daretur, adstantes id ægre ferrent, videntes Sacramentum ab improbo profanari. Quod si tamen Sacerdos crimen ex Confeſsione didicerit, atque ei ea via innotuerit, Titium exg. eſse publice scandalosum, non poterit illi Sacramenta denegare, quamvis solus sit cum solo, quia quæ per Confeſsionem noscuntur, & hac via sciuntur, pro ignotis haberi debent.

ARTICULUS 2dus

De effectibus Sacramentorum.

Quæres 1mo: Qui ſunt effectus Sacramentorum?

Resp: Effectus Sacramentorum ſunt gratia & character. Omnia siquidem, indigne ea ſuscipientibus gratiam producunt, nonnulla vero, videlicet, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, præter gratiam, etiam characterem imprimunt. Est autem gratia vel actualis, vel habitualis: *Actualis* est donum ſupernaturale, quod transeunter á Deo homini confertur, qualis est ſancta cogitatio in intellectu, vel pia motio in voluntate excitata, qua homo ad bonum movetur, à malo retrahitur: *Habitualis* est donum ſupernaturale à Deo homini infusum, animæ ipsius inhærens, & in ea permanens. Hæc gratia, justificans dicitur, & si quidem hominem ex peccatore faciat justum, illumque sanctificet, vocatur *gratia prima*, si vero justitiam ejus ac ſanctitatem augeat, vocatur *gratia ſecunda*. Prima datur peccatoribus, qua justificantur, ſecunda justis conceditur, qua redduntur justiores, & magis ſanctificantur. Character vero Sacramentalis, est signum indelebile animæ impreſsum, quo unus ab aliis ſecernitur, nimirum baptisatus à non baptisato, ſacro Ordine initiatus à simplici Christiano, ſacro Chrismate in Confirmatione unctus, ab eo qui non est hoc Sacramenti sigillo insignitus.

Quæres 2do. Quæ Sacramenta imprimunt characterem?

Resp: Ex perpetua Ecclesiæ fide, quæ in Conciliis Florentino, & Tridentino stabilita fuit, tria Sacramenta characterem imprimunt. Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

do. Unde hæc Sacramenta iterari nequeunt, quia indelebilem imprimunt characterem.

Quæres 3tio. Qualem gratiam Sacramenta producunt?

Resp: Sacramenta mortuorum primario, & per se producunt gratiam primam, quia primario à Christo instituta sunt, ad justificandos, & sanctificandos peccatores. Secundario tamen & per accidens, pariunt gratiam secundam, quia non raro contigit ut pænitens perfecte contritus, aut nonnisi venialia habens peccata, ac proinde justus, ad confessionem accedat, ac tunc Sacramentum Pænitentiæ non primam, sed secundam in eo producit gratiam.

Unumquodque autem Sacramentum, specialem, & sibi propriam producit gratiam, aliam proinde Baptismus, aliam Ordo, aliam Matrimonium, atque aliam Extrema unctio, simul tribuit jus ad gratias actuales, quæ necessariæ sunt, ut & finis Sacramenti obtineatur, & obligationes ex eo promanantes adimpleantur. Hinc Baptismus præter specialem sanctificationis gratiam, quæ regenerationis dicitur, tribuit baptisato jus ad gratias actuales, quæ ipsi necessariæ sunt ut Christiane vivat. Ordo præter gratiam consecrationis, tribuit ordinato jus ad actuales gratias, quæ necessariæ sunt ad sacras functiones rite peragendas, Matrimonium tribuit jus ad gratias, quibus opportune onera Matrimonii perferantur, obligationesque Conjugii adimpleantur.

Non tamen æqualem in omnibus suscipientibus gratiam producunt Sacramenta, sed majorem in magis dispositis, minorem in minus dispositis, unde quisque Sacramentalem gratiam recipit, secundum propriam dispositionem, quare accedentibus ad Sacramenta, summopere satagendum est, ut quam maxime dispositi ad ea accedant, quo enim melius erunt dispositi, eo uberiorem gratiam assequentur.

TRA-

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS.

Moris olim in universa Ecclesia erat, ut hæc duo Sacramenta Bàptismus ſcilicet & Confirmatio, simul unum post aliud daretur, conveniens igitur est, ut continuo etiam tractu explanentur.

CAPUT PRIMUM

De Sacramento Baptismi.

Baptismus proprie lotionem, ablutionem, significat, & dicitur Sacramentum regenerationis, renovationis, quæ fit per aquam in verbo vitæ, ſcilicet per verba à Christo præscripta, quæ vitam ſpiritualem conferunt.

ARTICULUS 1mus

De institutione, materia; ac forma Baptismi, ejusque Ministro.

Quæres 1mo: Quid sit Baptismus?

Resp: Baptismus est Sacramentum ad ſpiritualem hominis regenerationem à Christo institutum, per corporis ablutionem, ſub certa verborum forma conferendum. Est itaque baptismus à Christo institutus, quando nimirum post ſuam Resurrectionem mittens Apostolos in universum Mundum dixit eis Math: Cap: 28. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti,* tunc enim & præceptum omnes gentes baptisandi Apostolis dedit, & formam qua id fieri deberet præscripsit. Ad ſpiritualem vero hominis regenerationem est institutus Baptismus, quia ut docet S. Chrysostomus. Catech: I. ad illuminatos: *Baptismus non ſolum delicta purgat,*

gat, ſed ita id præstat, ac si denuo generati eſsemus. Unde & Christus Joan: Cap: 3. dixerat Nicodemo: *Oportet vos nasci denuo.* Confertur autem per ablutionem aquæ, ſub certa verborum forma, quæ Christus ipse præscripsit.

Triplex autem est baptismus: fluminis, flaminis, & ſangvinis. *Fluminis* qui datur per aquæ naturalis ablutionem. *Flaminis*, est ardens baptismi recipiendi desiderium. *Sangvinis*, est pro Christo ſangvinis effusio, dum necdum baptisatus pro Christo martyrium patitur.

Quæres 2do: Quæ est Baptismi materia?

Resp: Materia remota Baptismi, eaque omnino necessaria, ſola est aqua naturalis, quia eam Christus ad Baptisandum destinavit, illaque à temporibus Apostolorum ad baptismum ſemper adhibuit Ecclesia. Omnis igitur aqua, quæ communi hominum usu, est & vocatur aqua, sive illa sit maris, sive fluvii, paludis, sive putei, aut fontis, est materia baptismi. Neque etiam refert an limpida sit, an turbida, calida, an frigida, dulcis, an ſalsa. Pariter aqua ex nive, grandine, aut glacie resoluta, ad baptisandum apta, atque idonea est. Nix autem grando, glacies, pruina, si non fuerint prius resoluta, ad baptismum adhiberi nequeunt, quia sicut per se non lavant, nisi resolvantur, ita etiam ad baptismum adhiberi nequeunt, nisi ſaltem autumnis tempore inter baptisandum per manus calorem resolvantur, si enim nonnisi facta applicatione, ac prolata forma, fluere inciperet, non stabit baptismus, quia tunc Minister non vere ablueret. Quodsi aqua alienæ rei admisceatur in tanta quantitate, ut compositum inde resultans, magis sit aliud exg. lutum, quam aqua, tunc ad baptisandum adhiberi nequit, ſecus si aqua adeo prævaleat, ut vere adhuc aqua dici poſsit.

Non valet itaque baptismus collatus in vino, lacte, cerevisia, ptisanna, ſucco ex pomis, pyris, expreſso, quia hæc morali hominum judicio non reputantur pro aqua naturali, & usuali. In dubio an liquor aliquis sit aqua naturalis, eo uti extra neceſsitatem non licet, hæc vero si instet, non modo licet, ſed & neceſse est ſaltem ſub conditione, quia instante neceſsitate, licet etiam maxime dubiam adhibere materiam, quia longe minus malum est, quod Sacramentum nullum reddatur, quam quod homo periculo æternæ damnationis exponatur.

Porro aqua, quæ baptismi materia est, etiamsi baptismus privatim & in casu neceſsitatis Domi conferatur, quantum fieri potest benedicta sit, quia id Sacramento con-

convenientius est. Si vero baptismus ſolemniter ubicunque, sive in Ecclesia, sive alibi administretur, ex præscripto Ritualis Romani, adhiberi debet aqua currenti anno sive Sabbatho Sancto sive in Vigilia Pentecosten benedicta, & ſacro chrismate permixta.

Quæres 3tio: Quæ sit materia Baptismi proxima?

Resp: Materia baptismi proxima est ablutio, sive hæc fiat per immersionem baptisandi in aqua, sive per infusionem, aut aspersionem aquæ ſupra baptisandum, quia his tribus modis ablutio hominis fieri potest, unde etiam his tribus modis baptismus in Ecclesia Christi conferri ſolitus fuit, & modo sic conferri potest. Verum quocunque modo baptismus conferatur, ut ipse validus sit, tanta copia aquæ baptisandus perfundi debet, ut vere lotus & ablutus eſse censeatur, unde si nonnisi una, alterave gutta aquæ perfundatur, non stabit baptismus, quia tunc homo madefactus equidem dici poterit, ſed lotus, ablutus dici non potest. Ut autem baptismus validus sit, necesse est, ut homo vere lotus, atque ablutus sit, quare aqua ſucceſsive decurrente perfundi debet. Curandum autem est ut aqua pellem baptisandi tangat, quare si infans capillatus sit, aut caput ſordidum fuerit, ſordes lavandæ prius & crines discriminari debent, ut aqua carnem baptisandi tangat, & abluat. Quodsi infans ſecundinis adhuc obvolutus, aqua perfundatur, baptismus repetendus est.

Præcipua autem pars corporis baptisandi, quale est caput, ablui debet. An vero ſufficiat ablutio alterius notabilis partis, vg. manus, pedis, brachii, dubium est, unde graviter peccaret, qui extra neceſsitatem, non caput baptisandi ablueret, ſed etiam quamcunque partem, quia recederet â communi Ecclesiæ praxi, & periculo nullitatis Sacramentum exponeret. In neceſsitate autem maxime dum difficilis est partus, quæcunque, aperto Mulieris utero, infantis pars apparuerit, aut quocunque modo attingi poſsit, sive tubo immiſsa aqua, sive manu copiose madefacta, baptisari infans debet. Sed si deinceps infans plene ex utero Matris egreſsus fuerit, id fieri debet quod Rituale Romanum faciendum præscribit, videlicet: *Si infans*, ex utero Matris, *caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptisetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptisandus. At si aliud membrum emiserit quod vitalem indicet motum, in illo si periculum impendeat, baptisetur, & tunc si natus vixerit, erit ſub conditione baptisandus.* Imo etiamsi ſecundina ſolum, quibus

bus involutus est infans, apparuerint, & periculum mortis immineat, in iis etiam quoquomodo fieri poterit, baptisandus est infans, quia ſatius est dubia tentare ad ſalvandum infantem remedia, quam nulla.

Valet vero baptismus sive infans applicetur aquæ, sive aqua infanti, unde si infans aquæ è tecto defluenti ſupponatur & forma à ſupponente proferatur, valebit baptismus, quia vere abluit corpus, sive qui ipsi applicat aquam, illudque ea perfundit, sive qui ipsum apllicat aquæ. Quod si nec aquæ ad corpus baptisandi acceſsio, neque corporis baptisandi aquæ applicatio fiat ab ipso baptisante, non stabit baptismus, quia tunc non verificabitur forma baptismi, quia qui neque infantem applicat aquæ, neque aquam infanti, nullo modo censeri potest eum abluere. Hinc qui nivem, glaciem, in capite infantis poneret, & hæc naturali calore resolverentur, atque sic aqua sine ulla baptisantis actione flueret, non stabit baptismus. Pariter si ſupra hominem in fluvio stantem aqua à Ministro non immitatur, aut si quis infantem in puteum proiiciat, vel dum in illud casu prolabitur, formam baptismi proferat, non valebit baptismus, quia in his casibus baptisans baptisandum non abluit, forma proinde baptismi non verificatur, ac proinde nullus est baptismus. Aliud est si quis infantem cum funiculo in puteum, aut in fluvium demittat, & mergendo formam baptismi proferat, tunc valet baptismus, quia immersione infans vere abluitur.

Ad valorem tamen Baptismi non est omnino neceſsaria trina sive immersio, sive aquæ infusio, ſed ſufficit unica, quia unica immersione, aut infusione, vera fit baptisandi ablutio. Verum in praxi Minister tenetur ſequi praxim Ecclesiæ, & ſervare præscriptum Ritualis Romani, atque curare ut singulæ aquæ infusiones, singillatim respondeant invocationi trium personarum SSmæ Trinitatis.

Quæres 4to: *Quæ sit Baptismi forma?*

Resp: Baptismi forma hæc est. *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Quare ad valorem baptismi requiritur 1. distincta trium Personarum SSmæ Trinitatis invocatio, unde si vel una in forma baptismi omittatur Divina persona, non stabit Baptismus. Pariter non valet baptismus collatus in nomine SSmæ Trinitatis, in nomine Dei unius & trini, vel universim in nomine trium Personarum SSmæ Trinitatis, quia non est distincta invocatio Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quod ex Christi institutione fieri omnino debet. 2. hæç etiam verba *Baptiso te*: aut alia

æqui-

æquivalentia, exg. *abluo te*: in forma baptismi necefsario exprimi debent, quia in forma baptismi debent exprimi & actio Ministri baptisantis, & persona baptisanda, hoc autem fit per verba *baptiso te*, vel *abluo te*, sine his autem nec actio Ministri baptisantis, neque baptisandi persona denotaretur, ac proinde non valeret baptisma, quare Alexander 8. damnavit hanc propositionem: *Valuit aliquando baptismus, fub hac forma colllatus. In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti prætermifsis illis, Ego: te baptiso.* Non est tamen necefsarium, ut pronomen, *Ego* exprimatur, quia illud verbum *baptiso*, implicite continet. Neque etiam ad validitatem baptismi requiritur, ut nomen exg. Petri, Pauli, baptisando imponendum proferatur, quia particula indicativa, *te*, dum dicitur *baptiso te*, fufficienter personam baptisandam denotat. 3. melius quoque censent, qui particulam, *in*, ad validitatem baptismi exigunt, quia dubius & incertus erit baptismus, hac forma collatus. *Baptiso te nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quia videtur fensus formæ usitate, efse immutatus, verba siquidem hæc *baptiso te nomine Patris*, insinuant Ministrum baptisare vice Patris, non virtute Patris, quemadmodum consveta baptismi forma fonat. *4to.* vocula quoque *nomine*, ad fubstantiam baptismi omnino necefsaria est, unde non valebit baptismus, si quis baptisaverit vel fub ista forma: *Baptiso te in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*, vel etiam fub hac: *Baptiso in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quia in utroque casu, fensus consvetæ baptisandi formæ immutatur. Dubia etiam erit ista forma: *Baptiso te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti*, quia Divinitatem inter Personas dividere videtur, unde gravifsimum errorem insinuare reputatur.

Hinc fequitur, consvetam baptisandi formam accuratifsime observandam efse, nihil ei detrahendo, nihil addendo, nihil immutando valebit attamen Baptismus, si consvetæ formæ terminis, fubstituantur alii termini vere æquivalentes, unde si quis pluraliter loqui asvetus dicat: *Baptisamus*, aut etiam causa honoris dicat: *Baptiso vos. Baptiso vestram celsitudinem*: valebit Sacramentum. Item si dicatur: *Baptiso Petrum*, aut *Petrus baptisatur á me in nomine Patris &c.* valebit baptismus. Quin & tunc perficietur Sacramentum, etsi persona baptisanda, non sit ejusdem nominis, aut fæxus, quia quisquis baptisat, di-

recte,

recte, & primo intendit baptisare personam præsentem, quam ex errore putat eſse Petrum, aut Paulum.

Caute tamen hic notandum est, facile fieri poſse, ut termini habeantur quasi æquivalentes consvetæ formæ, qui eidem reipsa non æquivalent, unde non valet baptismus *in nomine Dei unius & trini:* licetsi hæ voces idem eſse videantur, cum vocibus *Baptiso te in nomine Patris* &c. Neque valet baptismus, si conferatur *in nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque procedentis,* quia licet materialiter idem significent, ſed non formaliter. Indubitatum quoque est, formam baptismi, qua Græci utuntur, licet à nostra latina discrepare videatur, eandem cum nostra eſse, ac proinde legitimam eſse, ac omnino valere, quia & perantiqua est, & nihil illi deest, quæ ex Christi institutione ad formam baptismi neceſsarium est.

ARTICULUS 2dus

De Ministro Baptismi.

Quæres 1mo: Sacramenti Baptismi, quis est Minister?

Resp: 1mo: Omnis homo vivens, sive vir, sive mulier, fidelis aut infidelis, in casu neceſsitatis valide, ac licite baptisare potest. Et id constat ex continua praxi, sensu, & doctrina Ecclesiæ Catholicæ in Conciliis Florentino, & Tridentino confirmata. Certe nunquam Ecclesia rebaptisare permisit, à quocunque, modo rite, baptisatum. Nemo tamen ſeipsum baptisare potest. Namque sicuti nemo ſeipsum carnaliter generare, ita etiam nemo ſeipsum spiritualiter regenerare potest. Pater quoque propriam prolem baptisare prohibetur, nisi in casu neceſsitatis, quia excideret à jure petendi debitum conjugale.

2do: Ordinarius autem Baptismi Minister, est Episcopus, & Sacerdos, ſed Sacerdos cum ſubordinatione & dependentia ab Episcopo, quia Christus Apostolis principaliter demandavit & docendi, & baptisandi munus Math: Cap: 28. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos.* Unde antiquitus soli Episcopi baptisabant, & ex commiſsione Episcoporum, atque de illorum licentia, Sacerdotes. Quare ut extra casum neceſsitatis licite etiam Sacerdos baptiset, sive privatim sive solemniter, requiritur delegatio, commiſsio, ac ſpecies quædam jurisdictionis spiritualis.

lis. Et ideo graviter peccat ſacerdos, qui extra neceſsitatis casum, sine jurisdictione, & absque commiſsione baptisat sive solemniter, sive privatim, quia etiamsi vi consecrationis ſuæ, solemniter quoque baptisare poſsit, id tamen iis, quibus hoc non est commiſsum, & qui nullam in populum spiritualem jurisdictionem habent, gravibus de causis prohibitum est, ne scilicet pax & ordo turbetur. Idem dicendum est de Parocho, qui alterius Parochiæ infantem, absque proprii Pastoris licentia, baptisare præsumpserit, est enim istud quoque temeraria, & gravis alienæ jurisdictionis invasio.

3tio: Diaconus quoque est solemnis etiam baptismi Minister, ſed extraordinarius, quia ex ſuo Ordine id habet, ut ad solemniter baptisandum deputari poſsit. Verum, quia non paſsim, ſed in casibus tantummodo extraordinariis, ad id destinari valet, ideo nonnisi extraordinarius est solemnis baptismi Minister. Sacerdos itaque est solemnis baptismi Minister ordinarius, Diaconus nonnisi extraordinarius, ideoque & sine delegatione, ac deputatione ab Episcopo, aut Parocho facienda, solemniter baptisare nequit, & non debet ad id paſsim deputari, ſed nonnisi in casibus extraordinariis. Igitur: cum hodie non desit Sacerdotum copia, peccat Parochus, qui Diacono concedit facultatem, solemniter extra casum neceſsitatis baptisandi. Ad id autem non requiritur quidem neceſsitas extrema, ſed tamen vera & ponderosa, non levis & futilis. Censetur autem ſufficiens ad id neceſsitas, cum ægrotat Parochus, nec alter ſuppetit Sacerdos, qui vices illius ſupplere poſsit. Item cum Parochus, si ad baptisandum longe pergat, maxime die festivo, officii ſui munia prætermittere cogetur. In his ergo casibus, Parochus Diaconum deputare potest, ut solemniter baptiset.

Peccat etiam graviter Diaconus, qui extra casum neceſsitatis, nec ab Episcopo, vel Parocho juſsus, ſolemniter Baptismum confert, quia alienum munus uſurpat, qua etiam de causa, ex communiori Theologorum ſententia, irregularitatem incurrit.

Quæres 2do: Dum in casu neceſsitatis Baptismus conferri debet, quis ordo inter Ministros servandus est?

Resp: Dum in casu neceſsitatis baptismus conferendus est, & plures ſunt, qui baptisare poſsint, iste servandus est ordo, ut primo baptiset Parochus, si adsit, secundo Sacerdos, tertio Diaconus, quarto Subdiaconus, quinto Clerici inferiores, sexto Vir, ſeptimo Fæmina, octavo

Fidelis. Sed obstetrix ritum baptismi bene edocta, anteponenda est imperito Viro, atque infideli, quin & Parocho ipso propter decentiam status, si videlicet infans necdum plene in lucem editus baptisandus sit. His autem seclusis, utrum allatus ordo stricte servandus sit, adeo: ut ipsius inversio peccatum mortale inducat, inter Theologos controvertitur. Certum est graviter peccare Clericum, aut etiam Subdiaconum, si præsente Diacono, & Diaconum, si præsense Sacerdote baptiset, quia tunc Clericus, seu Subdiaconus, Diacono, & Diaconus Sacerdoti, ipsiusque Ordini, gravem infert injuriam, munus ipsius sibi usurpando. Si vero homo Laicus, vel obstetrix præsente Subdiacono baptisaret, dubium hic erit mortale peccatum, quia invertitur ordo, qui postulat ut longe dignior cæteris præferatur.

Quæres 3tio: Utrum unus à pluribus baptisari, & plures unum baptisare possint?

Resp: In casu urgentis necessitatis, potest unus, plures simul baptisare, quia hoc non est contrarium institutioni Christi, & reipsa initio Ecclesiæ, cum multa centena eodem die baptisabantur, plures simul ab eodem Ministro baptisati sunt. Forma etiam baptismi, cum in plurali effertur: *Ego vos baptiso*: substantialiter non immutatur. Id tamen extra casum urgentis necessitatis, fieri non debet, quia á præscripta, & usitata Ecclesiæ praxi recedere non licet.

Unus etiam, ac idem à pluribus baptisari non debet, quia hoc est contrarium & institutioni Christi, & praxi Ecclesiæ. Sed si id fiat, & plures unum baptisent, quæritur, an istiusmodi baptismus validus sit. Porro tripliciter fieri potest, ut plures ad unum baptisandum concurrant. 1mo: Si unus vg. mutus, aquam supra baptisandum fundat, alter, quia mancus, formam pronuntiet. 2do: Si duo materiam simul & formam applicent, sed ita: ut à se invicem in baptisando dependere velint, tamquam causæ partiales, dicendo. *Nos baptisamus.* 3tio: Si uterque seorsim materiam & formam applicet, quasi ageret solus, ab alio dependere nolens, ut si duo Parochi, de eodem baptisando infante *litigantes*, eundem baptisare properent, & tunc vel ambo eodem instanti formam absolvunt, vel alter altero prius, In primo itaque casu, nullum est baptisma, quia tunc forma non verificatur, qui enim illam profert, aqua infantem non perfundit, illum non abluit, ac proinde falsum est quod dicit: *Ego te baptiso.* In secundo

cundo quoque casu, invalidum est baptisma, quia in eo conferendo, non servatur Christi institutio, qui unum, & totalem voluit efse Baptismi Ministrum, non plures, neque partiales, quare quemadmodum unus est Christus, ita unus efse debet vices ipsius gerens, Baptismi Minister, plures ergo, atque partialiter si conficere præsumant Baptismi Sacramentum, nihil conficiunt. In tertio denique casu, valet Baptismus, vel enim alter altero prius absolvit formam, & ille Sacramentum conficit, posterior formam proferens nihil efficit, & nonnisi sacrilege & in irritum tentat Sacramentum, vel etiam ambo simul absolvunt formam, & tunc etiam valet Baptismus, quia quilibet eorum seorsive, & independenter ab alio, totaliter, & non partialiter agit, ac proinde nihil ad rationem Sacramenti deest, scilicet: neque materia, neque forma, neque Minister, neque persona, cui Sacramentum confertur, nihilque contrarium institutioni Christi reperitur. Licet ergo graviter peccent, quia eidem personæ bis materiam, ac formam Sacramenti applicant, Sacramentum tamen perficitur. Neque tunc duplex erit Baptismus, quia licetsi duplex materia, ac forma, duo sint Ministri, fed una persona, cui materia & forma applicatur, & in qua Sacramentum perficitur. Magna quoque est discrepantia, inter duos baptisantes in secundo, & tertio casu, quia in secundo casu agunt ut causæ partiales, atque effectum baptismi inter se dividunt, quia unus dependenter ab altero agit, quod Christi institutioni adversatur, tunc enim Christus, qui principalis effector est Sacramentorum, quasi dividitur, in hoc autem tertio casu, quilibet est totalis Sacramenti causa, cum quilibet seorsim, & independenter ab altero agat.

Quæres 4to: An liceat extra Ecclesiam baptisare?

Resp: Quando nulla urget necefsitas, vetitum est; extra Ecclesiam baptisare. Concilium Viennense fub Clemente 5to: statuit, *ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, fed duntaxat in Ecclesiis, in quibus funt ad hoc fontes fpecialiter deputati, aliquos, nisi Regum, vel principum liberi extiterint, aut talis necefsitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam accefsus haberi, audeat baptisare.* Id quoque in Rituali Romano præscribitur, ubi sic habetur: *Licet urgente necefsitate, ubique baptisare nihil impediat: tamen proprius Baptismi administrandi locus est, Ecclesia, in qua sit fons Baptismalis. Itaque necefsitate excepta, in privatis locis,*

nemo

nemo baptisari debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis deposcentibus. Sed quinam Principum nomine intelligi debeant, ambigitur, qua de re in Synodo Diæcesana Vilnensi, ſub Episcopo Brzostowski anno 1717. celebrata, hæc leguntur: *Innovamus omnium anteriorum Constitutionum rigorem, stricte prohibendo... ne infantes in ædibus privatis baptisentur...... Licet vero infirmitas Infantium attendenda sit, nec debilis ætas, mortis utriusque periculo obijcienda, advertendum tamen, ne eadem infirmitas obtendatur, quando de facto non est. Item licet prolibus Magnorum Principum, pro qualibus Regni Nostri Senatores accipiuntur, aliquod in hoc genere indulgeri soleat, non statim tamen hic Principum titulus, ad quosvis notabiliores, absque scitu nostro est extendendus, nisi forte ad proprios Ecclesiæ ſuæ Fundatores, & Collatores.*

In neceſsitatis autem casu, quemadmodum in Rituali Romano præmonitum habemus, ubique baptisare licet, hæc autem neceſsitas occurrit, non solum ex ratione infirmæ valetudinis infantis, ſed etiam ut habemus in Synodo Vilnensi ſub Episcopo Zienkowicz, anno 1744. celebrata, quando magnum hyemale præmit frigus, aut multum distat Ecclesia, ad quam ad baptisandum Infantem pergendum sit.

Extra prædictos casus, qui in privata Domo baptisat, graviter peccat, nisi habita expreſsa Episcopi licentia, ac permiſsione. Dum vero extra Ecclesiam à Sacerdote Baptismus administratur, cum solitis Cæremoniis perfici debet, nisi vita infantis periclitetur, quia ritus Baptismi, quos Ecclesia præscripsit, tanti momenti ſunt, ut nonnisi in casu impotentiæ, prætermitti debeant. Communis itaque usus, & ubique recepta praxis invaluit, ut quando in casu neceſsitatis confertur Baptismus, sine solitis id fiat Cæremoniis, non tamen sine aqua baptismali è Baptisterio accepta. Omiſsæ vero tunc Cæremoniæ, ſuppleri deinceps debent, quemadmodum in Rituali Romano præscriptum est.

Quæres 5to: Quid de Patrinis statuendum, ac tenendum sit?

Resp: 1mo: Ex perpetua Ecclesiæ praxi, vim legis habente, quæ ab Apostolica emanat traditione, in solemni Baptismi administratione, ſub mortali adhiberi debent Patrini, sive una Mulier, aut Vir, sive duo, ut nunc moris est, Mulier scilicet & Vir. Concilium vero Tridentinum Seſs: 24. Cap: 2. præscripsit, ac mandavit, ut non

plures

plures ad officium Patrinorum admittantur, quam duo, Vir & Mulier. Et id etiam demandat Rituale Romanum, hoc adjecto, ut pro Patrinis simul non admittantur duo Viri, aut duæ Mulieres, neque baptisandi Pater aut Mater. Sive autem infans baptisetur, sive adultus, Patrini adhiberi debent, quia ipsi adhibentur non propter corporalem baptisandi imbecillitatem, ſed propter ſpiritualem, quæ etiam in Adultis recens ad fidem conversis, non mediocris reperitur.

In privata autem baptismi collatione, Patrini non omnino prærequiruntur, quia id nullibi præceptum, aut præscriptum est, & in Cæremoniarum ſuppletione, quæ urgente neceſsitate prætermiſsæ ſunt, poſsunt, & debent adhiberi.

2do: Sed non omnes promiscue ad officium Patrinorum admitti debent, verum illi solum aſsumi, & admitti ad id debent, qui Patrinorum officia & noſse possunt, & adimplere valent. Unde ab hoc munere arcendi ſunt. *1mo*: Infideles, Hæretici, moribus infames, nullius religionis. *2do*: Stupidi et ignari, qui doctrinam Christianam ignorant, ejus præcipua Capita nesciunt, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, atque Decalogum, ac Ecclesiæ præcepta non callent. *3tio*: Tandem illi omnes Patrini eſse nequeunt, qui propter rationis, scientiæ, atque ætatis imbecillitatem, alios instruere, eorumque curam gerere nequeunt.

3tio: Plura autem ſunt, & gravia Patrinorum officia, scilicet debent Patrini. *1mo*: Eos, quos de sacro fonte ſuscipiunt, diligere tamquam filios, Filiasque ſuas spirituales. *2do*: Pro iis ſuppliciter Deum præcari. *3tio*: Sedulo invigilare ut christiane à suis Parentibus instruantur, eorumque, si moriuntur, vel huic officio desint, vices hoc in puncto ſupplere tenentur. *4to*: Curare, ut ſuo tempore, Sacramento Confirmationis initientur, ac omni via efficere, ut id, quod in Baptismo spoponderunt, plene exequantur.

Quæres. 6to. Quantum attinet Baptismi administrationem, quæ Parochus præstare, & adimplere debet?

Resp: Hæc præcipue: *1mo.* docebit populum, ut in Patrinorum delectu, pietatis potius, quam alterius cujusque commodi, sive emolumenti, habeat rationem, ita: ut ij præ ceteris eligantur, qui liberorum animæ magis consulere, quam qui inopiæ ſubvenire poſsit. *2do.* càvebit ne baptisandis imponantur nomina Ethnicorum. Quin, & cavendum

vendum, ne affectentur nomina Sanctorum veteris Testamenti, præsertim, ubi frequens est cum Hæreticis conversatio, & proxima vicinitas, qui, quia novæ legis Sanctos dedignantur, ad Abraham, veteresque Patriarchas recurrunt. *3tio.* docebit Patrinos, quam cognationem contrahant cum baptisando, ejusque Parentibus, ne ignorantia postea se excusent. *4to.* monebit quoque Matres, ac Nutrices, & aliis quibuscunque graviter inculcabit, ne cum infantulis ante completum illorum annum in eodem lecto decumbant, propter periculum suffocationis, unde semper hoc, etiam secluso malo effectu, gravem habere videtur noxam, in iis præsertim, qui inquiete dormientes, quoquo versum se movent. Sed tamen talis cubatio, culpa carere potest, si vg. lectus sit latus, & infans implacabilis, & mulier in somno suum retinere soleat situm, & locum, quod per rarum est, ac proinde semper id prohibendum est. *5to.* tandem juxta præscriptum Ritualis Romani, debet Parochus, in libro Baptisatorum, deligenter describere nomina baptisati, ejusque Parentum, atque Patrinorum. Item, quo anno, annique mense, ac die natus, & quo, baptisatus fuerit, denique utrum ex legitimo, an ex illegitimo Matrimonio progenitus sit.

Quæres 7mo. Qui sunt baptisandi?

Resp: Omnis vivens homo baptisari potest, ac proinde non solum Adulti, sed & Infantes baptisari posſunt, ac debent. Neque baptismus Infantium diu differendus est, propter periculum tenellæ ætatis, & quia inopinatis casibus ex hac vita plurimi rapiuntur. Verum parvuli in sinu materno penitus delitescentes, ac prorsus absconditi, baptisari nequeunt, quod expresse in Rituali Romano cautum est, his verbis: *Nemo in utero Matris clausus baptisari debet*, quia qui totus in utero matris latet, aqua nulla in parte ablui potest, nisi autem Infans aqua abluatur, baptisma valere nequit. Neque tamen licet Matrem statim morituram secare, & aperire, ut extractus infans baptisetur, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Postquam vero gravida mulier mortua fuerit, secari caute, & aperiri debet, ut proles baptisetur, nisi certo constet, hanc jam extinctam esse.

Quæres 8vo. Quid de Monstris sentiendum est?

Resp: 1mo. Monstra, quæ sunt Mulierum partus, si certo humanam speciem excludunt, baptisari non debent, si humanam speciem, certo præferunt, baptisari debent, si tandem dubium sit, an humanam speciem retineant, res

est

est bene ponderanda, atque examinanda, judicium vero præsertim ex capite ſumendum est, quod rationis, & ſenſuum ſedes æstimatur. Si igitur caput humanum est, vel humano propius, baptisari illud oportet, licet membra fuerint ferina, si autem ferinum fuerit caput, cetera vero membra humana, tunc si ex viri & feminæ congreſsu prodierit, baptisandum est conditionate, propter dubium an sit homo, sin vero prodierit ex femina & bruto, non poterit baptisari, quia non est conceptum ex ſemine virili.

2do. Monstra, quæ ex homine & fera prodierunt, & in præcipua ſui parte, humanam præferant ſpeciem, iis ſub conditione Baptisma est conferendum, quia ſatius est, decem Baptismi incapaces baptisare conditionaliter, quam unum capacem à Baptismo excludere. Licetsi vero omnino, vel fere omnino inauditum sit, quod ex congreſsu hominis & feræ natus sit homo, id tamen non est prorsus impoſsibile.

Quodsi Monstrum, undecunque natum sit, postquam creverit, Baptismo omnino repugnet, examinandum est, utrum hæc repugnantia â libera procedat voluntate, an non à dæmone proveniat. Si *1mum*: negandum est Baptisma, quia nolenti dari non potest. Si *2dum*: dari debet, quia malitia dæmonis obstare non debet, ne cuipiam de remedio, ad ſalutem neceſsario provideatur.

Si gemelli sibi adinvicem adnati ſunt, ſeorsum uterque, absolute baptisandus est, quia non unus, ſed duo ſunt homines. Si etiam monstrum, duo capita, & duo pectora gerat, duplici absolute donandum est baptismate: licetsi reliqua membra simplicia fuerint. Sed si duo quidem capita habuerit, ſed unum tantum pectus, in uno capite ſemel baptisandum est absolute, in altero rursum, ſub conditione: *Si non es baptisatus, ego te baptiso*: quia in priori casu, ubi præcipua hominis membra duplicantur, duo reputantur homines, ubi vero, veluti in ſecundo casu, non duplicantur, dubium est, an unus, an plures sint homines. Quare si urgeat periculum, in primo casu dicendum est simpliciter: *Ego vos baptiso*: in ſecundo addendum est, *in quantum capaces estis.*

Quæres 9no. Amentes, & furiosi poſsuntne baptisari?

Resp: Amentium, ac furiosorum alii ſunt à nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, & de talibus quantum ad baptismi ſusceptionem, videtur, idem eſse judicium, ac de pueris, qui baptisantur, licetsi usu ratio-

nis

nis careant. Alii vero ſunt amentes, ac furioſi, qui ex ſana mente, quam habebant prius, in amentiam, ſeu furorem inciderunt, & tales judicandi ſunt, ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis existerent, & ideo, si tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi baptismum, debet eis conferri, in furia etiam, aut amentia constitutis, etiamsi actu contradicant, si vero nulla voluntas ſuſcipiendi baptismum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſsent, non ſunt baptisandi. Quidam vero ſunt, qui etsi â *nativitate* fuerint furioſi, aut amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, unde, si tunc baptisari voluerint, baptisari poſsunt, etiam in amentia constituti, & debet eis tunc Sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioqui, melius est, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc, quod devotius ſuſcipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli, non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi baptismum, baptisari non debent in amentia, vel furia constituti. Quidam vero ſunt, qui etsi non omnino ſanæ mentis existant, in tantum tamen ratione valent, quod poſsint de ſua ſalute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem, ac de talibus idem sit judicium, sicut de his, qui ſanæ mentis existunt, qui baptisantur cum volunt, ſed inviti baptisari non debent. Tota hæc doctrina est S. Thomæ Doctor: quæst: 68. art: 12.

Quæres 20mo. Quid de liberis Infidelium tenendum sit?

Resp: Hæc certa ſunt: *1mo.* infidelium liberos, qui olim fidem Christianam profeſsi ſunt, ſed ab ea defecerunt, poſse etiam invitis Parentibus baptisari, quia per ſuam apostasiam non desinunt ſubjacere Eccleſiæ. *2do.* si liberi Infidelium rationis usum habeant, & baptismum ſponte petant, non obstante Parentum contradictione, poſsunt baptisari, quia in iis, quæ ſalutem æternam consequendam ſpectant, ſui ſunt juris. In dubio: an puer, qui baptismum expetit, rationis usum aſsecutus sit, judicandum est in favorem illius; si ſeptennium compleverit, baptisandus est, imo etiamsi ſeptennium non compleverit, & periculum immineat aut mortis; aut ne postea baptisari non poſsit, baptisandus est. *3tio.* si alterutrer Parentum, sive Pater, sive Mater, alio reluctante infantem ad baptismum offerat, baptisandum eſse, quia id & infanti, & religioni favorabilius est. Imo: si mortuo Patre, infantem Avus ad Baptismum offerat, potest baptisari, licetsi Mater ipsius contradicat. Quia mortuo Patre, in Avum cura nepotum devolvitur. Et ita Gregorius 13. statuerat. *4to.* infantes

qui

qui jure, sive injuria à parentibus infidelibus avulsi, tam procul ab ipsis distant, ut jam eorum curæ subjacere non posſint, baptisari quoque posſunt, quia paterna jura, quæ jam à Parentibus exerceri non valent, ad eos transierant, qui actu illorum curam gerunt, iis ergo uti posſunt in bonum infantibus maxime salutare. 5to. tandem infantes infidelium de quorum vita moraliter desperatur, sine consensu Parentum baptisari posſunt, quia tunc sic consulitur saluti infantium, ut Parentes non offendat, quare instante periculo mortis non solum inseiis, sed & invitis Parentibus infans baptisari poterit. Curandum tamen, ut id sine contumelia eorum fiat. Quodsi infans invitis, aut insciis Parentibus infidelibus baptisatus supervixerit, & adolescat, abstrahendus est à Parentibus, ut in fide Christiana erudiatur. Extra hos casus infidelium infantes, invitis Parentibus baptisare non expedit, quamvis nonnulli non ignobiles Theologi probabiliter teneant, licitum esse Sacerdoti, quoscunque infidelium Infantes, omnino insciis eorum Parentibus baptisare, quia timor futuræ, dum ad annos discretionis pervenerint, perversionis, qui hic moram injicere potest, utcunque compensatur probabili spe mortis, ante adeptum usum rationis, ac ante subsecutam subversionem, cum experientia constat ex natis infantibus antequam usum rationis consequantur, longe plures mori, quam supervivere, tamen, quia communi praxi adversatur, non facile est sequendum.

Quæres 2do. Quæ requiruntur, ut adultus digne, & cum fructu Baptismi Sacramentum recipiat?

Resp: In adulto ad digne & fructuose recipiendum Baptisma, præter intentionem requiruntur, fides, dolor de commisſis antea peccatis, spes veniæ, inchoatus Dei amor, atque propositum servandi Christi legem, atque fugiendi præteritæ vitæ peccata, sincere illa detestando. Non tamen præmittenda est Baptismo, Confesſio, quia necdum baptisatus, Sacramentalis absolutionis incapax est. Quare adulti antequam ad Baptismum admittantur, non solum diligenter instruendi sunt, sed etiam in pietate exercendi.

ARTICULUS 3tius

De proprietatibus, & effectibus Baptismi.

Quæres 1mo. Quæ sunt præcipuæ Baptismi proprietates? *Resp:*

Resp: Præcipuæ Baptismi proprietates sunt: unitas, & necessitas. *Unitas*, quod nimirum semel tantum conferri debeat, & iterari non possit, unde dixerat Apostolus Epist. ad Ephes: Cap: 4to. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Necessitas* vero, quia juxta Christi oraculum Joan: Cap: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde sequitur, Baptismum esse necessarium necessitate medii, quia eo, etiam inculpabiliter omisso, salus obtineri non potest, quare Infantes quamquam sine ulla sua culpa non baptisati, dum sic moriuntur, regnum cælorum non consequuntur. Verum baptismus potest esse ad salutem necessarius vel in re, ut scilicet actu & reipsa suscipiatur, vel in voto, seu desiderio, cum nimirum, quia actu & reipsa suscipi non potest, ipsius ardens habetur desiderium. Potest etiam Baptismus esse ad salutem necessarius, vel pro omni casu, cum nihil est, quod vices ipsius supplere possit, vel non pro omni casu, cum aliquid est, quod vices ipsius supplere potest.

Quæres 2do. Quibus, & quomodo baptismus est ad salutem necessarius?

Resp: Baptismus in re parvulis omnibus est ad salutem necessarius, necessitate medii, quia sine eo, etiamsi inculpabiliter prætermittatur, salvari nequeunt. Adultis etiam est pariter necessitate medii ad salutem necessarius, sed in re vel in voto. Quare in iis Baptismum aquæ supplet ardens illius desiderium. Cum itaque Adultus reipsa, aqua baptisari nequit, si habeat ardens Baptismi desiderium, & perfectam de peccatis suis concipiat contritionem, salvari potest, quia juxta Concilium Tridentinum: contritio charitate perfecta inflammata, in omni casu hominem justificat, & Deo reconciliat. Martyrium quoque tum in Adultis, tum etiam in Infantibus Baptismi vices supplet, unde per Martyrium æque, ac per Baptismum aquæ, & infantes & adulti sanctificantur, ac salvantur, quare semper Ecclesia quoscunque Martyres sive baptisatos, sive non baptisatos, veluti Sanctos coluit, ac venerata est.

Quæres 3tio. Utrum Baptismus iterari possit?

Resp: Baptismus semel tantum eidem homini valide conferri potest, & iterari nequit, quia indelebilem imprimit characterem. Unde Concilium Tridentinum Sess: 7: Can: 11. decrevit: *Si quis dixerit verum & rite collatum Baptismum, iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi*

ati negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit, quare gravifsimi peccati rei funt, qui propter temporale emolumentum, bis, aut ter etiam baptisantur.

Quæres 4to: Quid facto opus sit, quando circa Baptismum dubium occurrit?

Resp: Circa Baptismum occurrere potest dubium vel *negativum*, cum nulla funt indicia, ex quibus colligi pofsit, quempiam fuifse baptisatum, vel *positivum*, cum paria in utramque partem militant argumenta, & hoc dubium vel *juris* est, si æque dubitetur, valeatne Baptismus tali modo collatus, an non. aliud *facti*, si incertum sit, an huic collatum fuerit Baptisma, vel non.

Igitur *1mo:* in dubio negativo, cum plane nescitur an infans, vel adultus baptisatus fuerit, Baptisma est conferendum, ratio siquidem ipsa dictat, providendum efse æternæ faluti hominum, omni meliori modo. quo fieri potest, sine injuria Sacramenti. Porro nulla injuria Baptismi Sacramento irrogatur, dum, quia plane nescitur utrum collatus fuerit, fub conditione confertur.

2do: In positivo etiam sive juris, sive facti dubio. baptisandi funt fub conditione, tam adulti, quam infantes. Quia regula universalis est ista: *In dubio tutior pars est eligenda*, quæ maxime in hoc casu locum habet, propter fummam Baptismi necefsitatem. Hinc baptisandi funt infantes expositi, etiamsi ante aliquot menses nati sint, & fchedulam testem fui Baptismi ferant, quia neque ætas aliquot mensium dubium tollit, cum quispiam infidelis post annum etiam, prolem fuam exponere potest. & ad crimen fuum occultandum diu, fæpe parvulorum Baptisma differat, neque etiam Schedula ab incertæ fidei homine exarata, haberi potest pro teste certifsimo, & indubitatæ fidei, qui moralem certitudinem collati Baptismatis parere pofsit. Aliud est, si certa habeatur notitia personæ, â qua Schedula exarata fuit, & quæ plenam meretur fidem, aut etiam aliunde desumatur indubitatum indicium collati Baptismi.

Baptisari quoque debent infantes ab Obstetricibus baptisati, dum vel convincuntur nulliter baptisafse, quia aliquid ad Baptisma omniro necefsarium prætermiserunt, immutarunt, vel interrogatæ de modo, quo Baptismum contulerunt, firme, constanter, & uniformiter non respondent, tunc enim propter illarum vacillationem, & relationis variationem, infans fub conditione iterum baptisandus est.

Verum

Verum gravis est inter Theologos controversia, utrum ſemper & indiscriminatim, à quacunque obstetrice baptisatus infans, ſub conditione iterum baptisari debeat. Alii quidem infantem ab obstetrice pia, bene instructa, & quæ in baptisando plene ſui compos fuerit, baptisatum, sine gravi peccato iterum baptisari non poſse, existimant. Alii, quantum ad Baptismum nulli fæminæ credendum eſse putant, quia experientia compertum est, ex Obstetricibus non paucas repertas fuiſse, quæ diu pro timoratis, & prudentibus habitæ ſunt, cum tamen neutram laudem mererentur, & quæ bona etiam fide crediderunt se ritum Baptismi conferendi callere, eumque hic & nunc à se rite collatum fuiſse, jurejurando affirmabant, tandem aliquando confeſsæ ſunt, se hoc vel illud permutaſse, aut præteriiſse, sine quo Baptismus stare non potest, denique cum ſæpe Obstetrices ob rugitus & periculum matris, atque etiam prolis, ita perturbentur, ut vix ſui compotes sint, & sic, non semel etiam hausto aliquoties Cremato baptisent, non verentur tamen mendaciter dictitare, se animo fuiſse præsenti, ac pacato, omniaque in baptisando, rite perfeciſse, ac propterea à quacunque obstetrice baptisatum, iterum ſub conditione baptisandum eſse. Verum hæc utraque opinio temperanda est atque statuendum. *1mo:* Baptisatum ab Obstetrice non eſse iterum baptisandum, nisi prius diligenter examinentur omnia, quæ ad rite conferendum pertinent Baptismum, utrum videlicet omnia ex ordine, ſervata atque perfecta sint, quare, qui sine prævio examine, re minime attenta, inconsiderate & præpropere, infantem jam ab Obstetrice baptisatum, cum nullum occurrit de valore Baptismi dubium, iterum, etsi ſub conditione baptisant, peccant, nisi forte periculum mortis adeo urgeat, ut desit tempus rem examinandi, ac trutinandi. *2do:* Infantem à quacunque Obstetrice baptitatum, ſemper ſub conditione baptisandum eſse, quoties desunt testes fide digni, qui nihil ad Baptismum neceſsarii, ab ipsa omiſsum fuiſse, confirment. Quia si in alia quavis, longe inferioris momenti materia testis unus, testis est nullus, non est quod in re præsenti, quæ maximi est momenti, testificatio unius Mulieris plenam fidem faciat. Et hæc decisio magis locum habet, quando Obstetrix, non est exploratæ probitatis, aptitudinis, & scientiæ, præterea timida, perturbari facilis, huic muneri non aſsveta, inebriari solita. Neque tamen ei, qui post viginti annos rescire incipit, se infantem domi baptiſatum ab Obstetrice fuiſse, satagendum

erit

erit, ut denuo ſub conditione baptisetur, quia Adulti, qui se ab Obstetricibus baptisatos eſse detegunt, debent ſupponere Baptisma ſuum, à Parocho diligenter examinatum fuiſse, qui proinde vel illud validum reperierat, vel si dubium eſse cognoverat, illud ſub conditione repetiit.

Quæres 5to: Qui ſunt effectus Baptismi.

Resp: Baptismi effectus ſunt *1mo:* characterem in Anima baptisati indelebilem imprimit. *2do:* Tollit omne peccatum, non solum originale, ſed et actualia quæcunque, ac proinde confert gratiam, qua homo interius ſanctificatur. *3tio:* Tandem omnem pœnam peccatis debitam remittit.

CAPUT SECUNDUM

De Sacramento Confirmationis.

Quæres: Quid sit Confirmatio?

Resp: Confirmatio est Sacramentum, à Christo Domino institutum, quo baptisatis datur gratia, & robur Spiritus Sancti, ad fidem Christi firmiter tenendam, & constanter profitendam.

ARTICULUS 1mus

De materia, forma, ac Ministro Confirmationis.

Quæres 1mo: Quæ est materia Sacramenti Confirmationis?

Resp: Sacramenti Confirmationis materia eſsentialis & adæquata, est manuum impositio, & chrismatis unctio. Quia ſemper in Ecclesia Catholica, hoc Sacramentum per manuum impositionem, & chrismatis inunctionem conferebatur.

Impositio autem manuum est illa, quæ statim à principio Confirmationis fit, dum Episcopus extensis versus confirmandos manibus, orat Spiritum Sanctum ſuper eos invocando, & in Pontificali præscriptam recitat orationem: *Omnipotens sempiterne Deus*, quæ chrismatis unctionem præcedit. Huic ergo orationi omnes confirmandi præ-

sentes

sentes eſse debent, & nemo chrismatis unctione donari debet, nisi huic manuum impositioni, atque orationi præsens adfuerit, quare qui Episcopo Confirmanti aſsistunt, ſatagere debent, ut cum hæc prima oratio ab ipso recitanda est, cui manuum impositio, ſeu versus confirmandos extensio annexa est, jam animo, & corpore præsentes sint, quotquot illico chrismate inungendi ſunt, ceteri vero extra Ecclesiam, aut Capellam foribus occlusis maneant, donec finita ab initio usque ad finem priori cæremonia, de novo à principio in ipsorum gratiam inchoetur. Ex quo manifeste consequitur, quodsi aliqui chrismate ungantur, qui priori orationi præsentes non fuerint, hæc ſuper ipsos ab Episcopo recitetur, quia ex usu, & præcepto Ecclesiæ, quod in Sacramentorum administratione incaute omiſsum est, caute ſuppleri debet.

Unctio vero ut rite, ſecundum Christi institutionem, & Ecclesiæ præscriptum fiat, debet eſse cum Chrismate, ab Episcopo benedicto, atque in fronte confirmandi, ad formam crucis, cum verbis in Pontificali præscriptis. Chrisma autem confici debet, ex oleo olivarum, cui balsamum adjungi debet.

Quæres 2do: Quæ est forma Confirmationis?

Resp: Forma Sacramenti Confirmationis est oratio, quæ præcedit unctionem, & quæ in Pontificali præscripta, incipit: *Omnipotens ſempiterne Deus:* qua Spiritus ſanctus ſupra confirmandos invocatur, & cui manuum impositio, sive extensio annexa, atque etiam verba, quæ Chrismatis unctionem comitantur: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Quæres 3tio: Quis sit Minister Confirmationis?

Resp: Sacramenti Confirmationis Minister ordinarius est Episcopus, extraordinarius vero est Sacerdos, qui proinde ex delegatione, & facta sibi permiſsione, Sacramentum Confirmationis conficere potest, unde hodie etiam Præsbyteri ritus Græci, valide & licite Sacramentum Confirmationis conficiunt, quia id eis ab Ecclesia permiſsum, atque conceſsum est, quod constat ex Synodo Zamoysciana anno 1720. celebrata, à ſede Apostolica confirmata, in qua hæc leguntur. *Sacramentum Confirmationis à Christo Domino institutum, quod Parochi in Ecclesia Orientali extraordinario jure, & delegata ab Episcopo facultate, ex Apostolicæ ſedis dispensatione, statim post Baptismum administrare ſolent, in genere visibilium signaculorum, ſa-*

crosanctum est. Hæc autem concefsio, atque delegatio, ut simplex Sacerdos pofsit Sacramentum Confirmationis administrare, ex usu & praxi hodie ab universali Ecclesia acceptata, nonnisi à Romano Pontifice concedi potest, atque adeo est necefsaria, ut sine illa simplex Sacerdos, si Sacramentum Confirmationis conficeret, nihil efficiet, & Sacramentum nullum erit. Quare cum in Synodo Zamoysciana Parochis ritus Græci, fevere iniunctum sit; ne audeant infantes ritus Latini, quos sive necefsitate cogente, sive proprio Parocho permittente, baptisaverint, Confirmationis Sacramentum conferre, manifeste consequitur, ritus Latini infantes à Præsbyteris ritus Græci confirmatos, nulliter hoc Sacramentum recepifse, quia ad illud conferendum, nullam facultatem, concefsionemque habuerunt, ac proinde ab ipsis confirmatos, iterum confirmandos efse, sic enim in prædicta Synodo titulo de Baptismo, statutum est: *Si acciderit, ut ritus nostri Presbyter, Infantem Latini ritus, vel necefsitate impellente, vel proprio Parocho permittente, baptisaverit, præcipit S. Synodus, ut ipsi Sacramentum Confirmationis non conferat, fed lecto Evangelio, à reliquis facris cæremoniis abstineat,* quæ nimirum jam ad Sacramentum Confirmationis ordinantur. Cum itaque Sacramentum Confirmationis, à simplici Præsbytero, sine delegatione, & concefsa ad id ipsi facultate, collatum, nullum sit, & Præsbyteri ritus Græci, ad confirmandos infantes ritus Latini, nullam habeant delegationem, neque concefsam sibi ad id facultatem, imo fevere id ipsis prohibitum sit. Nullum est ergo, ab ipsis, Latini ritus infantibus, collatum Confirmationis Sacramentum. Unde etiam; cum Clemens 8. & Benedictus 14. prohibuifsent Præsbyteris Italo-Græcis, ne baptisatos à fe Chrismate consignent, deinceps ab eodem Benedicto 14. Constitutione quæ incipit: *Etsi Pastoralis.* constitutum est: *ut si Episcopus Latinus, ex dispensatione Apostolica, Græcum aliquem ordinaverit, qui à Præsbytero Græco in Italia, vel adjacentibus Insulis fuerit baptisatus, nec constet illum ab aliquo Episcopo, sive Latino, sive Græco, Chrismate infronte fuifse consignatum, debet nimirum illum antea absolute confirmare, fub conditione autem, si verisimiliter dubium efse pofsit, an ab Episcopo Græco fuerit baptisatus.*

Quæres 4to: Quibus Sacramentum Confirmationis conferri pofsit?

Resp: Sacramentum Confirmationis folis baptisatis, con-

conferri potest, quia cum Baptismus janua sit omnium Sacramentorum, nondum baptisati, Confirmationis capaces non sunt. Posset autem absolute hoc Sacramentum conferri etiam infantibus, qui necdum usum rationis assecuti sunt, quia constat per duodecim sæcula, eos in utraque Ecclesia Latina scilicet, & Græca confirmari consvevisse, & hodie adhuc apud Græcos, infantes statim ac baptisati fuerint confirmantur. Attamen in Ecclesia Latina, hoc Sacramentum usque ad annos discretionis differtur, ut videlicet confirmandi, melius hoc Sacramentum intelligentes, & fructiosius illud percipiant. Ex ordinaria autem regula, conferendum est hoc Sacramentum, post completum vitæ septennium, sed in aliquo extraordinario casu, urgente causa, non vetatur, quin possit etiam ante eam ætatem, ministrari. Justam vero adesse causam constat, si facilis non sit, ad illos postea confirmandos, Episcopi adventus.

Potest etiam Confirmationis Sacramentum ministrari, sive perpetuo amentibus, quia infantibus æquiparantur, sive iis qui aliquando lucida habuerunt intervalla, modo dum sanæ mentis essent, aliquam hujus Sacramenti recipiendi habuerint intentionem, quæ præsumi debet, ubi nulla in contrarium in eis apparuit voluntas, & illud aliquo modo ipsis notum erat, nisi forte statim post grave aliquod commissum scelus, in amentiam inciderint, tunc enim non reputantur esse in statu gratiæ, qui, ad digne hoc Sacramentum recipiendum, prærequiritur.

Quæres 5to: Quæ requiruntur dispositiones ad digne, & fructuose recipiendum Confirmationis Sacramentum?

Resp: Sequentes prærequiruntur dispositiones 1. status gratiæ, ideoque præmittenda est confessio ab iis, qui mortalis peccati rei sunt. 2. cum ex hodierna Ecclesiæ praxi, ad annos discretionis hoc Sacramentum differatur, ut plenior ex eo fructus percipiatur, necesse; ut præter statum gratiæ, in confirmandis excitetur prompta, & devota erga hoc Sacramentum animi affectio, unde habere debent explicitam mysteriorum fidei, ac obligationum, quas in Baptismo contraxerunt, notitiam, & cognitionem. Quæ enim pro ipsis infantibus spoponderunt in Baptismo Patrini, hæc ipsi jam adulti, sponte in Confirmatione amplecti debent, & mediante Spiritus Sancti gratia exequi, polliceri debent. 3. debent ora sua in ferventes orationes aperire, ut in se Spiritum Sanctum attrahant, nam & ipsis Apostolis ante illapsum Spiritum Sanctum jussit Christus, ut post suam Ascensionem, è cænaculo non egrederentur,

ac cælestibus vacarent, donec virtute ex alto induerentur.

ARTICULUS 2dus

De proprietatibus & effectibus Sacramenti Confirmationis.

Quæres 1mo: Qui ſunt éffectus Sacramenti Confirmationis?

Resp: Effectus Sacramenti Confirmationis ſunt 1. gratia, quam producit, estque gratia ſpecialis, atque huic Sacramento propria, corroborans ſcilicet, ac perficiens in fide, ad illam constanter tenendam, intrepide confitendam, & Sancte in bonis operibus exercendam, atque; ut hæc omnia facilius, ac promptius exequantur, cum multæ gratiæ neceſsariæ sint, ad illas obtinendas, atque aſsequendas, jus tribuit confirmato. 2. characterem indelebilem animæ imprimit, quare iterari nequit.

Quæres 2do: Quæ ſunt Confirmationis proprietates?

Resp: Est quidem Confirmationis proprietas, quod ipsa iterari nequeat, ſed hic maxime ſpectatur ejus neceſsitas. Et quidem; Sacramentum Confirmationis non est ad ſalutem neceſsarium, neceſsitate medii: quia si inculpabiliter omittatur, & ipsa minime recepta quis moriatur, uti re ipsa longe plures sine ea moriuntur, ſalvari potest. Qulibet tamen, tenetur eam recipere, cum illam recipiendi opportunitatem habet, & id Christus præcepit, cum hoc Sacramentum instituerit, tamquam medium ordinarium, atque efficacisſimum, quo homo in fide per Baptismum recepta, perficiatur, atque contra carnis, mundi, ac diaboli tentationes roboretur. Unde ex unanimi doctrina SS. Patrum oportet, ac neceſse est, ut baptisati ſacro Chrismate perungantur, quare Sacramentum Confirmationis, etsi non sit ad ſalutem neceſsarium neceſsitate medii, est tamen neceſsarium, neceſsitate præcepti, quia graviter à Christo & ab Ecclesia est præcepta. Hinc S. Petrus Damiani Serm: 1. de Dedicat: Eccles: sic inquit: *Decretales paginæ, & SS. Patrum instituta decernunt, non eſse differendam post Baptismum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat, fraudulentus ille tentator.* Peccant igitur graviter, qui cum habeant opportunitatem ſuscipiendi Confirmationis Sacramentum, quia illud prope, vel etiam in eodem ubi commorantur loco, administrat Epi-

scopus, nec unum quidem pasſum decurrunt, ut illud ab eo recipiant.

Quæres 3tio: Quæ in conficiendo Sacramento Confirmationis adhiberi ſolent cæremoniæ?

Resp: In conficiendo Sacramento Confimationis variæ adhiberi ſolent cæremoniæ, antiquitate venerandæ, significatione ſacræ, quæ in Pontificali describuntur. Patrini quoque quemadmodum in Baptismo, hic etiam adhibentur, ſed unum dumtaxat, pro uno quoque masculo, Patrinum, & unam, pro singulis fæminis Matrinam, adhibere oportet. Confirmationis autem Patrinus ac Matrina distincti eſse debent, à Patrinis Baptismi, nisi neceſsitas aliud postulet, ipsique jam confirmati eſse debent, alias Patrinorum officium in Confirmatione, exercere non poſsunt. Patrini, qui in Confirmatione adhibentur, æque ac in Baptismo, ſpiritualem contrahunt cognationem, ſed ex dispositione Concilii Tridentini Seſs: 24. Cap: 2. de reform: nonnisi cum confirmato, ejusque Patre, & Matre, modo tamen ipsi Patrini sint confirmati, quia alioqui nec vere Patrini eſse valent. Si autem unus tantum, ut alicubi fit, pro omnibus maribus admittatur Patrinus, aut una pro omnibus fæminis Matrina, ii cum omnibus confirmatorum Patribus, ac Matribus, atque cum ipsis confirmatis, ſpiritualem contrahunt cognationem.

TRA-

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, & MISSÆ SACRIFICIO.

Eucharistia Sacramentum est, & Sacrificium. Sacramentum quidem, quia gratiam digne ſuscipientibus confert. Sacrificium vero, quia Corpus & ſanguis Christi, vere Deo pro nobis offertur.

CAPUT PRIMUM

De Sacramento Eucharistiæ.

Quæres. Quid sit Eucharistia?

Resp: Eucharistia, est Sacramentum corporis, & ſanguinis Christi, ſub ſpeciebus panis & vini, ad ſpiritualem fidelium alimoniam, à Christo institutum. Est igitur in Eucharistia vere & realiter, præsens Corpus & Sangnis Christi, ſub Speciebus panis & vini abſconditum, & delitescens. Tamdiu ergo in Eucharistia post panis & vini consecrationem, manet præsens Corpus & ſangvis Christi, quamdiu integræ manent ſpecies panis & vini, quod si corrumpantur, statim Corpus, & ſanguis Christi desinit præsens eſse. Quale autem temporis intervallum neceſsarium sit, ut ſpecies Eucharistiæ corrumpantur, incertum est. Rituale Romanum, titulo de Sacramento Eucharistiæ monet, ut Sanctiſsimæ Eucharistiæ particulæ frequenter renoventur. Communis fert praxis, ut post duas Hebdomadas renoventur, veteribus, ſcilicet à Sacerdote intra Miſsæ celebrationem consumptis, novæ particulæ consecrentur. In stomacho autem, à ſumente Eucharistiam, minor particula, qualis, pro communione Laicis datur, ſexagesima horæ parte, ſeu uno minuto censetur corrumpi, major vero, qualis à Sacerdotibus ſumitur, una cum vini ſpeciebus, in ſemiquadrante alteratur. Quia vero hoc fallere potest, ca-

vendum est, ne Laici ante horæ quadrantem, & Sacerdos, qui Eucharistiam receperunt, ante mediæ horæ tempus ad vomitum se provocent. Nec nimium erit horæ totius spatium iis, qui vel desidem habent stomachum, vel ex pituita, seniove languentem. Præscribit quoque Rituale Romanum, ut moneantur communicantes, quatenus sumpto Sacramento, non statim expuant, ne scilicet Sacramenti species de ore decidant. A sputis igitur ejiciendis, aliquo tempore abstinendum est, maxime quando dubium est, an aliqua hostiæ particula, gingivis, aut palato adhæreat, & si reipsa adhæreat, nec ope linguæ possit, exsolvi, exsorbendum est aliquid aquæ, ut facilius in stomachum traiciatur. Si sputum exigat importuna necessitas, paulo post communionem, erit id emittendum vel in linteum, vel saltem in locum mundum.

ARTICULUS 1mus

De materia, ac forma Eucharistiæ.

Quæres 1mo: Quæ sit materia Eucharistiæ?

Resp: Quoniam Christus corpus suum in Eucharistia per modum Cibi, sangvinem vero, per modum potus, nobis dare voluerit, necessum est, ut alia sit materia ex qua corpus, & alia ex qua Sanguis illius conficiatur. Igitur materia ex qua conficitur Corpus Christi, est solus panis triticeus. Unde non conficeretur corpus Christi, si quis consecraret panem ex milio, lentibus, fabis, ex spelta, hordeo, aut siligine, avena, confecto. Quamvis enim, nonnulla ex his granis, tritici similitudinem habeant, atque aliquando triticum, in siliginem vertatur, hæc tamen omnia grana, reipsa â tritico differunt, & panis ex illis confectus, cum non sit vere panis triticeus, apta ad consecrandum corpus Christi, nequit esse materia. Quapropter, etiamsi die festo plebs non sit Missam auditura, aut æger sine viatico decessurus, non licet ad Eucharistiam consecrandam, uti materia, aut certo inepta, aut etiam dubia. Namque in conficiedis Sacramentis, materia dubia non licet uti nisi in extrema necessitate. Porro non est extrema necessitas, ut populus die festo Missam audiat, aut æger viaticum sumat, ergo tunc etiam, alio, præter triticeum, pane, ad consecrandam Eucharistiam non licet uti.

Debet autem panis iste triticeus. 1. esse purus & incor-

corruptus, quare Rubrica Miſsalis Romani, titulo de Defectibus sic habet: *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis, in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.* Secus si grani alterius admixtio, adeo modicæ sit quantitatis, ut panis inde confectus, morali hominum existimatione triticeus reputetur. Exigit tamen ſumma, quæ tanto Sacramento debetur reverentia, ut ex ſolo, eoque puriori tritico, panis Eucharisticus conficiatur. 2. debet eſse ex aqua naturali, & triticea farina compactus, & igne coctus, quia is ſolum est usualis, & proprie dictus panis. Unde si loco aquæ adhibeatur lac, mel, butyrum, aliique id genus liquores, exurget placenta, ſed non erit panis verus, nec proinde valida consecratio. Pariter si adhibeatur maſsa cruda, irrita erit consecratio, quia moraliter differt à pane, nec pro tali apud homines habetur.

Nihil tamen ad valorem consecrationis refert, an consecrandus panis hujus vel illius sit figuræ. Formæ tamen rotundæ adhiberi debet, eique ob Ecclesiæ præscriptum, adhærendum est.

Quæres 2do: Utrum valeat consecratio sive, in azymo, sive in fermentato pane?

Resp: Valet, quia & Latini in azymo, & Græci in fermentato pane valide Eucharistiam consecrant. Verum quilibet Ecclesiæ ſuæ consvetudinem ſequi stricte obligatur, & id in Concilio Florentino statutum est: *Sacerdotes in altari ipsum corpus Domini conficere debere, unumquemque ſcilicet: juxta ſuæ Ecclesiæ consvetudinem.* Græcus igitur in fermentato, Latinus in azymo, Eucharistiam conficere debet, alias graviter peccaret, quia grave Ecclesiæ præscriptum, in re gravi transgrederetur, siquidem in puncto tam notabili ritum Ecclesiæ ſuæ immutare gravis materia est, ideo ſevere ab Ecclesia prohibitum. Et hoc verum est, etiamsi Græcus inter Latinos, & Latinus inter Græcos existat, neque ibi ſui ritus inveniat Ecclesias. Quilibet enim, ubique, & ſemper in consecranda Eucharistia, Ecclesiæ ſuæ ritum ſervare, & ſequi tenetur. Quod etiam à Romanis Pontificibus Pio 5. & Benedicto 14. declaratum fuit. Quare, etiamsi populus die festo Miſsæ ſacrificio carere debeat, aut infirmus, sine viatico ex hac vita decederet non licebit, neque Græco Sacerdoti in azymo, neque Latino in fermentato celebrare. Quia bonum commune Ecclesiarum postulat, ut præscripti ritus observentur,

&

& aliunde neque infirmus ad ſuscipiendum viaticum, neque populus ad audiendum die festo ſacrum obligatur, nisi cum Sacrum celebrari potest, ſervatis Ecclesiæ ritibus.

Quæres 3tio: Quæ sit materia Calicis consecrandi?

Resp: Materia neceſsaria Calicis consecrandi est vinum ex vite. Quare ſucus, qui ex pomis, pyris, cerasis, malogranatis exprimitur non est materia ad consecrandum Calicem apta, quia etsi aliquam similitudinem vini habeant, non tamen ejus ſubstantiam. Debet autem vinum eſse. 1. usuale, quod per modum potus ſumitur. Unde vinum in uvis maturis, adhuc delitescens, aut in pane contentum, ac quasi à pane exhaustum, non est materia calicis, quia non habet rationem vini usualis. 2. debet eſse purum. Valide tamen consecratur mustum, ſeu vinum recens ex uvis maturis expreſsum, quia verum vinum est, id tamen nonnisi in neceſsitate fieri debet, quia impurum est, propter admixtas fæces. 3. incorruptum, quare acetum vinosum consecrari nequit, quia ex vini corruptione efficitur. Attamen vinum acescens, quod aliquid acetuosi contraxit, ſed ſuam necdum amisit ſubstantiam, valide quamvis illicite consecratur, quia est contra reverentiam Sacramenti. Unde Rubrica. Miſsalis Romani titulo de defectu vini sic habet: *Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, ſeu non maturis expreſsum, non conficitur Sacramentum. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expreſsum, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.* Nihil autem refert ad validam calicis consecrationem, an vinum sit hujus vel illius regionis, ſaporis, aut coloris. Quia quamvis varia vina exg. Gallicum, Hispanicum, Hungaricum, penes ſpeciem differre ſupponantur, horum tamen quodlibet est verum vinum de vite, ejusque eſsentiam participat.

Vinum autem gelu constrictum, & non resolutum est materia incerta, & consecratio ipsius dubia, unde si in hyeme congeletur, debet prius calore resolvi antequam consecretur. Quod si vinum post consecrationem gelu constringatur, consecrationem ſuam per hoc non amittit, & ideo præcipit Miſsale Romanum, ut ſpecies congelatæ liquefiant, & à Ministro deinceps ſumantur ut consecratæ.

Quæres 4to: Vino consecrando debetne aqua misceri?

Resp: Ex præcepto Ecclesiæ, & antiquiſsimo usu, vino consecrando aqua admisceri debet, id tamen non

est de necessitate Sacramenti, valetque consecratio, calicis, etiamsi vino aqua non fuerit admixta, unde Missale Romanum, aquam vetat vino admisceri, si jam peracta fuerit vini consecratio. Graviter tamen peccat Sacerdos qui aquam vino consecrando non admiscet.

Porro aqua vino consecrando immiscenda, ut inquit Eugenius 4. in concilio Florentino, *modicissima* esse debet, unde sufficit una gutta sensibilis, & Sacerdos advertere debet, ut major sit quantitas vini, quam aquæ, quia materia Calicis est solum vinum usuale. At tale non esset, si vinum aquæ non prædominaretur, tunc enim res illa mixta, non esset potius vinum, quam aqua.

Hæc autem mixtio aquæ vino consecrando fieri debet. 1. tempore Missæ & in sacro Calice, quia alioqui non esset cæremonia sacra. 2. ante oblationem Calicis, si tunc omissa fuerit, fieri debet ante illius consecrationem, post consecrationem jam fieri non debet, sic enim disponit Missale tit: de Defectibus: *Si celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Quæres 5to: Utrum utriusque speciei, panis scilicet & vini consecratio necessaria sit?

Resp: 1mo: Una species sine altera exg. panis sine vino valide consecratur. Christus namque in ultima Cæna prius panem consecravit, corpus suum effecit, illudque ad manducandum Discipulis porrexit, deinde vinum in sanguinem transmutavit, illudque ad bibendum dedit, & reipsa etiam Sacerdos celebrans prius hostiam consecrat, illamque adorandam populo proponit, deinceps super Calicem formam pronuntiat. Unius ergo speciei consecratio, ab alterius speciei consecratione independens est, & in se absoluta. Valide ergo una species vg. panis, consecrari potest, sine alterius speciei consecratione.

2do: Sed ex Christi institutione utriusque simul speciei panis & vini consecratio fieri debet. Enimvero ex Concilio Trident: Sess: 22. Cap: I. Christus cum dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem*, id ab Apostolis, *eorumque in Sacerdotio successoribus, fieri præcepit*, quod ipse fecerat. Ipse autem in utraque specie consecravit. Ex Christi ergo institutione utraque simul species consecrari debet. Gravissime itaque peccaret Sacerdos, si unam tantum speciem vg panis consecraret. Unde Missale Romanum præscribit, ut si Sacerdos loco vini, aquam in Ca-

licem

licem posuiſset, illamque ſumpsit, iterum vinum ponat, offerat, consecret, & ſumat, ut ſcilicet utriusque ſpeciei sit consecratio.

Quæres 6to: An & quomodo materia consecranda, Consecranti præsens eſse debeat?

Resp: 1mo: Materia consecranda duplici modo Consecranti præsens eſse potest, physice, vel moraliter. *Physice* est præsens, cum ita est præsens, ut manibus, aut ſaltem occulis attingi potest. *Moraliter* quando licet actu non cadat ſub ſensus Consecrantis, in eo tamen est loco, ubi â Consecrante demonstrari poſsit & percipi, si non in ſe, ſaltem in aliquo, vel ipsi conjuncto, vel ad eam continendam ordinato, quemadmodum ostensa crumena, ostendi censetur argentum quod in ea continetur.

2do: Ut valida sit consecratio, materia consecranda, consecranti præsens eſse debet, quia id exigit veritas formarum sive panis, sive calicis, istæ enim particulæ, hoc: hic, demonstrativæ ſunt, nihil autem demonstrari potest, nisi præsens sit demonstranti.

3tio: Non requiritur autem, præsentia physica. Consecrari enim valide poſsunt formulæ, quæ vel ſub aliorum cumulo latitant, vel in Pixide includuntur, & illæ tamen, cum nec videri, nec tangi poſsint physice, præsentes non ſunt. Unde ſufficit præsentia moralis, quia hæc ſufficit, ut verificentur formulæ illæ: *Hoc est corpus meum. Hic est calix ſanguinis mei.* Porro ut materia consecranda moraliter sit consecranti præsens, ex communi ſensu hæc requiruntur. 1. ut consecrans ſciat materiam ad consecrandum appositam ibi eſse. 2. ut materia illa, ſensu aliquo percipi poſsit, non tamen necesse est, ut in ſe videatur à Sacerdote, vel tangatur, ſed ſufficit ut in eo loco sit, in quo à Consecrante poſsit ſensu aliquo percipi, sive in ſe, sive in alio, ut in ſuo toto, vel proximo continente, vel vase ad illam continendam destinato. Unde valet consecratio vini in Calice cooperto, tum hostiarum in pixide clausarum, aut quæ corporali involutæ ſunt, quamvis enim moneant Rubricæ, ut pixis ante consecrationem operiatur, verum apertio hæc non est neceſsaria neceſsitate Sacramenti. 3. ut sit propinqua, qualis debet eſse res, quæ velut in usum humanum aſsumenda, demonstrari poſsit pronomine *hoc, hic:* alioqui non eſset præsens more humano. Unde Miſsale Romanum tit: de Defectibus ait: *Requiritur ut materia consecranda, in actu consecrationis sit coram Sacerdote,* & valde illi propinqua. Hinc non potest vali-

de

de consecrari materia, licet vicina, si sit à tergo, vel ſub mappa, aut post aliquod corpus opacum, quod non habeat rationem thecæ, ſeu vasis, illam proxime continentis. Nam tunc non est moraliter præsens consecranti, neque ullo ſensu demonstrabilis. Unde etiam si hostiæ non sint in ipso altari, ſed alicubi prope illud, vg. si in credentia ex oblivione sint relictæ, probabiliter non consecrantur, quamvis Sacerdos ante habuerit intentionem eas consecrandi, quia præsumi non debet Sacerdos voluiſse intentionem ſuam extendere ad eas, contra praxim & præscriptum Ecclesiæ consecrandas, in eo loco, in quo non poſsunt sine gravi culpa consecrari. Pariter si hostiæ positæ quidem sint in altari, ſed alicubi extra corporale, ad latus videlicet, dubia erit consecratio, & maxime pendet ab intentione Sacerdotis, quia cum positæ extra Corporale hostiæ non debeant consecrari, neque id fieri poſsit sine peccato, nón videtur Sacerdos intendere illas hostias consecrare, quæ extra corporale positæ ſunt.

Quæres 7mo: Materia consecranda, debetne per intentionem Consecrantis determinari?

Resp: Debet determinari, quia voces *hoc*, *hic*, ex ſe certi quid, & fixi designant, certum autem & fixum eſse nequit, quod indeterminatum est. Hinc non consecrat Sacerdos, qui ex decem hostiis præsentibus, vult ſolum novem consecrare non designando, quam excludere velit. Ceterum hic ſufficit determinatio virtualis quam habet 1. qui ab initio consecrare voluit formulam, quæ sibi deinceps inter consecrandum è memoria exciderat. 2. qui licet actu de hac vel illa formula non cogitaverit, id tamen omne consecrare voluit, quod rite sibi ad consecrandum oblatum, est præsens. Quapropter qui duas manu tenet hostias, ratus ſe unam tantum tenere, aut qui ſex oblatas sibi credit formulas, cum oblatæ fuerint plures, cunctas valide consecrat, quia error iste ſpeculativus non obest intentioni practicæ id omne consecrandi, quod rite ad consecrandum oblatum est. Unde præscribit Rubrica Miſsalis: *Quilibet Sacerdos ſemper intentionem habere debet consecrandi eas omnes formulas, quas ante ſe ad consecrandum positas habet.*

Quodsi formulis jam consecratis, miscerentur non consecratæ, poſsent illæ consecrari, & ad hoc satis foret, ut velit Sacerdos totum consecrare, quod nondum consecratum est. Cavendum tamen est ne consecratis non consecratæ misceantur, unde improbanda est praxis, eorum

qui

qui ſuperstitibus in pixide, quam purificare negligunt, particulis, hostias non consecratas admiscent.

Quæres 8vo: Quid agendum sit Sacerdoti, qui de hostiarum consecratione dubitat?

Resp: Sacerdos qui de hostiarum consecratione rationabiliter incertus, & dubius est, debet eas post sanguinis ſumptionem consumere, vel etiam in alio sacro, dum Hostiam absolute consecrat, simul intendat illas consecrare ſub conditione si non sint consecratæ. Quod si dubium sit de valore consecrationis alterutrius materiæ pro Sacrificio constitutæ, debent iterum verba consecrationis ſuper illam materiam proferri ſub conditione, & si dubium sit de valore materiæ, quia præsumitur vinum eſse acetum, vel aqua vino plurima mixta, debet aliam certam materiam consecrare, ne Sacrificium imperfectum relinquat, & post communionem ſumere materiam dubiam, quæ fuit consecrata.

Quæres 9no: Quid sentiendum sit de vini guttis quæ Calici à reliquo continuo divisæ adhærent?

Resp: Eæ vini guttæ quæ casu extra oram calicis fluxerunt, non consecrantur, quia id non intendit Sacerdos, nec sine gravi piaculo intendere potest. Quæ vero interiori Calicis cuppæ adhærent, dubium est utrum consecrentur. Unde *1mo*: curare debet Sacerdos, ut quidquid in Calice à continuo vini divisum est, ante consecrationem abstergat. *2do*: Intendi potest à Sacerdote consecratio omnis guttæ, quæ ante communionem reliquo continuo acceſsura est. Cum autem tunc dubium maneat, an vere consecratæ sint, cavendum est Sacerdoti, ne eas post consecrationem abstergat, ſed eas cum aliis ſpeciebus indubie consecratis sumere debet.

Quæres 10mo: Quæ sit forma Eucharistiæ consecrandæ?

Resp: Forma consecrandi panis Eucharistici; ſunt solæ istæ voces: *Hoc est corpus meum.* Verba autem: *Hic est sanguis meus*, aut etiam *hic est calix sanguinis mei*, formam calicis adæquatam constituunt. Reliqua omnia in Canone Miſsæ præscripta, quamquam proferri debeant, non ſunt tamen de neceſsitate Sacramenti. Nulla autem eſset consecratio, si loco pronominis *hoc*, dicatur *illud*, quia rem præsentem non denotaret. Pariter si loco *Corpus meum*, aut *Sangvis meus* dicatur: *Hoc est Corpus Christi. Hic est Sangvis Jesu*, quia verba consecrationis in persona Christi proferenda ſunt, ani-

me ea efficiendi, quæ ipse effecit. Porro si dicatur: *Hoc est Corpus Christi. Hic est sangvis Christi*, jam Sacerdos in propria persona loqueretur, non in persona Christi, quare tunc invalida foret consecratio. Neque loco *Corpus*, dici potest *Caro*, quia sensus formæ immutaretur. Plus enim significat *Corpus*, quam *Caro*. Corpus enim est totum constans, non solum carne, ſed & oſsibus, nervis, & aliis. Caro vero est nonnisi pars hujus totius.

Pronuntiandæ vero ſunt formæ consecrationis distincte, reverenter, continua serie, & modo naturali, ut fit in sermone humano. Unde merito redarguendi ſunt, qui cum tanto nisu, trepidatione, & halitu reddunt voces, ut & verba duplicare videantur, & nonnunquam in adstantibus risum excitent.

Vix autem prudenter dubitari potest an omiſsa sint consecrationis verba, quia procul dubio hæc omitti non solent. Si quis tamen eſset animi huc & illuc facile peregrinantis, ut ei eveniebat, qui à *Memento vivorum* ad *Memento mortuorum* facile avolabat, videndum est an rationabiliter dubitet, sive totam formam à se prætermissam fuiſse, sive in forma quidquam eſsentiale omiſsum eſse, aut nonnisi aliquid accidentale præteriiſse, & tunc sequendum est id, quod Rubrica Miſsalis præscribit, videlicet: *Si celebrans non recordetur se dixiſse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet se omisiſse aliquid eorum, quæ ſunt de neceſsitate Sacramenti, id est formam consecrationis, ſeu partem, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitet, se aliquid eſsentiale omisiſse, iteret formam saltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulteriu[s]*

ARTICULUS 2dus

De Ministro & usu Sacramenti Eucharistiæ.

Quæres 1mo: Quis sit Eucharistiæ consecrandæ Minister?

Resp: Ex Christi institutione soli Episcopi, ac Præsbyteri habent Eucharistiæ consecrandæ potestatem, quia solis Apostolis Christus, post Eucharistiæ consecrationem dixerat: *hoc facite in meam commemorationem*, quibus ver-

bis

bis Christus Apostolos, ut docet Concilium Trident: Sefs: 22. Sacerdotes ordinavit, illis atque eorum in Sacerdotio Succefsoribus, quales funt Episcopi, ac reliqui Præsbyteri, & præceptum & potestatem dedit Eucharistiam consecrandi. Soli ergo Episcopi, & Sacerdotes Eucharistiam consecrandi potestatem habent.

Quæres 2do. Quis sit Minister Eucharistiæ distribuendæ?

Resp. Eucharistiæ distribuendæ jure divino soli Episcopi & Præsbyteri funt ordinarii Ministri. Quibus enim concefsa est potestas Eucharistiam consecrandi, his etiam eodem jure data est potestas illam fidelibus distribuendi. Porro solis Episcopis, ac Presbyteris data est á Christo potestas Eucharistiam consecrandi. Ergo illis etiam jure divino ordinaria competit facultas eam distribuendi.

Diaconi vero funt etiam ex jure divino Eucharistiæ distribuendæ Ministri, fed extraordinarii. Quia ex fua institutione, atque ordinatione id habent, quod pofsint Eucharistiam distribuere. Verum id facere non pofsunt sine commifsione, atque accepta facultate sive ab Episcopo, sive etiam à Parocho. Unde Diaconus Eucharistiam ministrare nequit, nisi vel absente Sacerdote, vel eo præsente fed id permittente, semper tamen cum id postulat necefsitas. Sed extra casum necefsitatis, juxta modernam praxim, nonnisi de licentia Episcopi Eucharistiam Diaconi distribuere poterunt. Potest ergo, & debet Diaconus absente, vel impotente Præsbytero ad infirmum Viaticum deferre, etiam ad Præsbyterum periculose decumbentem, & tunc vel ipsi Pixidem offerat, ut ipse propria manu Eucharistiam sumat, vel fua manu eam illi porrigat. Dum autem Diaconus Eucharistiam ministrat, fuper Superpelliceum Stolam transversam habere debet.

Quæres 3tio: An quis sibi ipsi Eucharistiam ministrare pofsit?

Resp: Reipsa Sacerdos Mifsam celebrans seipsum communicat, cumque hoc nonnulli Hæretici redarguerent, eos Concilium Tridentinum damnavit Sefs: 13. Cano: 10. *Si quis dixerit non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit.* Verum extra Mifsam, si Sacerdos Eucharistiam sumere velit, more Laicorum communicare debet, ab alio Sacerdote Eucharistiam recipiens. Quodsi defuerit Sacerdos, licetsi præsens fuerit Diaconus, in casu periculosæ infirmitatis, potest Sacerdos seipsum extra Mifsam communicare, Eucharistiam per modum

dum viatici sumendo. Pariter & Diaconus in casu gravis infirmitatis, cum deest Sacerdos se ipsum communicare potest. Quia si Sacerdos, & Diaconus poſsunt alios communicare, in casu gravis neceſsitatis poterunt & ſeipsos communicare, nimirum per modum Viatici Eucharistiam sumendo, neque ulla lex exstat quæ id in prædictis circumstantiis prohibeat.

Quæres 4to: Utrum ad Eucharistiam distribuendam requiratur aliqua jurisdictio, ac potestas?

Resp: Pastorum proprium est, oves ſuas pascere, quod fit non solum verbi divini prædicatione, ſed magis adhuc Sacramentorum administratione, qui ergo Pastores non ſunt, cum nulla in populum potiantur jurisdictione Sacramenta conficere, & Eucharistiam administrare nequeunt, unde ut simplex Sacerdos, sive Sæcularis, sive Regularis licite Eucharistiam distribuat, neceſse est, ut ad id ab eo habeat facultatem, qui ſpirituali præditus est jurisdictione. Sufficit autem facultas generalis, & interpretativa, qua pollent ii omnes, qui ad Sacra munia in Ecclesia peragenda ab illius Rectore admittuntur. Regulares quoque omnes vi Bullarum à Julio 2, Paulo 2. & Paulo 3. Romanis Pontificibus emanatarum, poſsunt in ſuis Ecclesiis, quibusvis Fidelibus Eucharistiam distribuere, præterquam ipsa Dominica Resurrectionis Domini, in qua id eis facere prohibitum est. Præcipuum autem Pastoralis ministerii jus, ac onus est, Viatici ad ægrotos deferendi cura, quod proinde nemo sine Parochi licentia, aggredi debet, quare excommunicationem incurrerent Religiosi, si Viaticum sine Parochi facultate administrarent, nisi forte ille abeſset, & neceſsitas urgeret. Convenientiſsimum quoque est, ut Infantes primam communionem in propria Parochia, de manu ſui Pastoris accipiant, ut sic à teneris annis & Pastorem ſuum noſse, & ab eo cognosci poſsint.

Quæres 5to: Quæ in administranda Eucharistia advertenda ſunt?

Resp: Sequentia advertenda ſunt. 1mo: Ut ita caute Eucharistiam distribuat, ne aliqua hostia, sive ejus particula in terram prolabatur, quod si hoc contigerit, sequendum est id, quod Miſsale Romanum de defectibus præscribit his verbis: *Si hostia consecrata, vel aliqua ejus particula delabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit mundetur, & aliquantulum abradatur, & pulvis, ſeu abrasio hujusmodi in sacrarium mittatur. Si ceciderit*

rit in mappam, ſeu in aliquod linteum, mappa, vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in sacrarium mittatur. Quodsi hostia consecrata in sinum mulieris deciderit, tunc vel illam in corporale expansum emittat, vel eam ope purificatorii mundi manu ſua extrahat, & si digitis sacrum tetigit, illos abluat, & lotio in piscinam proijciatur. Si etiam dum Monialibus distribuitur communio, Hostia sacra cadat intra Clausuram, præcipiendum est alicui Moniali, ut hostiam reverenter cum patena elevet, si aliter fieri nequeat, etiam manu eam apprehendendo, & Sacerdoti ipsam porrigat.

2do: Dum infirmis Viaticum ministratur, ne sacra Hostia evomatur, modico vino, aut aliquo liquore juvanda est ejus traiectio in stomachum. Quodsi evomatur, tunc vel satis effluxit temporis, ut alterata sacra ſpecies censeri debeat, ac proinde jam desiiſse Corpus Christi eſse præsens conijciatur, vel non. In utroque casu ſedulo colligendum est, quidquid ejectum fuerit. Sed in priori casu, quando, vel jam non apparent ſpecies sacræ, vel prudenter judicantur jam corruptæ eſse, vomitus in ignem mitti, & comburi debet. In posteriori autem casu, vel hostia sacra reverenter sumatur, nisi nausea fiat, vel caute ſeparetur, & in aliquo loco sacro reponatur, donec corrumpatur, & postea in sacrarium proijciatur. Neque enim citra grande sacrilegium, hostia sacra, quamdiu est integra, comburi potest. Caute proinde à Sacra communione arcendi ſunt, de quibus ob frequentem tuſsim, vel vomitus periculum, prudens occurrit timor ne sacram hostiam eijciant.

Si contigerit Sacerdoti post ſumptas sacras ſpecies, & in stomachum jam traiectas, illas evomere, sive ad Altare, sive postquam ab eo receſserat, non est opus, ut novas ſpecies consecret, & sumat, imo ſumme id incompetens eſset, quia & Sacrificium jam plene consumptum ac completum est, & iterum vomitus periculo se exponeret.

3tio: Uſu invaluit, ut post meridiem Eucharistia bene valentibus non distribuatur, occurrentibus tamen solemnitatibus, aut justa ac rationabili exigente causa id fieri potest. Feria quoque Parasceves Communio non datur, nisi ægris per modum Viatici.

Non licet etiam plures consecratas hostias uni dare, quia id à S. R. C. anno 1679. die 12. Februarii prohibitum est. Si tamen è consecratis hostiis in Altari, in quo San-

Sanctiſsimum Sacramentum non aſservatur, aliquæ ſuperſint, aut Sacerdos ad infirmum profecturus, plures hostias ſumpserit, quas singillatim distribuere nequit, poterit uni plures simul tradere hostias.

Quæres 6to: Quando tenetur Parochus Eucharistiam ministrare?

Resp: Parochus toties Eucharistiam ſuis parochianis ministrare debet, quoties eam rationabiliter postulant, etiam ſolius devotionis causa. Id enim, si quoad materialem cibum debet proli ſuæ corporalis pater, debet & pater ſpiritualis quo ad eum cibum quo anima ſpiritualiter vivificatur. Debet quoque Parochus ſuis parochianis peste, aut morbo contagioso infectis, sive per ſeipsum, sive per alium, etiam cum propriæ vitæ periculo, Sacramentum Pænitentiæ, & sacrum Viaticum ministrare. Quia cum sit Pastor, officii ipsius est, etiam animam ſuam ponere pro ovibus ſuis. Atque ad id Parochus ſub mortali peccato obligatur, quia vi muneris & officii tenetur ovibus ſuis neceſsaria salutis providere. Nemo autem ignorat Pænitentiam & Eucharistiam maxime ſaluti eſse neceſsaria. Jlla ergo ſuis Parochianis providere graviter tenetur.

Quæres 7mo: Quibus danda est Eucharistia?

Resp: *1mo:* Infantibus usu rationis carentibus, ac recens baptisatis poſset quidem Eucharistia dari, quia illius capaces ſunt, cum per Baptismum justificati fuerint, & prioribus Ecclesiæ ſæculis, multis in locis baptisatis infantibus Eucharistia tradebatur, id tamen modo fieri Ecclesia prohibuit, maxime propter reverentiam hujus Sacramenti, quia ſæpius ſacras ſpecies in os sibi immiſsas, infantes expuebant. Unde Concilium Trident: Seſs: 24. Cap: 4. sic inquit' *Sacrosancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari neceſsitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis ſervavit aliquando. Ut enim ſanctiſsimi illi Patres probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla ſalutis neceſsitate id feciſse, sine controversia credendum.* Cum itaque receptio Eucharistiæ Sacramenti non sit infantibus ad ſalutem omnino neceſsaria, justis de causis Ecclesia eorum Communionem distulit, usque ad annos discretionis; ut ſcilicet prius de hoc Mysterio edocti, atque instructi, illud & devotius & fructuosius recipiant. Igitur pueris danda est ſacra Eucharistia nonnisi tunc, quando jam habent ſufficientem usum rationis, ad discernendum

dum hoc Sacramentum, recognoscendum corpus Christi, & ad illud reverenter ac devote ſuscipiendum jam idonei ſunt, quod aliis citius, nempe circa annum ætatis 10. aut 12. contingit, aliis vero tardius. Prius tamen pueri censentur eſse obligati ad Confeſsionem, quam ad Communionem, quia ad Communionem plus requiritur discretionis, devotionis, & reverentiæ, quam ad Confeſsionem. Quare ætas, qua urget obligatio ſacræ Communionis, & in qua jam illa pueris dari poſsit, est intra annos 10. & 12. vel 14. ita: ut nemo ultra recipere illam differat, dummodo sit ſufficienter instructus, & recte dispositus, quia communiter, neque ante annum 10. incipit, neque ultra 14. differtur plenior usus rationis, qualis ad devote, & reverenter recipiendam Eucharistiam requiritur. In periculo tamen mortis, puero capaci Confeſsionis, & ſufficienter instructo dandum est ſacrum Viaticum, nam cum in eo periculo versatur, non potest expectare tempus commodius ad Eucharistiam cum meliori dispositione recipiendam, ut divino de illa percipienda præcepto ſatisfaciat, & aliunde potest ſe per ſacramentalem Cnfeſsionem probare ne indigne ſumat.

2do. Energumenis, ſeu à Diabolo obseſsis, Eucharistia aliquando dari potest, quia ex præscripto Conciliorum pluries illis ſacra Communio conceſsa fuit, et nonnulli, ut fide digni referunt Scriptores, per ſacram communionem à Dæmone liberati ſunt. Hinc si cui Sacerdoti Energumeni curam gerere contigerit, debet is perpendere, an quis ſua culpa meruerit à Diabolo poſsideri, an antequam obseſsus eſset, crimina quædam perpetraverit, vel non. Si *1mum.* non prius ad ſacram communionem admittetur, quam congruæ pænitentiæ signa exhibuerit. Si *2dum*: videndum: an lucidis intervallis fruatur, an ſemper ſubjaceat Dæmonis infestationi, & quid hinc immineat irreverentiæ erga Sacramentum. Si nihil horum verendum sit, nihil obstat quo minus Energumenus Sacramento Eucharistiæ donetur, si rite ad id prius dispositus ac præparatus fuerit, ut digne hoc Sacramentum tempore quietis percipere poſsit, quia eo ſalutari ſubsidio maxime indiget, quatenus hujusce status molestiam patienter ferat, & in dura adversus Diabolum pugna, non deficiat. Quodsi Energumenus adeo infestationi Dæmonis ſubjectus sit, ut timendum sit, ne alicui irreverentiæ Sanctiſsimum Sacramentum exponatur, denegandum est, & alio modo Energumenus ſpiritualiter juvari debet.

3tio:

3tio: Perpetuo amentibus Eucharistiam dare non permittit hodierna Ecclesiæ praxis, quia satius est ut non detur, nisi iis, qui illam ex prævio devotionis affectu expetunt. Iis vero amentibus, qui lucida habent intervalla, horum tempore, cum rite dispositi sunt, potest Eucharistia tribui, quia dispositionis, quæ ad fructuose percipiendum Eucharistiam necessaria est, tunc capaces sunt. Qui autem à rationis usu in amentiam, vel phrænesim inciderant, illi Eucharistia in articulo mortis refici possunt, si laudabilem vitam duxerint, vel congruæ pænitentiæ signa dederint, nullumque subsit irreverentiæ, aut vomitus periculum, quare talibus, quantum fieri potest, prius præparatis, hostia non consecrata, in os eorum immittenda est, antequam sacra communio detur, ad explorandum an non aliquid immineat irreverentiæ erga Sacramentum. Igitur de amentibus, & phræneticis hæc habet Rituale Romanum titulo de Eucharistiæ Sacramento: *Amentibus, seu phræneticis communicare non licet, licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla, & devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.* Semifatuis denique, seu debilem usum rationis habentibus, Eucharistia porrigi debet, tum in articulo mortis, tum & in Paschate, si certo aliquo pietatis studio, erga illud moveantur, & rite prius fuerint dispositi, ut digne, & cum fructu hoc suscipiant Sacramentum. Ne tamen tanti Sacramenti dignitas vilescat, haud expedit, ut semifatui ad sacram Communionem crebro admittantur, unde admitti quidem debent urgente præcepto, ac proinde in Paschate, & in articulo mortis, sed non ultra, nisi gravis quædam urgeat ratio vg. Jubilæi, aut specialem erga hoc Sacramentum præferant reverentiam, ac devotionem.

4to: Tandem mutis, & surdis à nativitate conferri potest Eucharistia, non solum in articulo mortis, sed & in Paschate, ac aliis temporibus, si in his deprehendatur aliqualis hujus Sacramenti cognitio ac intelligentia, & peccata sua saltem per nutus confiteri possint. Quia istiusmodi homines reipsa possunt hoc Sacramentum intelligere, tum per imagines, & signa, tum per exteriorem, quam eidem impendunt ceteri Christiani reverentiam. Unde si pie vivant, si divinis officiis in Ecclesia devote intersint, si de culpis suis, exhibito quadantenus è Cælo vindice, admoniti, doleant, & conterantur, sibi deinceps invigilent, si peccata sua per proprios nutus, seu alio aliquo modo,

confiteantur, nulla est ratio ut à facra Communione prorsus arceantur. Quapropter pro gradu pietatis, non in Paschate tantum, fed in aliis etiam folemnioribus festis, ad Communionem admitti pofsunt. Aliud est dicendum de mutis, furdis & simul à nativitate cæcis, hi enim hujus Sacramenti dignitatem nullatenus percipere pofsunt.

Quæres 8vo: Quibus deneganda est Eucharistia?

Resp: Rituale Romanum tit: de Sacramento Eucharistiæ hæc præscribit: *Fideles omnes ad facram communionem admittendi funt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur. Arcendi autem funt publice indigni, quales funt excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, fæneratores, magi, fortilegi, blasphemi & alii ejus generis peccatores publici, nisi de eorum pænitentia, & emendatione constet, & publico fcandalo prius fatisfecerint, Occultos vero peccatores, si occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem, si publice petant, & sine fcandalo ipsos præterire nequeat.* Hinc consequitur quod peccatori occulto, si publice petat, non debeat negari Eucharistia, fecus si privatim, & absque testibus petat. Notorio autem ac publico peccatori, quocunque modo petat, omnino deneganda est. Non tamen licet occulto peccatori hostiam minime consecratam porrigere, quia fictio de fe illicita est, & mendacium continet, quod in Sacramentorum administratione execrabilius est.

Non est vero dubium, quod reis ultimo fupplicio affectis, Communio facra dari pofsit & debeat, & tunc temporis reus, nonnunquam potest communionem fumere per modum viatici, ac proinde etiam non jejunus.

Quæres 9no: An, & quibus Eucharistiæ receptio sit necefsaria?

Resp: 1mo: Nemini, nec proinde infantibus Eucharistiæ receptio est necefsaria ad falutem necefsitate medii. Enimvero si infantibus Eucharistiæ receptio efset necefsaria necefsitate medii, tunc infantes qui rite baptisati sine Eucharistia moriuntur, à cælesti beatitudine excluderentur. Hoc autem dici nequit, quia ut inquit Apostolus, *nihil damnationis est iis, qui funt in Christo Jesu*, prout certe funt illli, qui in Christo baptisati, Christum induerunt. Quare Ecclesia infantibus usque ad annos plenæ discretionis, & instructionis Eucharistiæ differt receptionem, quod certe non faceret, si omnibus infantibus Eucharistiæ perceptio efset necefsaria necefsitate medii.

2do:

2do: Est tamen Eucharistiæ receptio Adultis omnibus ad ſalutem neceſsaria, neceſsitate præcepti divini. Et id clare indicant verba Christi Joan: Cap: 6to: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quæ certe denotant grave Christi præceptum, utpote ſub interminatione æternæ damnationis constitutum. Et hoc divinum præceptum urget. *1mo*: cum jam ad annos plenæ discretionis deventum est. Unde peccant Parentes, & gravius adhuc Pastores, qui non curant ut crescente cum annis rationis lumine, Juvenes tempestive ad hoc Sacramentum disponantur. *2do*: in articulo mortis ſeu quovis mortis periculo, sive ex gravi morbo proveniente, sive aliunde imminente, vg. instante prælio, difficili partu, periculosa navigatione, aut itineratione, quia instante morte maxima est Eucharistiæ recipiendæ neceſsitas, ac proinde tunc, maxime recipi debet. *3tio*: ſed & pluries in vita recipi Eucharistia debet, quia per modum Cibi ad nutriendam ſpiritualiter animam à Christo est instituta. Porro cibi conditio hæc est, ut pluries ſumatur. *4to*: aliquando etiam per accidens urget divinum præceptum ad ſuscipiendam Eucharistiam, quando ſcilicet, ejus receptio remedium eſse potest, ut gravi cuipiam tentationi resistatur, imminens in peccatum caveatur lapsus.

Quæres 10mo: Quæ circa receptionem ſacri Viatici annotanda ſunt?

Resp: Pro viatico datur ſacra Eucharistia, quando probabile est, quod ægrotus eam amplius ſumere non poterit, quare potest viaticum dari brevi morituris, et am non jejunis, ita Rituale Romanum titulo de Comm: Infirmorum. Igitur circa receptionem ſacri viatici hæc annotanda ſunt.

1mo: Qui paulo ante morbum communicavit, si periculose infirmetur viaticum ſumere tenetur, quia cum tunc mors immineat, hoc ſalutari ſubsidio ſummopere indiget, & tunc reipsa divinum urget præceptum, de ſacra Eucharistia percipienda. Qui tamen mane communicavit, si eadem die graviter infirmetur, potest quidem viaticum accipere, ſed ad id stricte non tenetur.

2do: Si quis indigne, & ſacrilege viaticum ſumpsiſset, ad novam & dignam viatici receptionem, facta prius, cum ingenti animi dolore, Sacramentali confeſsione, obligatur, quia per ſacrilegam viatici ſumptionem, præcepto divino minime ſatisfecit. Pariter cum quis post acceptum viati-

 cum

cum in grave aliquod, ac mortale peccatum prolabitur, si aliquot dierum, manente eodem mortis periculo, ſupervixerit, expedit ut iterum præmiſsa Confeſsione, Sacrum ſumat viaticum, quia novo ſpirituali contra relapsum indiget robore.

Quæres xxmo: Utrum extet aliqua lex Ecclesiæ præcipiens Eucharistiæ ſumptionem?

Resp: In Concilio Lateranensi 4. præceptum est, ut omnes utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteantur, ſuscipientes reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum. Ex præcepto itaque Ecclesiæ quilibet postquam ad annos discretionis pervenerit, tenetur quolibet anno ſaltem ſemel circa Pascha, Sacram Communionem accipere. Atque prædictum Ecclesiæ præceptum, est nonnisi divini præcepti, quo aliquoties in vita Eucharistiam ſumere tenemur, determinatio, tempus, quo illud implere debemus, præſigendo. Unde Con: Trident: Seſs: 13. Can: 9. sic statuit: *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque ſexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis ſaltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Quæres 22mo: An frequens eſse debeat Eucharistiæ receptio?

Resp: Laudabilior est frequens Eucharistiæ usus, quam rarior. Quia primis Ecclesiæ sæculis, fideles frequentiſsime ad Eucharistiam accedebant, unde à nonnullis SS. Patribus cibus ſpiritualis quotidie ſumendus dicitur, & temporibus Apostolorum, primi Christiani, ut habemus Actor: Cap: 2. *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Unde, Ecclesia frequentem Eucharistiæ usum à fidelibus ſemper exoptabat, quare Concilium Tridentinum Seſs: 22. Cap: 6. sic habet: *Optaret Sacrosancta Synodus, ut in singulis Miſsis fideles adstantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſsimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret.*

Verum, ut frequenter quis Communicet, non ſufficit, ut à peccato mortali sit immunis, quare â frequenti communione arcendi ſunt, qui licet nulla lethali infecti ſunt labe, ex affectu tamen, peccato veniali adhærent, & modicum Eucharistiæ habent desiderium. Aliud autem est

pecca-

peccare venialiter etiam ſæpius, aliud affectu ad venialia detineri. Prius enim inadvertentiam, ſubreptionem, meramque naturæ fragilitatem denotat, posterius indicat certam ex inordinata complacentia, peccato adhæsionem. Priori modo peccant viri etiam pietate pollentes, quia homines ſunt, infirmo adhuc, & mortali corpore circumdati, & ii à frequenti communione arceri non debent, quia declinandis ejusmodi peccatis jugiter incumbunt, ad id media aſſumunt aptiſsima, & quotidianas culpas, quotidianis student eluere gemitibus. Sed qui posteriori modo peccant, aliter ſe habent, & ii à frequenti communione arceri debent, illi enim, & parum pietatis, & nihil fervoris habent, atque pravis cupiditatibus ſubjecti, variis peccatis, etiam grandiuſculis corde addicti, non merentur ut frequenter pane Angelorum potiantur.

Quæres 13tio: Circa Eucharistiæ usum, quæ eſse poſsunt regulæ?

Resp: Sequentes ad id inservire poſsunt Regulæ 1mo: qui in unius, aut multiplicis peccati habitu vixerunt ſerio probandi ſunt, priusquam ad ſacram Communionem admitantur. Quin & absoluti à peccatis, ad dies aliquot retinendi ſunt, ut ſacram Eucharistiam ardentius exoptent. Haud tamen nimis diuturna ista ſubtractio eſse debet, quia cum Eucharistia ſit antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur, qui adhuc in pietate novi ſunt, per eam contra relapsus firmari debent.

2do: Ut quis in recuperata gratia perseveret, monendus est instanter, ut Pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, quam ſæpe, & digne poterit frequentet. Sunt enim hi gratiæ fontes ac media, quibus tutiſsime gratia ſervatur, & augetur. Neque tamen quia quis per octo, aut quindecim dies in adepta justitia permansit, statim octiduæ, aut quindenæ communioni aptus judicabitur, ſed talis pro gradu & numero tentationum quibus concutitur plus vel minus, ſacra Eucharistia reficiendus, & confortandus est.

Quæres 14to: An communio ſub utraque ſpecie sit ad ſalutem omnino neceſsaria?

Resp: Communio ſub utraque ſpecie ſumenda, non est omnino ad ſalutem neceſsaria, quia ſub ſola ſpecie panis totum Christum, corpus ſcilicet & ſanguinem ipsius ſumimus, cum ſub qualibet, totus, et integer contineatur. Potuit ergo Ecclesia usum Calicis ſubtrahere, et id justis

de

de causis reipsa fecit, quod etiam decretorie à Concilio Tridentino definitum est Sess: 21. Can: 1. his verbis: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles, utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

CAPUT SECUNDUM

De effectibus Eucharistiæ, & dispositionibus ad eam digne suscipiendam necessariis.

ARTICULUS 1mus

De effectibus SSmæ Eucharistiæ.

Quæres 1mo: Qui sunt præcipui Eucharistiæ effectus?

Resp: Primus, ac principalis Eucharistiæ effectus est, spiritualis nutritio, ac confortatio hominis, atque augmentatio gratiæ sanctificantis. Namque Christus dixit Joan: Cap: 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, sicut ergo materialis cibus, & potus corporaliter hominem nutrit, confortat, & corpus adauget, ita etiam iste Eucharistiæ cibus, ac potus, spiritualiter hominem nutrit, confortat, gratiam in ipso adauget, unde statim subjunxit Salvator: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sangvinem, in me manet, & ego in illo.* Sapientissime igitur edixit Con: 1. Florent: in Decreto de Sacramento Eucharistiæ his verbis: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne, gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, qui ad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, Sacramentum hoc quoad vitam spiritualem operetur, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum.* Hæc vero nutritio, & spiritualis confortatio, consistit partim in augmento gratiæ sanctificantis, partim in gratiis actualibus,

quas

quas Deus digne facram Eucharistiam suscipientibus uberrime concedit, & quovis tempore servitur ad charitatem, pietatemque conservandam, atque per opera bona augendam. Præterea præservat â peccatis, ad superandas ingruentes tentationes roborat, ad servanda divina mandata, dum illorum urget observatio animat, ac tandem mediante ista a peccatis præservatione, perseverantiam in gratia atque gloriæ cælestis consecutionem operatur. Unde dixerat Christus Joan: Cap: 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Insuper imminuit malæ concupiscentiæ fomitem, sanctæ charitatis augendo fervorem, semper enim juxta S. Augustinum, *augmentum charitatis, est diminutio cupiditatis*, pios excitando motus, motibus malæ concupiscentiæ, contrarios. Recte itaque pronuntiavit Concilium Trident: Sess: 13. Cap: 2. *Sumi voluit Christus hoc Sacramentum tamquam fpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius; qui dixit, qui manducat me, & ipse vivet propter me, & tamquam antidotum, quo liberamur â culpis quotidianis, & â mortalibus præservamur.* Tandem sacra Eucharistia in futuram gloriosam corporum nostrorum resurrectionem influit, dicente Christo Joan: Cap: 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum fangvinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novifsimo die.* Quare Patres Concilii Nicæni Eucharistiam vocant, *symbolum resurrectionis, &* S. Ignatius Episcopus in Epist: ad Ephesios, *pharmacum immortalitatis.*

Quæres 2do. Utrum Eucharistia peccata deleat?

Resp: Eucharistia per se, & directe nullum mortatale delet peccatum, nec proinde primam gratiam, quæ justificationis est, confert, sed eam supponit, & hoc vel ipsa parabola convivii nuptialis, filio Regis præparati, comprobat, quod qui sine veste nuptiali ingredi præsumpsit, in tenebras exteriores projectus est, quare Paulus Apostolus 1. Corinth: Cap: 11. sic monet: *Probet fe ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Hinc Concil: Trident: damnans errorem Lutheri, qui affirmare ausus est, primarium hunc efse facræ Eucharistiæ effectum, ut graviora quæque scelera abstergat: Sess: 13. Can: 5. sic statuit: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum S. Eucharistiæ efse remifsionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.* Certe, omnes SS. Patres ad Eucharistiæ susceptionem sanctitatem mo-

rum

rum & conscientiæ puritatem exigunt. Sic Ambrosius Lib: 6. in Caput 9. Lucæ scribens, ait: *Ubique mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet,* quare S. Cyprianus Epist: 9. graviter contra lapsos conqueritur, qui pænitentia non absoluta ad sumendam Eucharistiam properabant, dicens: *nondum pœnitentia acta, non exomologesi facta, illis Eucharistia datur? cum scriptum sit. Qui ederit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Et vero Eucharistia à Christo est instituta veluti alimentum spirituale, sicuti autem alimentum corporale non datur corporaliter mortuo, sed viventi, ita etiam alimentum spirituale, non datur, spiritu, per grave quodpiam peccatum mortuo, sed gratia viventi. Eucharistia igitur per se, & primario peccata mortalia non delet, sed illa per pænitentiam deleta supponit, & hoc præerequirit.

Si quis autem, vel inculpabiliter, præmissa scilicet diligenti conscientiæ suæ examine, ignorans se onustum esse peccato mortali. ad sacram accesserit Eucharistiam, vel sciens ac sentiens suum mortale peccatum, sed confessario destitutus, & necessitate pressus, Eucharistiam sumpserit, probabile est tunc peccatum etiam mortale per Eucharistiam deleri. Quia ex Concilio Tridentino Sess: 7. Can: 6. Sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem. Porro qui vel invincibiliter suum ignorans peccatum, vel illud sentiens, dum confiteri nullatenus possit, necessitate adactus Eucharistiam sumit, voluntarie gratiæ obicem non ponit, illam ergo percipit, & consequitur, qua imprimis peccata illius delentur & absterguntur. Unde in Missa rogat Sacerdos ut sacra communio eum purget è crimine, sit ablutio scelerum, eorum maxime quæ occulta sunt, & á nobis inculpabiliter ignorantur. Atque sic docet S. Thomas Doctor quæst. 79. art: 3. ubi hæc habet: *Potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote, & reverenter accedens, consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.*

Sed dices: Quomodo tunc Eucharistia delet illa peccata mortalia.

Resp: Hac in re divisi sunt Theologi. Alii censent

in

in prædictis casibus Eucharistiam peccata mortalia delere non per ſe, neque immediate ex opere operato, ſed ſolum ex opere operantis, ſcilicet mediante contritione, quam perficit, & charitate inflammat. Alii opinantur tunc Eucharistiam peccata illa delere per ſe, immediate, & ex opere operato. Verum quomodo in prædictis casibus Eucharistia peccata mortalia deleat, parvi refert, dummodo ea abstergat. Neque enim grandis piaculi reus erit, qui dicet Eucharistiam â Christo institutam fuiſse, ut & vivis, & ſpiritualiter mortuis prodeſset, illis quidem ordinarie, istis vero extraordinarie, & nonnisi aliquando, non quidem omnibus, ſed iis, qui nihil quidem sibi conscii ſunt, non tamen justificati ſunt, quia post diligens conscientiæ ſuæ examen, bona fide credunt ſe eſse á mortali peccato immunes, cum tamen illo occulte detinentur.

Quæres 3tio. An, & quomodo Eucharistia delet venialia peccata?

Resp: Eucharistia peccata venialia delet per ſe, & ex opere operato. Et id constat ex Concilio Tridentino Seſs: 13. Cap: 3. ubi Eucharistia dicitur antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis. Antidotum autem ex ſe & vi propria operatur. Eucharistia igitur vi propria delet peccata quotidiana, ſeu culpas veniales, quæ quotidie committuntur. Et vero Eucharistia à SS. Patribus vocatur remedium quotidianæ infirmitatis. Porro non est remedium quotidianæ infirmitatis, nisi quotidianæ infirmitatis delicta abstergat, illas expungat noxas, quibus quotidie inficimur.

Sed ut Eucharistia deleat peccata venialia, requiritur, ut & desit ad illa animi affectus, & aliquis de ipsis commiſsis concipiatur cordis dolor, unde si vel affectus & complacentia, ad veniale ſervetur peccatum & nullus de ipso cordis dolor habeatur, Eucharistia illud non absterget.

Quæres 4to. Utrum Eucharistia pœnam etiam temporalem peccatis debitam remittat?

Resp: Eucharistia prout est Sacramentum, pœnam temporalem peccatis debitam per ſe non remittit, quia ad id non est à Christo instituta; siquidem ut docet S. Thomas Doctor, ad ſpiritualiter nutriendum hominem, ipsa instituta fuit, non ad ſatisfaciendum pro peccatis. Delet quidem illa aliquando & mortalia peccata, quia cum eo fine instituta sit, ut hominem Christo uniret, quemadmodum ipse dixerat Joan: Cap: 6. *Qui manducat meam car-*

nem,

nem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Ea tollere debet quæ prohibent, ne homo Christo uniatur, qualia ſunt peccata, quæ hominem à Deo ſeparant, ea igitur, si hominem constringunt, illorumque inculpabiliter conscius sibi non sit, delet, & abstergit, ut hominem Christo conjungat. Porro ad hanc ſpiritualem unionem opus pænæ temporalis non impedit, non ergo continuo eam Eucharistia remittere debet. Aliud dicendum est de Eucharistia prout est Sacrificium, quod, quia est propitiatorium, per illud etiam pænæ temporali peccatis debitæ ſatisfit. Verum etiam Eucharistia ut est Sacramentum, & si per ſe pænam temporalem peccatis debitam non remittat, attamen quia charitatem inflammat, ad actus pænitentiæ, qui ſatisfactorii ſunt excitat, devotionem, pietatemque accendit, per ea pænam temporalem peccatis debitam imminuit.

Quæres 5to. Sumpta Eucharistia an non ſolum ſumentibus, ſed & aliis prodeſse poſsit?

Resp: Sumptio Eucharistiæ non ſolum ipsis digne communicantibus, ſed & aliis quibus applicatur, & pro quibus offertur, viventibus quidem per modum impetrationis, mortuis vero per modum ſuffragii prodest. Sacra siquidem Eucharistia. est actus Religionis, omnis autem actus Religionis est ſatisfactorius, non pro eo tantum, a quo elicitur, ſed & pro aliis, quibus applicatur, & impetratorius, quia Deo in gratiam aliorum oblatus, iisdem ſuffragatur.

ARTICULUS 2dus

De dispositionibus ad Sacram Eucharistiam digne recipiendam requisitis.

Quæres 1mo. Quæ prærequiruntur dispositiones ad digne & fructuose ſacram Eucharistiam recipiendam?

Resp: Ad Sacram Eucharistiam digne & fructuose recipiendam dispositiones aliæ ſe tenent ex parte corporis, & ſunt jejunium, munditia corporis, & exterior ſuscipientis modestia. aliæ se tenent ex parte animæ, videlicet immunitas á peccato mortali, ac pia interior devotio.

Quæres 2do. Quo jure ad Sacram Communionem jejunium requiritur?

Resp: Illud non requiritur jure Divino, sed jure solum

ſtum Apostolico. Universalis siquidem hæc semper tenuit consvetudo ab ipsis promanans Apostolis, ut Eucharistia nonnisi à jejunis reciperetur. Quare S. Augustinus Epist: 54. sic inquit: *Placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius corpus Domini intret, quam cæteri cibi, nam ideo per universum orbem mos iste ſervatur.* Severa autem hujusce jejunii lex exigit, ut à media nocte illius diei, quo quis Eucharistiam conficere, vel recipere vult, nihil omnino sumat, sive per modum cibi, aut potus, sive per modum medicinæ, aut cujusvis rei, quæ consveto more digeri in stamacho possit. Et id constat ex unanimi omnium fidelium sensu, qui siquid minimum, licet incauti sumpserint, à sacra communione abstinent, unde Rubrica Missalis titulo de defectibus art: 9. sic statuit: *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam per ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.* Verum ut jejunus quis censeatur, non est necesse, ut ex quo ante mediam manducavit, aut biberat, dormierit, aut sumptus potus, cibusque sit in stomacho ipsius digestus, etsi quandoque conveniens sit, ut propter capitis gravitatem aut animi torporem, quibus impeditur devotio, à communione, & magis à celebratione abstineatur. Unde Rubrica Missalis loco supra laudato sic inquit: *Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum ſumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat, ſed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.*

Quæres 6to. Quando jejunium ad Eucharistiæ ſumptionem requisitum ſolvitur?

Resp: Hac de re ista generalis statui solet regula, nimirum id omne & solum solvit jejunium ad Eucharistiæ sumptionem prærequisitum, *1mo.* quod sumitur per modum cibi & potus, in stomacho naturali calore digestibile, *2do.* quod sumitur eo modo, qui proprie humanam denotat manducationem aut sumptionem. Hinc non solvit jejunium. *1mo.* quidquid per modum salivæ traijcitur in stomachum, ut pituita, sanguis è cerebro, gingivisque profluens, item vini, & aquæ reliquiæ, quibus os abluitur; reliquiæ quoque cibi, quæ cum remanserint inter dentes, cum saliva, & per modum salivæ traijciuntur. Idem est, si quis aut cibum momorderit, aut jusculum, seu liquorem lingva, & palato solum gustaverit. Secus si hæc ex

pro-

proposito degluciantur, & sumantur, licetsi in quantumcunque parva quantitate, quia tunc vere comederentur. *2do.* neque id solvit jejunium, quod per respirationem attrahitur ut pulvis. musca, pluvia, nix, fumus assæ, aut coctæ carnis, quia hæc invitum subeunt, & nihil est horum, quod vere cibi, aut potus rationem habent.

Quæres 7mo. Solviturne jejunium, si in stomachum traijciatur res quæpiam, vel non comestibilis, ut ofsiculum, papyrus, vel comestibilis quidem, at non trajiciatur per os, fed per nares, ut tabacum, aqua hungarica?

Resp: Quæ nihil habent nutritivi, neque naturaliter in stomacho digeri possunt, & si in stomachum traijciantur, non obsunt jejunio & talia sunt, ossiculum, acicula, lapillus, frustulum ligni. Si vero in stomachum quidpiam traijciatur, quod aliquid in se nutritivi habet, veluti papyrus, folium tabaci, quod masticatur, frustulum saccari, per id jejunium solvitur. Quia priora nullam habent rationem cibi, posteriora vero retinent rationem cibi, ac proinde posterioribus jejunium solvitur, non vero prioribus.

Quod attinet aquam hungaricam, atque tabacum quæ per nares attrahuntur. Et quidem si aliquid aquæ hungaricæ in fauces deciderit, & cum saliva in stomachum traijciatur non solvit jejunium, quia non fumitur per modum potus, secus si ex proposito, fumatur. Pariter tabacum, si quod ejus in fauces inciderit, prompte, ac statim eijcitur, unde vix quidpiam hinc oriri potest fcrupuli. Si vero ultro deglutiatur, impedit communionem, quia solvit jejunium.

Plus autem difficultatis habet fumus tabaci, qui ore attrahitur. Attamen plures Theologi docent fumo tabaci, etiamsi nolenter in stomachum traiiciatur, jejunium non violari, quia neque vera est comestio, neque potatio, & alioqui qui cum tabacum fumigantibus iter agit, aut commoratur, fumumque illum ore, & naribus invitus excipit, sacrum celebrare, vel ad communionem accedere non pofset, quod nemo dixerit, qui enim proprii tabaci fumum excipit, communiter invitus in se excipit, & vel totum per os, ac nares emittit, vel non nisi parum admittit, per modum respirationis.

Hic tria annotanda, & attendenda funt. *1mo:* Jejunium solvi per id etiam, quod alicui violenter infusum, in eos intrusum, et ab ipso in stomachum trajectum fuerit. Quis enim illum jejunum reputaverit, cui etsi reluctanti ampla

ampla vini lagena infusa fuerat. *2do*: Eum, qui lectulum ingrediens, saccarum, aut simile quid liquefiens, ori imposuerit, paulatim ſolvendum, & in stomachum insensibiliter traijciendum, ſequenti die ad sacram Synaxim accedere non poſse, nisi moraliter certus sit, quod vix fieri potest, se nihil post mediam noctem transglutiſse, in dubio enim non potest jejunum ſemet præsumere, qui ſe voluntarie exposuit periculo jejunium violandi. Pariter qui dubitat utrum aliquid per modum cibi, potusque deglutierit, ac ſumpserit, si dubium prudenter excuti non poſsit, debet tutiorem ſequi partem, ac proinde à sacra Communione abstinere. Idem faciendum est, quando occurrit dubium, an quis ante, vel post mediam noctem aliquid ſumpserit, aut deglutierit. *3tio*: Circa horologia, cum in aliquo loco à se invicem diſsonant, iis adhærendum est, quæ plus merentur fidem. Si quis tamen Astrorum peritus, ex eorum situ certo cognosceret, horologia maturare gradum, poſset istis denegare, illis adhibere fidem. Ceterum primus horologii pulsus, ubi præsertim unicum est, diei ſequentis, ac proinde jejunium inchoatum indicat, unde qui celebrare, vel ad sacram communionem accedere vult, ubi primum mediæ noctis pulsum audit, quidquid in ore mandit, illico expuere debet, & ſedulo cavere ne quid præcedentis cibi deglutiat, & ſumat.

Quæres 8vo: An in hoc jejunii ad Eucharistiæ ſumptionem prærequisiti, præcepto, dari poſsit parvitas materiæ?

Resp: Præceptum, ad ſervandum jejunium ab iis qui celebrare, vel ſacram communionem ſuscipere intendunt, adstringere graviter & stricte ſub mortali peccato obligare, indubitatum est. Neque in hoc parvitas materiæ, sive ex parte rei ſumptæ, sive ex parte temporis, quo quidpiam post mediam noctem accipitur, occurrere potest. Unde quemadmodum graviter peccat, qui celebrat, aut communicat ſumpto cibo vel potu, quamvis in modiciſsima quantitate, ita etiam mortaliter peccat, qui celebrat, aut communicat, si vel uno minoto horæ post mediam noctem quidpiam cibi, aut potus ſumpserit.

Quæres 9no: An, et quæ causæ excusant à lege jejunii ad ſumptionem Eucharistiæ requisiti?

Resp: Concilium Constantiense Ses: 13. sic statuit, *Eucharistiæ Sacramentum non debet confici post Cœnam, & à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius neceſsitatis, à jure, vel ab Ecclesia conceſso,* *vel*

vel admiſſo. Unde ab austera prædicti jejunii lege, excusat imprimis vitandæ irreverentiæ neceſsitas, ut si periculum sit, ne sacræ hostiæ in potestatem Infidelium deveniant, & profanentur, item ne comburantur, aut aliud quid inhonesti ſubeant. Tunc enim & à Laico contingi, & ab eo, etsi non sit jejunus, & Sacerdos desit, consumi poſsunt. Idem est, si post consecrationem, deficiat Sacerdos, nec præsto sit alius, qui ſumat consecratas ſpecies, & ipsæ citra corruptionis, aut gravis alterius irreverentiæ periculum ſervari nequeunt, tunc enim & â Laico non jejuno ſumi poſsunt, quia lex jejunii in favorem, ob reverentiam ſcilicet SSmæ Eucharistiæ, constituta est. Ergo non obligat, quoties ipsa ejus reverentia contrarium exigit, & postulat.

Huc etiam pertinet neceſsitas perficiendi Sacrificium, unde Sacerdos celebrans, qui loco vini aquam in calicem posuit, & vel totam, vel partem illius ſumpsit, statim ac errorem detexit, non debet id expuere, quod ore gerit, ne quid simul hostiæ expuat ſed tenetur iterum vinum consecrare, & ſumere, licetsi non sit jejunus. Idem est, si peracto jam alterius ſpeciei consecratione recordetur Sacerdos se non eſse jejunum. Imo qui post solutum jejunium, etiam scienter, ad sacrificandum acceſsit, ubi alteram ſpeciem consecravit, jam desistere non potest, ſed præmiſso sinceræ contritionis actu, ſacrificium consumare debet. Quodsi vero Sacerdos ante consecrationem recordetur se non jejunum eſse, censet S. Thomas Doctor, tutius eſse, incæptam Miſsam deserere, nisi grave scandalum timeretur, vel infamia Sacerdotis. Sed quia hæc, nec immerito, propter rei novitatem timentur, nisi celebrans notæ sit, aut saltem præsumptæ probitatis, imo & insuper iis, coram quibus celebrat, dilectus, tot forte ſunt casus, in quibus sacrum continuare oportet, quam in quibus ab eo desistere neceſse est. Interim qui ob violatum jejunium Miſsam abrumperet, hujus ceſsationis innocentem causam populo aperire teneretur.

Quæres 20mo: Quid faciendum sit, si ſumpta ablutione ſuperstites Hostiæ particulas advertat Sacerdos?

Resp: Id definitum est verbis Rubricæ Miſsalis titulo 7. de Defectibus Nro 2. *Si deprehendat Sacerdos, etiam post ablutionem, reliquias relictas consecratas, eas ſumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium ſpectant. Si vero relicta sit Hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat, vel ſequenti Sacer-*

doti

doti relinquat. Et vero non potest decenter Sacrificium perfici sine ablutione, fieri autem nequit, ut ablutioni non immisceatur particula aliqua, quæ vel remansit in calice, vel dentibus, faucibusque adhæserat, vel in patena, corporalique postea apparet, qui ergo hæc etiam post ablutionem fumit, Ecclesiæ præceptum non violat. Interim ſedulo curare debet celebrans, ut fragmenta quæ ſuperſunt, quantum moraliter fieri potest, colligat, & ante sanguinis ſumptionem in calicem mittat, cum sanguine ſumendo. Unde lethaliter peccant, qui ut breviorem faciant Miſsam, vix patenam digito purificant, imo aliquando non purificatam, abstergunt purificatorio, quia ſæpius sacras reliquias excutiunt.

Sed & illæ particulæ quæ in corporali deteguntur, ab alio Sacerdote præconsecratæ, ſumi post ablutionem & poſsunt, & debent, quia præcedentis Sacrificii defectus ſupplere oportet. Pariter cum Sacerdos purificat Pixidem, reliquias consecratas, quæ tandem ſupereſse advertuntur cum una ac multiplici ablutione absumere potest, & debet.

Porro tamdiu Sacerdos ſuperstites particulas consumere post ablutionem potest, quamdiu ab Altari non diſceſsit, etiamsi forte diu ibi fuerit moratus vg. ad Eucharistiæ dispensationem, quia quamdiu Altari Sacerdos adstat, unam moraliter Sacrificii actionem continuare censetur. Si vero jam ab Altari receſserit, etsi adhuc sacris vestibus indutus sit, fragmenta ſumere non potest, eſset enim tunc nova, ac distincta communio non jejunis ſevere prohibita. Si tamen istiusmodi reliquiæ citra irreverentiam servari nequeant, tunc à Sacerdote etiam sacris vestibus exuto, ſumi poſsunt, vel tradi debent cuipiam ad communionem disposito.

Non est tamen eadem ratio integræ hostiæ, ac fragmentorum. Ecclesia siquidem jejunii legem quoad fragmenta temperavit, quia illa ſunt veluti quædam Sacrificii partes, & ideo ad ejus integritatem pertinent. Formulæ autem integræ, non se habent ut partes Sacrificii, ſed ſolum consecrantur, ut vel tunc, vel postmodum fidelibus distribui poſsint. Ergo graviter peccat Sacerdos, si post ablutionem istiusmodi integras abſumat hostias, quia in rigore non est omnino jejunus, nisi id ad vitandam Eucharistiæ irreverentiam, omnino neceſsarium eſset, puta quia deest tabernaculum in illo loco, Sacerdos quoque qui sacra peracturus sit, non comparet.

Quæ-

Quæres 11mo: Quæ præterea excusant â lege jejunii, ad sumptionem Eucharistiæ prærequisiti?

Resp: Excusant sequentia. *1mo:* Necessitas vitandi scandali, alteriusque notabilis damni, quia positivæ leges non obligant cum gravi detrimento. Ita S. Thomas Doctor, & alii communiter Theologi. Hinc colligunt, Sacerdotem non jejunum celebrare posse ne incurrat gravem infamiam, si postquam sacrum inchoavit, ab altari recedat.

2do: Sumptio viatici ab infirmo, qui morbo pressus ad finem vitæ tendit. Sed hic notanda sunt nonnulla. Et quidem *1mo:* peccare Parochum, ejusve Vicarium, qui cum commode valeat deferre Eucharistiam ad infirmum ut jejunus communicet, id ad vesperam differt, cum ille jam jejunus non erit. *2do:* Cavendum summopere est, ne moribundo, quia jejunus non est, communionem in crastinum differat, cum periculo vel sine ea decedendi, vel illam recipiendi cum minus rationis compos fuerit. *3tio:* Nec proinde scrupulosius discutiendum est, an certum sit periculum mortis, ne dum deliberatur, interim infirmus sine viatico moriatur, *4to:* Quamvis infirmus una vel altera post mediam noctem hora jejunus permanere possit, non ideo differenda est ægroti communio, quia Ecclesiæ consvetudo non est, ut incommoda intempestivæ noctis hora ad infirmos deferatur viaticum, nisi tunc specialiter necessitas urgeat. Neque moris est, ut Pastor, qui mane ut plurimum gravibus populi negotiis detinetur, omnia statim deserat, ut nonnisi jejuno Synaxim porrigat.

3tio: Sacrificii perficiendi necessitas, videlicet, cum Sacerdos, peracta consecratione solius etiam panis, deficit, nec haberi potest Sacerdos alter jejunus, qui Missam perficiat. Tunc enim & non jejunus Missam finire potest. Quia perficere Sacrificium de jure divino necesse, jejunium vero nonnisi juris est Ecclesiastici.

Hic unum addendum est, quod facile contingere potest: Si nocte Nativitatis Domini, Sacerdos multum ante mediam noctem Missam inchoaverit, & errorem non detegat, nisi post consecrationem, tunc si quidem prope est media nox, Missa est protrahenda usque dum tempus mediæ noctis transierit, ut ea elapsa sacra communio sumatur, si vero horæ totius, aut mediæ spatio, media nox esset expectanda, censent nonnulli Missam solito more continuandam esse, & sacram communionem sumendam. Non enim lex jejunii exigere potest, ut tanta sit inter præcipuas Missæ partes, interruptio. Quodsi in hoc casu Sacerdos

ante mediam noctem ablutionem ſumpserit, poterit ipsa die Natali Domini, reliquas duas Miſsas celebrare.

Quæres 22mo. An infirmo non jejuno pluries viaticum dare liceat?

Resp: Certum est 1mo: infirmo, etiam citra mortis periculum decumbenti, sæpius deferendam eſse Eucharistiam, si petierit, & jejunus eam recipere poſsit. 2do: infirmum, si jam satis a morbo convaluerit, nonnisi jejunum Eucharistia refici poſse, quia tunc nulla jam ſubest neceſsitas à jejunio excusans. Sed ei, qui postquam aliquantulum convaluit, & in idem, vel simile periculum relabitur, licitum est non jejuno communicare toties, quoties hæc statuum varietas contigerit, quia tunc novus redit neceſsitatis casus. Imo: ille etiam, qui Viaticum jam recepit, & gravi, ac diuturno detinetur morbo, licite pluries, non jejunus etiam, Eucharistiam recipere potest, quia cælestis iste cibus infirmo datur, non tantum ut divino præcepto, de ſumendo viatico, satisfaciat, ſed & in præsidium contra insidias & vim diaboli, qui tunc potentius insidiatur. Unde cum gravis, diuturnique morbi dolores, gravis sint, ac diuturna tentatio, cui aliæ plures accedunt, plus urget muniendi, ac corroborandi animam hominis Christiani neceſsitas, quam ſervandi jejunii obligatio. Quanto autem temporis intervallo, à Viatici receptione, distare debeat, communio ſequens, à non jejuno ægro ſuscipienda, diſputant Theologi, iis aſsentiendum est, qui dies octo, aut decem requirunt, prout in antiquo Rituali Romano constitutum erat. Unde qui frequentius pro devotione communionem in ſua infirmitate exoptaret, jejunii legem, ſervare tenetur.

Quæres 23tio: An, ne æger sine viatico decedat, licitum sit Sacerdoti non jejuno, Miſsam celebrare?

Resp: Id licitum non eſse. Quia præceptum divinum de ſumendo viatico tunc ſolum obligat, quando ſacra Eucharistia haberi & ſumi potest congrue, ac convenienter, juxta statutas Eccleſiæ leges, & ſecundum præscriptum ab ipsa ordinem, unde ut detur viaticum, non licebit sine sacris vestibus Miſsam celebrare, quia tunc Eucharistia congrue, & convenienter haberi nequit.

Quæres 24to: An & qualis requiritur Corporis munditia, ad sacram Eucharistiam recipiendam?

Resp: Corporis munditia, de qua, utrum ad ſumptionem Eucharistiæ sit neceſsaria, nunc inquiritur, iis opponitur fæditatibus, quæ humanum corpus maculant, & in-

& inquinant, videlicet, lepra, fluxus sanguinis, menstrua muliebris, actus conjugalis, ac pollutio involuntaria. Itaque *1mo:* Lepra, sanguinis fluxus, menstrua muliebris, pollutio nocturna, ac involuntaria, & alia id genus, quæ sine culpa homini eveniunt, per se ab Eucharistia non prohibent. Quia labes istæ nec peccata ſunt, neque veræ obstant devotioni, & qui his ſubjecti ſunt, commiseratione magis digni ſunt, quam aliqua pæna, unde Christus claudos, & debiles ad convivium invitare juſserat. Pollutio autem etsi nocturna, ſed vel in se vel in causa voluntaria, magis sacram impedit communionem, quam cetera peccata, quia gravior, & tenacior est.

2do: Nocturna quoque illusio, in se & in causa inculpabilis, per se non obstat sacræ communioni. Quia id ſolum per se à sacra removet communione, quod & gratia ſanctificante hominem privat, & internam impedit devotionem. Nocturna autem illusio, sicuti & pollutio in se & in causa inculpabilis, neque gratia ſanctificante hominem privat, neque internam devotionem impedit. Non ergo per se obstant sacræ communioni. Imo: istiusmodi dæmonis deceptiones contemni debent, si advertatur eas potiſsimum tunc ingruere, cum quis ad Eucharistiam accedere constituerat. Postulat attamen tanti Sacramenti dignitas, ne quis ad illud accedat aut corpore fædus, aut ex præcedenti illusione distractus. Hoc tamen impedimentum, quod nonnisi ex congruitate provenit, postponi debet propter rationabilem causam, quia v.g. communionem, celebrationemque exigit festus dies, vel neceſsitas satisfaciendi contractæ obligationi. Quod vero de pollutione nocturna modo dictum est, idem dicendum de diurna, quæ vigili contingit, si inquam involuntaria prorsus sit, sacram communionem per se non impedit, ex congruitate tamen ac reverentia tanti Sacramenti, ab ea abstinendum est, nisi aliud rationabilis exigat causa.

3tio: Quamquam optandum est, ut qui ad sacram Eucharistiam accedere intendunt, aliquot ante diebus ab actu conjugali abstineant. Haud tamen delinquunt qui regulam hanc non ſervant, sive debitum conjugale reddendo, sive etiam justa de causa illud exigendo.

Quæres 15to. Quæ ſunt ex parte animæ dispositiones, ad dignam Eucharistiæ receptionem, requisitæ?

Resp: Ad sacram Eucharistiam digne recipiendam, præprimis requiritur puritas conscientiæ, ſeu immunitas à peccato mortali, quare qui peccati mortalis sibi conscius

scius est, regulariter prius confiteri debet, quam vel Missam celebret, vel ad sacram communionem accedat. Ita docet, & jubet Concilium Trident: Sess: 13. Can: 11. his verbis: *Ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo ad mortem, & condemnationem sumatur, declarat Sancta Synodus, illos quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia Confessarii, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem:* Ad Eucharistiæ siquidem consecrationem, aut illius receptionem, requiritur status gratiæ, de quo certo moraliter constet sive consecranti, sive communicanti. Porro: licet status gratiæ per contritionem perfectam haberi possit, non sic tamen, ut de eo moraliter certo constet, quoniam contritio perfecta, & difficulter & raro haberi potest. Præmittenda igitur est Confessio Sacramentalis, & hoc necessarium est, non dumtaxat, ex præcepto Ecclesiastico, sed quandantenus ex præcepto divino naturali. Jus enim divino naturale postulat, ne quis in re omnium gravissima, incerta certis præponat. Porro qui perfectæ, quam habere se putat, contritioni confidit, & ideo Sacramentalem negligit confessionem, quæ utique ad purganda peccata, & acquirendam gratiam longe & facilior, & tutior est, incerta præponit certis. Jus ergo divino naturale hoc in puncto violat. Si tamen desit copia Confessarii, & urgeat celebrandi, aut communicandi necessitas, poterit quis etiam non confessus, modo tamen vere contritus, celebrare, aut communicare.

Quæres 26to: Quando censetur deesse copia Confessarii?

Resp: Copia Confessarii censetur deesse. *1mo.* Cum sine gravi incommodo adiri nequit, vel etsi præsto adest, perinde est, ac si non adesset. Hinc Confessario carere censentur. 1mo: Qui ob viarum molestiam, magnam itineris distantiam, populi diu expectaturi murmura, Confessarium adire non potest. In quo autem præcise consistat grande illud incommodum, certa lege definiri nequit, quod enim seni gravissimum est, leve est juveni. Sed hoc non favet iis, qui persistunt in concubinatu, ebrietate, vel aliquo alio gravi peccato.

2do: Cui præsto non est, nisi Sacerdos, vel excommunicatus, denuntiatus, vel carens jurisdictione, seu simplici, quia ad audiendas Confessiones approbatus non est, seu speciali, quia nihil potest in casus reservatos, quorum aliquem incurrerat is, qui ad celebrandum tenetur,

tunc enim nec à reservatis, nec à non reservatis absolvi potest. Non tamen censetur deesse copia Confessarii, quia ille præsto non est, cui quis confidentius, aut etiam utilius confiteri solet, aut quia Religiosus crimen á se commissum non potest sui Ordinis Sacerdoti, confiteri, quod maxime ad consulendum suæ Religionis famæ exoptaret, cogiturque nonnisi Præsbytero Sæculari lapsum suum aperire, aut denique, quia non adest Sacerdos, nisi ille cum quo quis inimicitias ac lites, contentionesque gerit. Istiusmodi siquidem rationes, non sunt tantæ, ut propter ipsas Sacerdos præsens, & qui Sacramentum Pænitentiæ ordinate administrare potest, quasi absens censeatur.

Verum ut quis peccato mortali gravatus non præmissa Confessione celebret, aut communicet, non sufficit quod desit copia Confessarii, requiritur insuper gravis necessitas, quæ sive celebrationem, sive communionem exigat. Quia grave præceptum Confessionem Sacramentalem exigens, gravem excusantem causam exigit, & Synodus Tridentina Sess: 13. Cap: 7. ad hoc, ut quis reus peccati mortalis, non præmissa Sacramentali confessione, cum ipsi copia Confessarii deest, celebrare possit, urgentem causam requirit.

Quæres 17mo: Quæ sunt illæ graves causæ, propter quas, cum deest copia Confessarii, non præmissa Sacramentali Confessione, celebrare quis possit?

Resp: Istiusmodi causæ sunt sequentes: *1mo*: Si celebratio Missæ necessaria sit, ut moribundo viaticum conferatur. Pariter si urgeat aliquod præponderans præceptum. Qui enim duo simul concurrentia præcepta servare nequit, illud servare debet, quod strictius obligat, & plus urget, maxime, cum præceptum prætermissum suppleri per quidpiam aliud poterit, prout Confessio omissa per contritionem perfectam suppleri & compensari valet. Unde, si timeatur ingens populi offensa, ut si vg. dies festivus adsit, & populus jam convenerit ad divina, vel corpus alicujus defuncti parochiani præsens sit in Ecclesia, vel nubentes ad Ecclesiam venerint, pro impetranda benedictione, & matrimonio contrahendo, tunc etiam non confessus, sed vere contritus celebrare potest Sacerdos. *2do* Ut vitetur grave populi scandalum, ac ingens Sacerdotis infamia, si nempe futurum sit, ut nisi Sacerdos celebret, plebs graviter obmurmuret, ac temeraria multa in eum effutiat, & is proinde grave inde fa-

mæ

mæ ſuæ detrimentum patiatur. Utrumque enim cum maxime charitati adversetur, vitari debet, & averti. Cavendum tamen est, ne populi admiratio, instar scandali habeatur, quod enim miretur populus, & habeat Sacerdotem pro minus devoto, non est grave malum.

Si vero Sacerdos jam ad Altare constitutus, mortalis peccati recordetur, cum vix ac ne vix quidem fieri poſsit, ut qui in Ecclesia publica coram pluribus celebrat, Misſam abrumpere teneatur, quia vix unquam id fieri sine gravi scandalo potest, ideo præmiſso contritionis actu, prosequi Miſsam debet. Si tamen sine nota, accersito Sacerdote confiteri poſsit, ſeu dum habetur Concio, quia solemniter celebrat, ſeu dum prolixius aliquid cantatur, erit id faciendum, non tamen post consecrationem, quia non expedit Sacrificium, peracta jam consecratione, sic interrumpere. Maior est difficultas si Sacerdos vel in Sacello, vel in Ecclesia coram uno aut altero tantum, qui notæ sint discretionis, celebret. De hoc id unum statui potest, raro admodum fieri, ut Sacerdos incœptam Misſam deserens, nemini sit scandalo, & hinc forte S. Bonaventura simpliciter negat, teneri Sacerdotem ab Altari discedere, ut confiteatur. Unde & Miſsale Romanum de defectibus Nro 8. sic statuit: *Si in ipsa celebratione Miſsæ, Sacerdos recordetur se eſse in peccato mortali, conteratur, cum proposito confitendi, & satisfaciendi.* Quod autem de Sacerdote respectu celebrandæ Miſsæ dictum est, idem dicendum est de Laico, quo ad sacram communionem recipiendam, & is enim dum sine nota, utique gravi, & periculo infamiæ, à sacra Eucharistia abstinere non potest, haud tunc abstinere tenetur.

Generaliter autem, qui jam Sacra celebrans, recordatur ſe eſse in peccato mortali, statim actum contritionis elicere tenetur, quia tanta est singularum Sacrificii partium dignitas, ut nulla sit quæ à Sacerdote fædato impune perfici queat. Id tamen moraliter accipiendum est, haud enim expedit, ut qui Evangelium legit, aut canit, hæreat in medio, ut contritionem eliciat, unde satis est, ut elevata tunc ad Deum mente, ſpatio opportuno brevem, ſed intenſum eliciat contritionis actum.

Quæres 18vo: Quid faciendum est, si delata ad moribundum Eucharistia, is in Confeſsione fateatur ſe crimen quodpiam continuo tacuiſse, unde iterandæ ſunt multorum annorum confeſsiones?

Resp: Vel æger morti proximus est, vel sat virium, & tem-

& temporis habet, ut vel tunc, vel deinceps plene confiteri posſit. Si *1mum:* cum non posſit plene & integre, confiteri, facienda est ab eo confeſsio ſaltem quoad graviora, quantum fieri poterit, ita tamen, ut nimium non defatigetur, & absolvatur, atque communicetur. Si *2dum:* & tunc æger posſit, absque eo, ut gravis adstantibus ingeratur ſuspicio, & ipse gravem boni nominis subeat notam, plene & integre confiteri, id efficiendum est, quod si hoc fieri nequeat, videndum, an sub aliquo legitimo prætextu, Viaticum differri posſit, an non. Si differri posſit, ipse æger adstantibus denuntiet, se modo propter animi indispositionem, nolle viaticum ſuscipere, & Sacerdos alio commodo tempore, plenam & integram ab eo recipiet Confeſsionem, & viaticum illi ministrabit. Quodsi Viaticum differri nequeat, quia gravem æger ſubiret boni nominis jacturam, neque plena, & integra Confeſsio posſit excipi, quia gravis adstantibus de infirmo ingereretur ſuspicio, maxime, si ſolito longius protrahi debeat, tunc audita graviorum criminum Confeſsione, quantum permittet tempus, infirmum absolvat, & communicet; ac postea opportuno tempore ad eum reversus pleniorem ab illo excipiet confeſsionem.

Quæres 19no: An qui inter confitendum, alicujus mortalis peccati inculpate oblitus est, ac ipsius postea recordatus fuerit, ante communionem illud confiteri debeat?

Resp: Non omnino neceſse est, ut ante ſumptionem Eucharistiæ illud confiteatur, quia istiusmodi peccatum cum aliis per Sacramentalem Confeſsionem vere deletum, ac remiſsum fuerat, cum unum peccatum mortale sine alio remitti nequeat, ac proinde vel omnia simul peccata mortalia delentur, vel nulla. Etsi autem hic & nunc ante Eucharistiæ ſumptionem, non sit obligatio, peccatum inculpate omiſsum confiteri, confiteri tamen illud postea neceſse est, quia id Confeſsionis integritas requirit.

Hic tamen quædam notanda ſunt: *1mo.* qui Confeſsarium adhuc paratum habet, debet ei id aperire, quo gravatur, cum id nec sibi nec aliis, qui adstant, pænitentibus, oneri erit, quod facilius est laicis, quam Sacerdoti, is enim vel ſcrupulosi, vel depravati, notam, apud populum, si publice confiteatur, facile consequeretur. *2do.* hæc decisio iis prodeſse potiſsimum potest, qui Sacramenta frequentant, videlicet: qui octavo quoque die, peccata confitentur, si enim oblita peccata confiteri neceſse sit, neceſse etiam est, obligationem hanc in longum tempus non

non differre. Unde qui raro confitentur, debent vel ante, oblitum peccatum confiteri, priusquam ad ſacram communionem acceſserint, vel paulo post, quia obligationis adimpletio diu differri non debet. *3tio.* non eadem est ratio omnium peccatorum, quæ tempore Confeſsionis memoria exciderunt; quædam enim talia ſunt, quæ si fuiſsent in Confeſsione manifestata propter ea, confeſsis, & absolutio fuiſset denegata, & Communio prohibita foret, & talibus præcedens resolutio ſervire nequit, istiusmodi namque peccatorum, si aliquod in Confeſsione oblitum fuiſset, & à ſacra Communione omnino abstinendum est, & ad Confeſsarium neceſsario redeundum. Unde adducta resolutio piis tantummodo, & intelligentibus, sive Ecclesiasticis, sive Laicis, potiſsimum vero, quo ad peccata pridem commiſsa, & multum exosa, inservire potest, non ceteris.

Quæres 2omo. An qui propter Confeſsarii defectum prœtermiſsa Confeſsione, urgente neceſsitate, Miſsam celebravit, aut communionem accepit, confiteri quam primum debeat?

Resp: Debet quam primum confiteri, istud & expreſse Concilium Tridentinum Seſs: 13. Cap: 7. mandavit: *Si neceſsitate urgente Sacerdos absque prœvia Confeſsione celebraverit, quam primum confiteatur:* idem habet Rubrica Miſsalis Romani titulo 8. de Defectibus, ubi preſsius præceptum indicat, & exprimit his verbis: *Si quis in casu neceſsitatis, non habens copiam Confeſsarii, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat, ſecus: si conteratur, debet tamen cum primum poterit, confiteri.* Atque hoc præceptum graviter obligat, quia est in materia gravi. Unde damnata est ab Alexandro 7. ſequens propositio: *Mandatum Tridentini factum, Sacerdoti ſacrificanti ex neceſsitate, cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non prœceptum.* Hoc vero præcepto tenetur & Laicus, qui ex neceſsitate communicat non confeſsus, & Sacerdos qui in die Parasceves Sacra peragit, quamvis enim Patres Tridentini de Sacerdote celebrante loquantur, & neque Laicus communicans, neque Sacerdos in die Parasceve, defectu consecrationis, verum celebret Sacrificium, attamen ratio, finis legis, à Concilio Trident: constitutæ, in omnibus etiam Laicis militat, finis enim & ratio istiusmodi legis hæc est, ut nemo gravi culpa ligatus, ad ſacram Eucharistiam accedat, nisi præmiſsa Confeſsione, qui vero ſecus propter urgententem neceſsitatem fecerit, quam primum confiteatur,

& omiſ-

& omiſsionem hanc reparet. Porro ratio hæc ſubsistit etiam respectu Laicorum. Omnes ergo sive Laicos communicantes, sive Sacerdotes celebrantes, stringit, & obligat. A fortiori autem obligat Sacerdotes, qui nulla adacti neceſsitate, in peccato mortali celebrant, aut etiam in ipsa celebratione, graviter delinquunt, maxime ante communionem, tum & ille qui ad perficiendum ab altero inchoatum Sacrificium aſsumitur. Hi enim omnes, quam primum confiteri tenentur, quia qui alterius vices ſupplet, veram Sacrificii actionem perficit, & Eucharistiæ Sacramentum percipit, & qui nequiores ſunt in violando Sacratiſsimo Sacramento, non ideo ab hac lege eximi debent.

Quæres 21mo. Hæc confeſsio quam primum facienda, quo tempore fieri debet?

Resp: Hoc tempus breviſsimum eſse debet, unde vox illa á Tridentinis Patribus apposita, *quam primum*, strictiſsimo ſensu ſumi debet. Unde, etsi censeant non pauci, Sacerdotem præcepto Tridentino ſatisfacere, qui intra triduum confitetur, multo tamen æquius, & tutius est, si post celebrationem statim, ac nactus fuerit copiam Confeſsarii confiteatur, ipso etiam celebrationis die, si sine magna difficultate, id facere poſsit. Idque adhuc certius est, si Confeſsarius qui modo præsens est, paulo post, ad aliquos dies abeſse debeat, atque multo magis, si alioqui crastina die, adhuc sine confeſsione celebrandum eſset, quia dilatio licet parva quo ad tempus, eſset magna in qualitate, quia foret causa novæ, sine confeſsione, celebrationi. Merito itaque ab Alexandro 7. damnata est ista propositio: *Illa particula, (quam primum) intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*, quia Sacerdos non expectando ſuum ordinarium, si quod habet, ac consvetum confitendi tempus, statim post Miſsæ celebrationem, vi legis Tridentinæ, confiteri tenetur.

Quæres 22do. Qui peccati mortalis reus, indigne ſacram recipit Eucharistiam, quale committit peccatum?

Resp: Qui reus peccati mortalis voluntarie ſacram ſumit Eucharistiam, ac proinde indigne communicat, graviſsime peccat. Quia sic indigne ſacram ſumit Eucharistiam: ut docet Paulus Apostolus, reus est corporis, & ſanguinis Christi, judicium sibi manducat, & bibit, Filium Dei conculcat, & ſanguinem Testamenti polluit. Hæc vero gravitatem, & immanitatem ſceleris, apertiſsime ostendunt. Ceterum, quo graviora ſunt peccata illius, qui indi-

indigne ſacram ſumit Eucharistiam, eo gravius est peccatum indignæ Communionis. Ita docet S. Thomas Quæst: 80. art: 5. *tanto magis peccat indigne communicans, quanto peccata ejus graviora ſunt. Tamen peccatum fornicationis, magis reddit hominem ineptum, ad perceptionem hujus Sacramenti, in quantum, per hoc peccatum, ſpiritus carni maxime ſubijcitur.* Idem dicendum est, de aliis luxuriæ criminibus. Quare, qui cum multis, gravibusque peccatis ad Eucharistiam acceſsit, tenetur istam circumstantiam notabiliter aggravantem, in Confeſsione exprimere, ſaltem in genere, & aliquatenus etiam in ſpecie. Qui ergo in confeſsione generali oblitus est ſacrilegæ communionis, non ſufficit quod dicat tantum, ſe in statu peccati mortalis ſacram Eucharistiam ſumpsiſse, ſed declarare debet, ſe ad illam acceſsiſse multiplici peccato irretitum, videlicet: luxuriæ, ebrietatis. Sic enim & non aliter ſacrilegii, ab eo commiſsi, gravitas, à Confeſsario intelligetur.

Dices. Contingit aliquando ut quis peccato mortali onustus, dum illius sibi conscius non est, ad Eucharistiam accedat. Certe is non est reus indignæ communionis.

Resp: Dupliciter fieri potest, ut quis ad Eucharistiam accedens peccati, quo tenetur, conscientiam non habeat. *1mo.* ſua culpa, vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat à culpa, reputat non eſse peccatum, quod grave reipsa est, vel quia negligens fuit in examinatione ſui ipsius, & is peccat nihilominus graviter, indigne ſumens corpus Christi. *2do.* id potest contingere sine ipsius culpa, quando aut peccati ignorantia laborat inculpabili, & facto diligenti conscientiæ examine, illud non ſentit, ac tandem quantum potest conteritur, licetsi non sit ſufficienter contritus, is ſumendo corpus Christi, non peccat, neque reus indignæ communionis censeri potest.

Quæres 23tio. Præter immunitatem à peccato mortali, quæ præterea animæ dispositiones, ad dignam, & fructuosam communionem requiruntur?

Resp: Sequentia prærequiruntur *1mo.* viva fides, qua invisibilis in Eucharistia Christus, tamquam visibilis consideretur. Unde Apostolus ad Hebr: Cap: 10. inquit: *Accedamus cum vero corde, in fidei plenitudine.* 2do. effusa in Deum & proximum charitas, unde quisque ante, cum fratre reconciliari debet, quia ut ait Augustinus Serm: 271. *Qui accipit Mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non Mysterium accipit pro ſe, ſed testimonium contra ſe.* *3tio.* ardens devotio, ipsa enim tepiditas, ac in devo

tio,

tio, magnum ſunt fructuosæ communionis obstaculum. *4to.* immunitas ab omni affectu, & adhæsione ad quodlibet veniale peccatum, ac proinde omnimoda conscientiæ puritas, animæ ſanctitas, virtutum, ac bonorum operum opulentia, maxime dum ſæpius, ac frequenter Eucharistia ſumitur. Unde S. Chrysost: Homil: 17. in Epistolam ad Hebræos ſcribens, sic ait: *Quando dicit Diaconus Sancta Sanctis, hoc dicit: Si quis non est ſanctus, non accedat. Non simpliciter dicit, à peccatis mundus, ſed ſanctus. Sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, ſed etiam præsentia Spiritus, & bonorum opérum opulentia, non enim inquit, volo à cœno vos mundos eſse, ſed etiam albos, & pulchros.* Ad fructuose igitur, maxime frequenter communicandum, non ſufficit ut à labe peccati mortalis immunis sit, ſed etiam oportet, ut nulli veniali peccato adhæreat, sit ſanctus, in anima albus, pulcher, virtutibus, ac bonis operibus, veluti ſplendiſsima veste nuptiali exornatus. Magis autem illi, qui graviorum criminum rei, postquam etiam per ſacramentalem Confeſsionem purgati & justificati ſunt, antequam ad ſacram Eucharistiam admittantur, per aliquod tempus prius, in pietatis, ac pænitentiæ operibus exerceri debent, ut & certo appareat eorum sincera conversio, & ad digne atque fructuose ſuscipiendam ſacram Eucharistiam, congrue disponantur.

CAPUT TERTIUM

De Missæ Sacrificio.

ARTICULUS 1mus

De natura, & existentia Sacrificii novæ legis.

Quæres 1mo. Utrum in Ecclesia Christi, detur aliquod Sacrificium?

Resp: Christus abrogatis antiquæ legis Sacrificiis, in ultima ſua Cæna, quam pridie cum Discipulis ſuis manducavit, novum instituit Sacrificium, ſub visibilibus, panis & vini ſpeciebus, corpus, & ſanguinem ſuum, Deo Patri offerendo. Hoc ipsum fit in Miſsa, dum Sacerdos panem

& vi-

& vinum consecrat, & ſub ſensibilibus eorum ſpeciebus, corpus & ſanguinem Christi offert. Igitur in Miſsa verum perficitur Sacrificium. Unde Eucharistia & Sacramentum est, & Sacrificium. Sacramentum quidem, quatenus corpus & ſanguis Christi ordinatur, ad ſpiritualem animarum nostrarum medelam. Sacrificium vero, quatenus idem corpus, & ſanguis Christi, in recognitionem ſupræmi, Dei in res omnes creatas dominii, offertur, atque totum ad cultum Divinum ordinatur.

Quæres 2do: In quo consistat natura atque ſubstantia Sacrificii Miſsæ?

Resp: Miſsis variis Theologorum disputationibus, in quo unice eſsentia, ac ſubstantia Sacrificii Miſsæ consistat, quantum ad praxim pro certo tenendum est, jure Divino utriusque ſpeciei consecrationem, ad Sacrificium Miſsæ requiri, pariter ad integritatem ejusdem Sacrificii, utriusque ſpeciei consecratæ ſumptionem eſse neceſsariam. Quare Rubricæ Miſsalis Romani titulo de defectibus, præcipiunt, atque ordinant, ut si defectus ſubstantialis sive in pane, sive in vino post consecrationem advertatur, de novo panis aut vinum apponatur, & consecretur, ne mutilum, & imperfectum reddatur ſacrificium. Pariter eædem disponunt Rubricæ, ut si post Consecrationem deficiat Sacerdos ante ſumptionem ſpecierum, alius etiam non jejunus ſubstituatur Sacerdos, qui ſpecies consecratas ſumendo, Sacrificium perficiat. Ipsa tamen oblatorum ſpecierum consecratione, Sacrificium perfici videtur, quæ vero illam antecedunt præambula nonnisi eſse videntur. Unde iterum Rubricæ Miſsalis de Defectibus in ipso mysterio contingentibus, statuunt: *Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, aut moriatur, prætermittitur Miſsa, si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem ſanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Miſsa per alium Sacerdotem expleatur.*

Quæres 3tio. An & quando Sacerdos, Miſsæ Sacrificium celebrare teneatur?

Resp: Sacerdotum alii solum dignitatis suæ characterem habent, alii curam animarum gerunt, alii Beneficio ad Missarum celebrationem fundato, mancipati sunt.

Itaque *1mo.* Etsi nulla lege præcipitur simplicibus Sacerdotibus, quotidiana Missæ celebratio, attamen sæpe celebrare tenentur. Et id constat ex verbis Christi, quæ, consecrato, in ultima Cæna, pane, ad Apostolos protulit. Lucæ Cap: 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba

verba verum offerendi continent præceptum, quod non solum ad Apostolos referebatur, ſed ad omnes Sacerdotes, utpote eorum in ministerio Successores. Unde Concilium Trid: Sess: 22. Cap: 1. ait: *Apostolis, eorumque in Sacerdotio Succeſsoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem*, & Sess: 23. de Reformat: Cap: 14. præcipit Episcopis, quatenus invigilent, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnioribus celebrent: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Festis ſolemnioribus celebrent.* Et vero: Sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt, non solum potestatem offerendi, sed & munus, atque officium sacrificandi. Quilibet autem munus susceptum exequi tenetur. Unde peccant graviter etiam simplices Sacerdotes, qui fere nunquam celebrant, & ad vitandum hac in re peccatum, tenentur diebus Dominicis, ac reliquis festis diebus, præsertim solemnioribus, missam celebrare, nisi legitimo quopiam impedimento, sacris operari prohibeantur.

2do: Ii Sacerdotes, qui curam animarum gerunt, ſub gravi tenentur per ſe ipsos, aut per alios, Miſsam in Eccleſia celebrare, quoties eam fideles audire tenentur. Et id mandavit Concilium Trident: Seſs: 23. de Reform: Cap: 14. præcipiens, ut si Sacerdotes curam habuerint animarum, tam frequenter Miſsas celebrent, ut ſuo muneri ſatisfaciant. Certe: quando plebs Christiana Miſsam audire tenetur, eo ipso ad eam celebrandam tenetur, qui Plebî præest, & curam illius ſpiritualem gerit. Neque ſufficit Parocho, ut diebus Dominicis, festisque celebret, quibus plebs Sacrum audire debet, ſed etiam aliquando per hebdomadam id præstare tenetur, ut devotioni aliquorum è populo ſatisfaciat, & pro Parochianorum ſuorum neceſsitatibus, apud Deum intercedat. Merito dixit S. Cyprianus Epist: 61. *Decimas ex fructibus accipientes, ab altari & Sacrificiis non recedant.*

Specialiter vero Parochi ac Vicarii perpetui, ſeu ad tempus constituti, tenentur Miſsam Parochialem applicare, pro ſuis Parochianis, singulis diebus festis, de præcepto, & si illis diebus habuerint alias obligationes applicandi Miſsam, curare debent ut illis per alios Sacerdotes ſatisfaciant. Ita Bened: 14. in Bulla quæ incipit. *Cum ſemper.*

3tio: Capellanus celebrare tenetur, quoties, ubi, & quando præscribit fundatio. Quia pacta conventa ſervari debent, & ut inquit S. Gregorius M. Epist: 20. libro 9.

necesse

neceſse est, ut defuncti dispositio modis omnibus conservetur. Hinc *2do:* qui Miſsam celebrat in alia Ecclesia, Capella, quam, quæ constituta fundatione, ſunt, peccat graviter, nisi id raro fiat, quia in re notabili mentem fundatoris defraudat. Idem dicendum de eo, qui non celebrat in Ecclesia, sive Sacello ab illo destinato, qui stipendium pro Miſsa dedit. Non tamen repetendæ ſunt Miſsæ, quia fundator, aut dans stipem nihil deperdunt, nisi forte illæ Miſsæ celebrandæ erant in Altari privilegiato, & celebratæ ſunt apud altare non privilegiatum, aut majus quis accepit stipendium, ut longius ad Ecclesiam, Sacellumque pro celebranda Miſsa iret, & non ivit, tunc enim exceſsum ſupra commune stipendium, restituere deberet. *2do:* Mutationem quoque solius Altaris inducit aliquando peccatum, & grave. Et quidem: si Altare hoc designatum est à fundatore, vel iis qui stipendium dederunt, ob causam vel in se, vel in opinione fundatoris gravem, puta ob specialem hujus Sancti, hujusve imaginis cultum, aut familiæ memoriam, quæ Altare illud erexit, & tunc Altaris immutatio grave erit peccatum, quia rationabilis, & gravis mens fundatoris, defraudatur. Nisi tamen id raro fiat, aut etiam rationabilis, Altare mutandi adeſset ratio, si scilicet Altare jam occupatum sit, nec moram ferant urgentia Celebraturi negotia, quia rationabiliter præsumitur, fundatorem, si tunc viveret, id eſse permiſsurum. Si vero Altare ex mero arbitratu, absque ſpeciali fine, aut ex fine qui jam ceſsavit, præfixum est, quia familia jam extincta est, cui illud Altare commodius ad audiendam Miſsam erat, aut alibi commoratur, & tunc facilius excusari potest, Altaris mutatio, à peccato mortali, si intra eandem Ecclesiam fiat: quodsi etiam in alia Ecclesia illæ celebrentur Misæ, videtur jam id fieri in præjudicium illius Ecclesiæ, cui jus illud acquisitum fuerat. Quare multum peccant qui poſsident Altarias penes Ecclesias parochiales fundatas, cum obligatione, & certas Miſsas in iis celebrandi, & Parochos in ſuis functionibus adjuvandi, neque tamen Parochos adjuvant, neque Miſsas in designatis Ecclesiis celebrant.

Quæres 4to: An qui quotidie Miſsam celebrare tenetur, si vg. propter febrim, aut aliam infirmitatem per decem dies Sacrum omisit, ſupplere teneatur?

Resp: Vel onus quotidianæ Miſsæ Capellano præscriptum, & impositum est, ratione alicujus loci, in quo fundator voluit quotidie celebrari Miſsam, vel sine respectu ad

ad locum. Si *1mum:* Capellanus diebus singulis, nullo, præter postremos tres Majoris hebdomadæ, excepto die, vel per ſe, vel si legitimo impedimento detentus fuerit, per alium celebrare debet. Si *2dum:* observandum adhuc est, quid ſonet fundatio. Si enim in ea constitutum sit, ut Altarista per ſe, vel per alium quotidie celebret, nulla dies sine Sacrificio prætermitti debet. Si vero Capellanus simpliciter adstringitur ad quotidianam Miſsam, Fundatoris intentio ea fuiſse merito præsumitur, ut id fieret, ſalva honestate, & devotione Sacerdotis, adeo: ut ei à celebrando abstinere liceret, cum id reverentia hujus Sacrificii exigere videtur, ac preterea ſalvo etiam infirmitatis corporeæ casu. Si enim modicæ etiam virtutis Dominus, stipendia famuli ſui haud minuere ſolet, quia brevi infirmitate detentus fuit, æquum non est, ut durius agatur cum Christi Ministro, quem corporalis infirmitas, una vel altera hebdomada ab officio ſuo detinuerit. Si tamen diutius perduret infirmitas, ſubstituendus eſset, qui infirmi vices gerat.

Verum tenuitas quoque fundationis, qua, certo etiam loco, adstricta Miſsæ Sacrificia, præscribuntur, idonea pariter causa est, cur Capellanus per ſe, aut per alium non teneatur repetere Miſsas, quas per decem, aut quindecim dies, vel eo plus ob infirmitatem omiserit, quia iniquum est, ut qui ſanus, vix ex ſuæ Capellaniæ fundatione habet, unde vivat, æger careat neceſsariis. Cavendum tamen ne hac in re temere aliquid fiat.

Etsi vero poſsit Capellanus, qui singulis diebus celebrare tenetur, aliquando à Sacro præscripto abstinere, sive ex reverentia, sive etiam ut pro propinquorum ſuorum neceſsitatibus celebret, haud tamen id facere potest, ut pro alio quopiam, accepto stipendio, celebret. Fundator enim Capellaniæ jus habet, ut totius anni Sacrificia in ſui gratiam celebrentur, & ad ſummum juri huic renuntiat, ne Ministri pietatem, continua celebratione obruat, vel ut Sacerdos pro Patre, aut Matre nuper Defunctis, Miſsam celebret, & applicet.

His non nulla addenda ſunt. *1mo:* si celebrari non poſsit in loco præfixo, quia Ecclesia, Sacellum, vel Altare corruerit, manet tamen obligatio celebrandi Miſsas, quæ, quo meliori modo poterit, in Sacello, vel Ecclesia, aut Altari proximo celebrari debent, quia legitime præsumitur Fundatorem id intendiſse, ac voluiſse. Si vero diu in loco designato Miſsæ celebrari nequeunt, hac de

re

re interrogandus est Episcopus, quia ipsius est, voluntates Defunctorum interpretari. *2do*: Qui ex fundatione debet Mifsam qualibet Feria 5ta, 6ta, aut Sabbato, compensare eas non debet, quas Feria 5ta, 6ta, & Sabbato Majoris Hæbdomadæ non celebravit, quia Fundator non aliam exigit Mifsæ celebrationem, quam quæ in Ecclesia permifsa est. Ecclesia vero Feria 5ta, 6ta, & Sabbato Majoris hebdomadæ, singulis Sacerdotibus celebrare non permittit. Si vero ex stipendio erant celebrandæ, prædictis diebus, videlicet Feriis 5tis, Sextis, aut Sabbativis, quia in Majori Hebdomada prætermifsæ funt, fuppleri debent, nam qui stipendium dat pro Mifsis determinata die, ad aliquod tempus non adeo longum celebrandis, certum Mifsarum numerum constituere videtur, qui femper complendus est, neque attendendo tempus Majoris Hæbdomadæ, neque etiam occurrentem Sacerdotis infirmitatem, propter quæ præfixis diebus Mifsæ non funt celebratæ. Si tamen Mifsæ ad plures annos certæ diei affixæ sint, tunc omifsio unius aut alterius in majori Hebdomoda, fupplenda non erit.

Quæres 5to: An Mifsæ quæ certis diebus affixæ funt, variari pofsint, vg. an eas Feria 2da celebrare licet, quæ feria 3tia celebrandæ funt?

Resp: Vel hæc determinatio diei, sine mysterio facta est, ut si nihil aliud intenderit fundator, quam ut bis, vel ter in Hebdomada pro fe celebraretur, vel etiam ex rationabili causa facta est, ut si fundator pafsionem feria 6ta, & Deiparam Sabbato fpecialiter honorare voluerit. Si *1mum*: non videtur reus, qui diem diei fubstituit, nisi fundatoris nota dispositio, illius immutatio fcandalum aliquod pariat. Si *2dum*: peccatum est. Etsi vero censent aliqui in hoc casu mortaliter non peccari, si id ex causa, & non multum frequenter fiat, multo tamen consultius est, ut fundationes, & pacta conventa ad amufsim observentur. Hinc colligitur, eum, qui Mifsas quindecim in mense celebrare tenetur, posse aliquando triginta uno mense absolvere, nimirum quindecim pro hoc mense, & quindecim pro futuro celebrare. Si nimirum fundator id unum intenderit, ut tot Missæ, in honorem Dei, aut sui ipsius requiem celebrentur, siquidem anticipata debiti solutio, non nocet, fed prodest creditori. Id vero facere non poterit, si hoc vel in Sacelli detrimentum cedat, ut si fundator perpetuum quodammodo cultum in Capella sua fovere voluerit, aut etiam in Communitatis præjudicium vergat, ut si singulis

gulis mensibus pro Defunctis hujus Parochiæ celebrandum sit, tunc enim anticipatio efficit, ut qui sequenti hebdomada decedunt, debito sibi suffragio priventur.

Quæres 6to: An pluries in die celebrare licet?

Resp: Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, excepto festo Nativitatis Domini N. J. Xsti, pluries in die celebrare non licet.

Si tamen Parochus duas regeret Paræcias, nec populi unius, possint in templum alterius, convenire, ac desit alius Sacerdos, tunc is potest duas Missas eodem die celebrare, sed omnino jejunus. Id tamen sine licentia Episcopi fieri non debet, qui de hac necessitate recognoscet, num revera tanta sit, ut bis celebrari oporteat. Præterea si ministrandum sit infirmo viaticum, & Sacerdos Missam celebrans sumpta quidem Communione, sed ante ablutionem moneatur, aliusque Sacerdos ad celebrandum desit, nec possit viaticum differri, potest Missam resumere, & alteram celebrare. Ita Bened: 14. de Sacrificio Missæ libro 3. Cap: 5. Neque etiam quolibet die celebrare licet. Nam Feria 6ta majoris Hebdomadæ proprie nulla celebratur Missa, & Sacerdos celebrans nonnisi præsanctificatum panem sumit. Feria quoque 5ta, & Sabbatto Sancto, Missæ privatæ prohibentur.

Quæres 7mo: An poſsit Sacerdos pro Miſsa stipendium accipere?

Resp: Potest Sacerdos pro Missa stipendium sumere, non per modum pretii, sed per modum sustentationis, Enimvero ut docet Apostolus I. Corinth: Cap: 9. *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant.* Porro de Sacrario edere, & de Altari participare, nihil aliud est, quam occasione ſacri ministerii stipendium aliquod, ad congruam ſustentationem percipere. Unde S. Thomas Doctor 2. 2dæ quæst: 100. art: 2. sic inquit: *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Miſsæ decantandæ, ſed quasi stipendium ſuæ ſustentationis, non tamquam pretium mercedis, ſed tamquam stipendium neceſsitatis.* Unde stipendium, quod pro Miſsa datur, est ſpecies quædam voluntariæ oblationis, quæ fit à fidelibus ad ſustentationem Ministrorum Ecclesiæ, hæc vero nihil mali habet, recipi ergo potest. Sacerdos autem stipendio contentus eſse debet, si quod per legem loci, vel consvetudinem præfixum est, quia in omnibus, ac proinde etiam in ſacris inhærendum est Superiorum legibus, & quæ legis

gis locum tenet, rationabili consvetudini. Igitur ultra constitutum stipendium, nemo plus exigere potest, alias peccat, & alienum rapit. Potest tamen plus quidpiam recipere, si gratis oblatum fuerit, imo & plus stipendii modeste exigere valet, ratione extraordinarii extrinseci laboris, & defatigationis, ut si Sacerdos ſummo mane ſurgere, vel peregre proficisci, vel ad meridiem usque expectare debeat, laboris hujus, & defatigationis, quam Miſsa per ſe non importat, ratio haberi debet. Hinc plus datur, & accipitur pro Miſsa cantata, quam pro lecta, non præcise, quia cantus æstimatur, quemadmodum in Musicis, ſed quia æquum, ut qui plus laborant, majori præmio remunerentur.

Quodsi nec lege Superiorum, neque consvetudine loci, stipendium pro Miſsa constitutum sit, id unum exigi pro Miſsa potest, quod rationabili judicio, ad bonam partem ſustentationis, per unam diem ſufficere potest, neque enim tantum exigi potest, quantum ad plenam unius diei ſustentationem ſuficere potest, quia celebratio Miſsæ non impedit, quominus Sacerdos honestis, & quæ statum ſuum decent, operibus, sibi provideat.

Quæres 8vo: Quis Sacerdos stipendium pro Miſsa accipere poſsit?

Resp: 1mo: Sacerdos etiam dives, ſolitum stipendium accipere potest; quia generatim dignus est operarius mercede ſua, quod autem aliunde dives sit, id per accidens ſe habet, & sicut operam non tollit, sic nec mercedem tollere debet.

2do: Parochi, pro Miſsis, iis diebus celebrandis, quibus eas pro ſuis Parochianis applicare debent, stipendium nullum recipere poſsunt, quia cum illas Miſsas ſuis Parochianis applicare teneantur, aliis ipsas applicare nequeunt, nec proinde pro iis stipendium accipere poſsunt. Aliis vero diebus poſsunt stipendium accipere, & Miſsas ſecundum intentionem, stipem dantis, applicare. Si tamen ſufficientiſsimum habeant ex Beneficio ſuo reditum, quibuslibet diebus Miſsam pro ſuis Parochianis celebrare, & illis applicare tenentur, nisi à celebrando legitima causa excuset. Ita multoties resolvit, & deciderat Sacra Congregatio Concilii Trident: interpres.

3tio: Omnes Sacerdotes, quibus diebus, sive ratione fundationis, legati, sive ratione ſolarii, tenentur Miſsas celebrare, non poſsunt pro iisdem Miſsis stipendia accipere, & si pro Miſsis celebrandis stipendia acceperint, non poſ-

sunt per supra dictas Missas, ex accepto stipendio contractæ obligationi, satisfacere. Ita decrevit S. Congregatio, Concilii Trident: interpres, approbante Urbano 8vo, quia duarum Missarum celebrandarum obligationi, per unius Missæ celebrationem fieri satis nequit. Hinc etiam sequitur non licere Sacerdoti novam stipem pro eodem, ad quod jam obligatus est, sacrificio, accipere, cum intentione cedendi in gratiam dantis, eam fructus partem, quæ ipsi Celebranti contingit. Damnata siquidem fuit ab Alexandro 7. sequens propositio: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem, etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti respondentem:* incertum siquidem est, an ille Missæ fructus specialissimus, qui Sacerdoti celebranti contingit, ab eo alienari, & alteri applicari possit, incertum quoque est, an iste specialissimus fructus tantum valeat, quantum ille, qui illi competit, cui specialiter Missæ sacrificium applicatur, & applicari ex justitia debet. Debito autem certo ex justitia contracto, per incertam, & maxime dubiam solutionem satis non fit.

4to: Tandem, qui alicubi ex fundatione celebrare tenetur vg. in certa Ecclesia, Sacello, Altari, quamvis in fundatione non sit expressum, quod illa Sacrificia applicare debeat pro fundatore, standum tamen est pro Fundatore, illi Missæ Sacrificia applicanda sunt, neque talis Capellanus pro iisdem Missis, alteri applicandis, stipendia accipere potest, quod etiam S. Cong: Concilii sub Urbano 8. fieri expresse prohibuit, qui enim Missas fundavit, illas sibi certe reservavit, sibique eas applicari voluit. Si autem in fundatione expresse Sacerdoti data sit facultas, fundatas Missas applicandi, cui ipsi celebranti placuerit, tunc id ipsi licebit, & in hoc casu pro iisdem Missis ab aliis stipendia accipere potest. Quare Capellani Monialium, & alii, qui incongruo præsertim stipendio subeunt onus quotidianæ Missæ, expressa hac conditione, quod non teneantur ad applicationem Sacrificii, nova pro iis Sacrificiis stipendia accipere possunt.

Quæres 9no: An qui minora stipendia, sive ab uno, sive à multis accepit, pro pluribus Missis celebrandis, licite possit, ea in unum sufficiens coadunare, & per unius Sacrificii oblationem eis satisfacere?

Resp: Non potest, quia hoc in se injustum est, facta conventio, data fides non servatur, & dantes stipendia decipiuntur. Et id constat ex Decreto jussu Urbani 8vi edi-

to,

to his verbis: *Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii præcipit, ut absolute tot Missæ dicantur, quot ad rationem eleemosynæ præscriptæ fuerint, etiamsi stipendia fuerint incongrua, ita: ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent, & ad restituendum teneantur.* Imo qui ex præfixo Missarum numero, unam solum detraheret, graviter peccaret, quia etsi viginti assium jactura, plerumque non sufficiat ad culpam mortalem, privatio tamen fructus etiam unius Missæ, grave satis damnum est spirituale, unde mortale exurgit peccatum.

Si vero inscio Sacerdote allata sint pro Missis decem stipendia, quæ nonnisi pro octo Missis sufficiunt, poterit is octo tantum Missas persolvere. Si tamen stipendii largitorem monere possit, monere tenebitur, aut ad alium, qui minori contentus sit stipe, & stipem, & Missarum onera transmittere, facile enim præsumitur eam esse, stipendium dantis, voluntatem.

Quæres 2omo: An qui majus ex dantis liberalitate accipit stipendium, possit hujus parte retenta, Missas quas suscepit, alteri Sacerdoti committere, huic concedendo partem alteram stipendii, quæ secundum leges loci sufficiat?

Resp: Id non licere, quia Sacerdos ille nullum habet titulum, quo retineat aliquam partem stipendii, hæc enim sibi gratis data non fuit, sed cum onere celebrandi, ergo cum onus illud in alium reijcit, debet & beneficium in eundem refundere, præsertim cum ii, qui consveto majus stipendium præbent, id intendant, ut pro se oretur specialiori affectu. Unde damnata est ab Alexandro 7. sequens propositio: *Post decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi reservata.* Qui itaque sic faciunt, æquitatem violant, & ad restitutionem tenentur, nisi Sacerdos ille, cui pars nonnisi stipendii datur, de re tota monitus, residuam stipendii partem liberaliter condonet. Cavendum tamen est, ne condonatio ista, sit oretenus nonnisi liberalis, in rei autem veritate, extorta, eo quod timeat Sacerdos, ne deinceps stipendia pro Missis non inveniat. Sed hic advertenda est novissima ordinatio Benedicti 14. in Bulla quæ incipit. *Quanta cura,* ubi sub pæna Censurarum, quarum absolutio Romano Pontifici reservatur, prohibentur mercimonia, super eleemosynis Missarum, hoc est, qui eleemosynas colligunt in iis locis, in quibus stipendia pro Missis, sunt majoris pre-

tii, Mifsas vero celebrare curant in locis, in quibus pro minori pretio celebrari foleant, & si Laici funt, qui hæc mercimonia exercent, excommunicationem, si vero Clerici, vel Sacerdotes, fuspensionem à folo Romano Pontifice folvendam, incurrunt. Hinc etiam fequitur non posse pia loca stipendia pro Mifsis colligere, & parte illorum retenta, aliam pro celebrandis Mifsis distribuere.

Quæres 11mo: An liceat Sacerdoti anticipate celebrare Mifsas pro iis, qui deinceps stipendia dabunt?

Resp: Non licet, quia hanc consvetudinem Paulus 5. prohibuit, *tamquam pluribus nominibus periculosam, Fidelium fcandalis, & offensionibus obnoxiam.* Si tamen certo prævideat Sacerdos futurum, ut à fe postulentur Mifsæ pro defuncto Filio, poterit jam nunc eadem offerre, & deinceps stipem recipere, quia sic offertur Sacrificium pro re, & persona determinata, nec expectatur indigentia Mifsam expostulaturi, sed actu existens fupponitur.

His quædam adijcienda sunt. Et quidem 1mo: Non licet Sacerdoti plura congerere stipendia Missarum, quibus nonnisi post diuturnum tempus satisfacere potest, quia Sacrificii dilatio, stipem dantibus, injuriosa est, quod magis adhuc verum est, quando Sacrificium postulatum, est pro re urgenti vg. pro vincenda gravi tentatione, pro lite intra paucos dies finienda, pro decumbente infirmo, pro recens mortuo, & facile contingere potest, ut dilato facrificio, causa jam perdita sit, æger mortuus. Quæ autem mora, & Sacrificii dilatio, peccatum mortale inducat, nonnisi ex circumstantiis dijudicari potest. Unde qui pro lite hodie finienda, Mifsam mane petierit, aut pro infirmo periculose decumbente, peccat mortaliter, si vel una die differat, & ad restituendum tenetur perinde, ac si Sacrum omisisset. In reliquis quæ minus urgent, potest quis Mifsarum stipendia ad menses duos acceptare.

2do: Sacerdos qui Mifsas debet pro Defunctis, fatisfacit obligationi, illis applicando Mifsas diei & officii, neque istiusmodi Mifsas, cum de Requiem celebrari nequeunt, in alteram diem differre debet, ne dilatio animabus fuffragia expectantibus, detrimento sit. Qui tamen expreſse Mifsam de Requiem appromisit, si nihil obstat, & Rubrica Mifsalis permittat, illam debet celebrare, nec aliam fubstituere.

3tio: Mifsarum onera, quamvis reditus imminuti fuerint, nec ullatenus ad illa implenda fufficiant, nemo minuere,

nuere, & ad minorem numerum reducere potest propria sua voluntate, quia nemo potest esse judex in propria sua causa, & jus hoc faciendi à Concilio Trident: sessione 24. Cap: 4. de form: commissum est Episcopis tamquam Executoribus Testamentorum, quamquam postea ad Romanos Pontifices devolutum sit.

Quæres 12mo: An, quæ, & quando fieri debeat Missæ applicatio, ut hæc cuipiam specialiter prosit?

Resp: Necessario Missa applicari particulariter per celebrantem debet, ut hæc cuipiam specialiter prosit. Quia sacrificium est species orationis, oratio autem, nisi particulariter applicetur, specialiter huic potius, quam alteri non prodest, & quemadmodum Sacramenta ad operandum determinantur per receptionem, sic Sacrificium per oblationem, quæ fit ab homine. Quodsi celebrans Missam, applicet pro incapaci, fructus ex ea provenientes, manent in thesauro Ecclesiæ. Ad applicationem vero Sacrificii, non requiritur intentio Sacrificantis actualis, aut virtualis, sed sufficit diu præterita, dummodo non fuerit retractata. Unde qui heri Petro promisit Missam crastinam, hodie autem promissionis immemor Missam celebrat, reipsa, nisi aliud expresse constituerit, pro eo Sacrificium celebrat. Quin & toto mense, & anno, si id semel statuerit, nec animum mutaverit, pro eodem celebrabit. Quia applicatio fructus Missæ, est quædam donatio, donatio autem anticipate fieri potest, & semel facta, durat quousque revocetur, vel per aliquod contrarium retractetur. Est tamen consultius ut prædicta applicatio atque intentio sæpius renovetur.

Quæres 13tio: Qua hora Missæ Sacrificium celebrandum sit?

Resp: De hora Missæ celebrandæ sic statuunt Rubricæ Missalis Romani titulo 15. *Missa privata saltem post Matutinum & Laudes, quacunque hora, ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Jam vero per auroram, non ortus ipsius solis intelligitur, sed prima lucis irradiatio, quæ crepusculum dicitur. Et istud lucis initium, longiori quandoque, quandoque breviori temporis intervallo, ortum solis præcedit, aliquando duabus, tribus, & plus horis, aliquando una hora & supra.

Quod vero attinet tempus Missam celebrandi, aurora non mathematice attenditur, sed moraliter, & cum aliqua latitudine, adeo ut reus non sit peccati, qui sic Missam inchoat, ut finis ejus coincidat cum aurora, & sicut ser-

ſervatur præceptum non celebrandi Miſsam post Meridiem, cum aliquid illius dicitur ante Meridiem, licet post meridiem terminetur, ita à pari impletur præceptum non celebrandi nisi in aurora, quando licet ante auroram cœpta fuerit Miſsa, in Aurora tamen finitur. Quare Benedictus 14. in Instit: Eccles: 12. affirmat tolerari ſpatio tertiæ partis horæ anticipationem, & prolongationem celebrationis Miſsæ ante & ultra tempus à Rubrica constitutum. Verum in nostris Regionibus, aurora non ſumitur physice ſed populariter, pro illo ſcilicet tempore, quo homines communiter ad laborem, & ſua officia perficienda ſurgere de quiete consveverunt, quare in hyeme multis ante crepusculum horis Miſsæ celebrantur.

De jure itaque communi graviter peccet, qui in celebrando Miſsæ Sacrificio, notabiliter prævenit tempus auroræ sive physicæ, sive popularis, quia transgreditur legem, quæ ubique habetur pro gravi. Unde Concilium Trident: Seſs: 22. in Decreto de observandis in Celebratione Miſsæ mandat Episcopis: *Ne ſuperstitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent.* Sed ante physicam, sive etiam popularem auroram licet Miſsam celebrare, cum id exigit neceſsitas proximi, ut si alioqui moriturus sit quispiam sine viatico, quo etiam in casu, ſacrum à media nocte inchoari poterit.

Quæres 14to: Quid per meridiem intelligatur?

Resp: Meridies sicus & aurora non ſumitur mathematice, ſed moraliter, ita: ut non strictim mediam diei partem significet, ſed id quod in usu communi meridianum tempus nuncupari ſolet. Quæ autem hujus temporis latitudo sit, varii varie determinant, alii illud coarctant, alii extendunt. Spectanda est consvetudo, & attendendæ circumstantiæ. Unde si Solemnitas, publica proceſsio, ſepultura, post Meridiem protrahatur, tunc aliquoto tempore post meridiem Miſsa haberi potest, maxime cum est consvetudo ut in fine talium Sollemnitatum Miſsa celebretur, quod aliqui ad totius etiam horæ, & ea plus, moram extendunt. Sed & privata aliquando ſufficit neceſsitas, ut uno, alterove quadrante post meridiem Miſsa celebretur, cum nempe itinere, aut cura infirmorum præpeditus fuit Sacerdos, quominus ſuo tempore Miſsam absolveret.

Quæres 15to: Quo in loco Miſsæ Sacrificium celebrare liceat?

Resp:

Resp: Ex jure communi non licet Missæ sacrificia facere, nisi in locis ab Episcopo solemniter consecratis, vel ab eodem, aut à Sacerdote de illius licentia benedicto, & ad cultum divinum perpetuo destinatis, qualia sunt Oratoria, sive publica, sive privata. Porro Oratoria alia sunt publica, alia privata. *Publica* illa sunt, quæ authoritate Episcopi erriguntur, aditum habent à publica via, ab hominum habitationibus sunt separata, & ad cultum divinum perpetuo destinata. *Privata* sunt illa, quæ inter domesticos parietes, in ædibus Nobilium pro Missis celebrandis, ex Indulto Romani Pontificis, sub certis clausulis eriguntur. In Oratoriis ergo publicis Missas celebrare omnibus, & quovis tempore ab Ecclesia non prohibito, licitum est. In Oratoriis vero privatis, communiter nonnisi unica Missa, & in præsentia illorum tantum, quibus indultum concessum est, celebrari potest, exceptis festis sollemnioribus, quæ in Indulto exprimuntur. Et hæc privata Oratoria non in cubiculi profani angulo, aut inter fenestræ latera, aut in quadam armarii specie construi debent, sed in loco separato, & undique concluso.

Licet tamen extra locum sacrum celebrare. *1mo*: quando inopinato casu corruit, vel flammis absorpta est Ecclesia. *2do*: in Castris Militum diebus ab Ecclesia præceptis in Campo patenti Missæ Sacrificia perficiuntur. *3tio*: moris quoque est, ut in Domibus Principum, Episcopo id concedente, seu cum gravi infirmitate ipsi decumbunt, sive dum mortui sunt, Missæ Sacrificia celebrentur.

Quæres 16to: *An in omni loco consecrato, sive benedicto Missam celebrare liceat?*

Resp: Non in omni loco consecrato, aut benedicto Missam celebrare licet, namque in Ecclesia execrata, violata, vel interdicta non licet Missam celebrare. Porro execratur locus & à sua consecratione sive benedictione excidit. *1mo*: cum ædes illius totaliter, aut ex majore sui parte, etiam quoad parietes simul destruuntur, simulque de novo reædificantur, etiamsi id fiat ex eadem materia. Tunc enim nova opus est consecratione, sive benedictione, quia in hoc casu non est moraliter eadem Ecclesia. Aliud est si Ecclesia successive per partes deficiens, statim per partes reficiatur, neque enim nova opus est consecratione, tametsi sensim nulla pars de primo ædificio superexerit. Quia Ecclesia noviter, & paulatim, ac per partes refecta, eadem permanere censetur. Si tecta, aliaque ligna Ecclesiæ combusta sint, illæsis parietibus, consecra-

tio-

tionem ipsa non amittit, quia consecratio in parietibus consistit, ubi cruces, & unctiones fiunt. Si tamen parietes etsi non corruerint, adeo ex toto, vel ex parte intus sint abrasi, ut omnis eorum crusta, vel major pars perierit, nova indigebunt consecratione, quia consecratio in iis partibus facta est. Quodsi crusta, vel majus ejus pars, per temporum intervalla tollatur, ſucceſsive renovationis causa, manebit ſemper quæ prius fuit consecratio, quia iidem moraliter manebunt parietes, & pars major consecrata, minorem non consecratam ad ſe trahit, à fortiori autem consecrationem non aufert, parietum dealbatio.

2do: Contigit execratio, cum Ecclesia ita penes longitudinem, latitudinem, vel altitudinem amplificatur, ut partes de novo additæ, molem antiquam ſuperent. Secus, si præexistens moles, partem additam excedat, tunc enim satis erit, ut Episcopus id, quod ſuperadditum est, aqua benedicta aspergat.

3tio: Licetsi Ecclesia consecratione nova non indigeat, attamen ex magna decentia benedictione indigere videtur insequentibus casibus: 1. si postquam consecrata fuit, hæreticæ ſuperstitioni inservierat, & tandem ad Catholicos redierat. *2do:* si diu fuit sine januis, tecto, interimque profanis usibus addicta erat. In his casibus competit, ut habita ab Episcopo facultate, Sacerdos Ecclesiam aqua benedicta aspergat.

Violatur vero ſeu polluitur Ecclesia. *1mo*: per homicidium voluntarium, & mortaliter injuriosum, quale esse potest, etiamsi non fuerit injustum, ut si reus ſuspendatur in templo, quia est loco ſacro injuriosum. *2do:* per voluntariam, & graviter injuriosam humani ſangvinis effusionem. *3tio*: per voluntariam, & peccaminosam humani ſeminis effusionem. *4to*: per ſepulturam ſeu excommunicati denuntiati, ſeu cujuslibet hominis infidelis, & non baptisati. Non violaretur tamen Ecclesia sive per ſepulchrum Catechumeni, quia is jam fidelis eſse censetur, & cum Baptismo flaminis deceſsiſse præsumitur, sive per ſepulturam Hæretici occulti, & haud denuntiati, quia is propter fidem in Baptismo ſusceptam, in numero fidelium recensetur.

Hic tamen quatuor addenda ſunt. *1mo*: ut Ecclesia polluatur per Sepulturam infidelis, aut excommunicati denuntiati, non requiritur ut id fiat cum peccato, ſed ſufficit quoquomodo ille ſepeliatur. *2do*: nusquam Ecclesiam in ſupra expreſsis casibus pollui, quamdiu illi manent occulti.

culti. Quapropter Parochus, qui cum paucis aliis Eccleſiæ violationem novit, in ea sicut prius celebrare poteſt, donec casus notitia ſufficienter in plebem dimanaverit. *3tio*: Oratoria, quæ etiam ad Sacrarum celebrationem Epiſcopali authoritate designata ſunt, prædictæ violationi non ſubjacere, quia jura de Eccleſiis, ac locis publicis loquuntur, & pænæ restringi debent, non extendi. *4to*: polluta Eccleſia, polluuntur etiam altaria in illa erecta, pariter polluto vel uno ex altaribus, Eccleſia tota polluitur; at vero, execrata Eccleſia, ſubversis exg. navis Eccleſiæ parietibus, non ideo execrantur Altaria, quæ integra, & illæsa remanserunt, unde nova postea non indigebunt conſecratione, sicut viciſsim execrato Altari, non ideo execratur ipsa Eccleſia.

Interdicitur Eccleſia, quando in ea prohibetur publica Divinorum officiorum celebratio. Quando execratur Eccleſia debet iterum consecrari, quando violatur, polluitur, debet reconciliari, quando interdicto ſubjacet, illud debet tolli.

Itaque qui Miſsæ Sacrificium celebrat in Eccleſia execrata, polluta, interdicta, graviter peccat, quia præceptum Eccleſiæ in graviſsima Religionis materia transgreditur. Nullam tamen incurrit pænam, qui in Eccleſia polluta aut execrata celebrat, qui vero celebrat in Eccleſia interdicta, excommunicationem incurrit. Qui tamen bona fide in Eccleſia violata celebraverit, omnis peccati expers erit, non tamen per hoc censetur Eccleſia eſse reconciliata. Si ſacerdote Miſsam celebrante, notorie Eccleſia polluatur ac violetur, tenetur intermittere Miſsam, si nondum Canonem inchoavit, si vero inchoato Canone id contingat, debet Miſsa perfici. Ita Rubrica miſsalis titulo 10. de Defectibus his verbis: *Si Sacerdote celebrante, violetur Eccleſia ante Canonem, dimittatur Miſsa, si post Canonem, non dimittatur*, quia ſcilicet jam posita est proxima ad Consecrationem præparatio.

Quæres 27mo: Ad ſacrificandum estne Altare neceſſarium?

Resp: Altare duplex est, aliud *fixum*, quod mensæ eo basi, cui ſuperimponitur immobiliter adhæret & tale altare communiter ex integro, uno constat lapide, qui totam mensæ constituit planitiem: aliud *portatile*, quod de loco in locum transferri poteſt, & hoc communiter Ara dicitur. Et istud vero ejus latitudinis eſse debet, ut majorem hostiam, ac majorem Calicis partem capiat, quod etsi ſuffi-

ciat,

ciat, quia tamen ſæpius præter majorem hostiam minores formulæ consecrari in Pixide ſolent, quæ & ipsa ſuper Altari ſeu Ara consecrata collocari decet, majoris amplitudinis sit oportet. Utrumque autem altare tam fixum, quam portatile, ex lapide eſse debet, & quidem ex uno integro.

Altare ergo ad celebrandum Miſsæ Sacrificium fixum, aut portatile omnino requiritur, illudque consecratum eſse debet per unctionem Chrismatis, & benedictiones in Pontificali præscriptas. Unde Rubrica Miſsalis titulo 20. de præparat: Altaris sic habet. *Altare in quo ſacrosanctum Miſsæ ſacrificium celebrandum est, debet eſse lapideum, & ab Episcopo consecratum, vel ſaltem ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam, & majorem partem Calicis capiat.* Ad consecrationem vero Altaris cujuscunque, Sanctorum Reliquiæ requiruntur, quæ in eo recondi debent, alias altare non censeretur eſse consecratum.

Polluitur autem atque violatur utrumque Altare sive fixum, sive portatile, per ſacrilegam humani ſangvinis, ac ſeminis in illis effusionem. Polluto autem sive violato Altari, polluitur quoque, ac violatur ipsa Ecclesia, ſed execrato Altari non eo ipso execratur Ecclesia. Cur enim si frangatur mensa Altaris, damnum hoc tota Ecclesia pati debeat. Consecrationem vero Altare fixum amittit. *1mo:* cum ipsum Altare, etsi integrum maneat, à basi ſua cui innititur, amovetur. Si tamen mensæ non sit immobiliter affixum, & basi nonnisi ita ſuperpositum, ut facile de loco in locum moveri poſsit, tunc si ex una Capella in aliam transportetur, non amittit ſuam consecrationem, quia potius est Altare portatile, quam fixum. *2do:* cum notabiliter & insigniter frangitur.

Altare vero portatile ſua consecratione ſpoliatur cum ita frangitur, ut nulla ejus pars ita ampla remaneat, ut hostiam, & majorem calicis partem contineat, si ergo in angulis frangatur, & reliqua moles integra remaneat, quæ calicem & patenam cum hostia commode complecti poſsit, stat consecratio.

Si loculus ubi reconditæ fuerunt reliquiæ frangatur, à ſua ſede dimoveatur, sigillum aut reliquiæ auferantur, jam in ejusmodi altari celebrare non licebit, quia probabilius est illud consecrationem ſuam amisiſse.

Quæres 18vo: Quot mappis tegi debet Altare?

Resp. Rubbrica Miſsalis Romani titulo 20. de præpara-

paratione Altaris, sic disponit: *Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.* Mappæ istiusmundi debent esse. *1mo:* ex lino, docent tamen multi tobaleas ex tenui canabe confici posse, sed non ex materia serica. *2do:* mundæ, unde non vacat â culpa, si adhibeantur ad Sacrificium celebrandum Mappæ immundæ, laceratæ, vel alias indecentes ac sordidæ. Imo si enormiter immundæ fuerint, grave erit peccatum, quia gravis est contra tantum Sacramentum, atque sacrosanctum Sacrificium irreverentia. Præterea in Altari collocari debet imago Crucifixi, de qua Rubrica Missalis tit: 10. de præparat: Altaris sic habet: *Super Altare collocetur crux in medio.* Hæc autem Crux effigiem Christi in Cruce pendentis habere debet, atque illius figuræ esse debet, ut facile conspiciatur, quare non sufficit Crux, si vel ita tenuis sit, & exigua, ut ipsius celebrantis Sacerdotis, & populi assistentis occulos pene effugiat, vel ita incommode statuitur, ut facile conspici nequeat, hinc certissimum est, violari *leges* Ecclesiæ, si exigua solum imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel statuæ Sancti qui superadditur. Neque igitur sufficit Crux nuda, sed requiritur Crux cum figura Christi, neque ita parva esse debet, ut non facile occurrat oculis celebrantis, sed eminens, quæ inter Candelabra statuenda est. Neque etiam sufficit Crux parva, quæ Tabernaculo præfigitur, unde S. R. C. 1660. anno sic statuerat. *Crux parva cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum Sanctissimum Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.* Non est autem necesse, ut Crux in Altari apponatur, quando Crucifixus in majori Altaris tabula vel pictus, vel celatus, primum locum obtinet, præ ceteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur. Hinc S. R. C. 1663. decrevit: *In altari in quo adest magna statua Sanctissimi Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia Crux dum celebratur Missa.* Ita Bened: 14. Bulla quæ incipit: *Accepimus præstantium.* Utrum vero de more apponenda sit Crux in Altari, quando in eo publice expositum sanctissimum Sacramentum, S. R. Congregatio ea de re consulta, respondit apponendam esse, postea tamen anno 1721. decrevit, ut quælibet Ecclesia suam consvetudinem retineret; apud nos viget consvetudo, ut tunc etiam Crux appona-

ponatur. Plures autem docent Theologi, Sacerdotem qui celebrat in Altari, in quo non est Crux constituta, peccare nonnisi veniāliter.

Quæres 19no: Ad Mifsæ Sacrificium celebrandum, quale lumen est necefsarium?

Resp: Ad Mifsæ facrificium celebrandum lumen omnino requiritur, quare graviter peccaret, qui sine lumine celebraret, atque si cæpta Mifsa lumen extingvatur ante consecrationem, nec aliud haberi pofsit, á Sacro desistendum est, quamvis urgeret præceptum audiendi facri, aut viaticum administrandi necefsitas, nec enim præcepta hæc ad indecenter celebrandum adigere pofsunt.

Duæ autem ad minus ex cera factæ candelæ ardere debent, dum Mifsa celebratur. Ita præscribit Rubrica Mifsalis tit: 10. de præparat: Altaris: *Candelabra faltem duo ponantur cum candelis accensis hinc inde, in utroque latere altaris.* In casu tamen necefsitatis, ut si alias futurum sit, ut populus die festo Mifsam non audiat, fufficiet si una ardeat candela, etiam ex alia materia confecta, quam ex cera, vg. ex febo.

Cereus qui ad Sacramenti elevationem accendi in Rubrica Mifsalis præscribitur, non cadit fub præceptum, fed ex præcepto opus est, ut diu noctuque accensa fervetur lampas coram Altari, ubi reconditum est Sanctifsimum Sacramentum. Ita Rituale Romanum disponit titulo de Eucharistiæ Sacramento his verbis: *Tabernaculum Conopeo decenter coopertum, in Altari majori vel in alio, quod venerationi tanti Sacramenti decentius videbitur, sit collocatum Lampades coram eo plures, vel faltem una, diu, noctuque perpetuo colluceat.* Hoc autem præscriptum ita obligat, ut gravis peccati rei habeantur, qui per notabile tempus, per totam vg. noctem, lampadem extingvi sinunt, aut de industria illam extingvunt.

ARTICULUS 2dus.

De ipso Mifsæ Sacrificii ritu.

Quæres 1mo: Utrum Rubricæ, quæ ritus, in Mifsæ facrificio celebrando præscribunt, stricte obligent?

Resp: Rubricæ omnes quæ ritus, â Sacerdote in Mifsa celebranda fervandos, præscribunt, funt præceptivæ, & ideo fub gravi obligant, nisi ut in ceteris legibus excuset

aut

aut materiæ levitas, aut advertentiæ defectus. Et id constat. *1mo*: ex Bulla Pii 5. initio Miſsalis posita, ubi sic habetur. *Mandantes & stricte omnibus, & singulis præcipientes invirtute ſanctæ obedientiæ, ut Miſsam juxta ritum, & modum, & normam in Miſsali præscriptam decantent, aut legant, neque in Miſsæ celebratione alias cæremonias, aut preces addere, vel recitare præsumant.* Quæ non instructionem meram, ſed graviſsimam legem denotant. *2do:* ex Concilio Tridentino Seſs: 7. ubi Can: 13. sic statutum est: *Si quis dixerit, approbatos Ecclesiæ ritus in ſolemni Sacramentorum administratione adhiberi consvetos, aut sine peccato â Ministris omitti pro libitu, aut in novos alios mutari poſse, anathema sit.* Porro si Rubricæ non eſsent præceptivæ, ſed ſolum consulerent, poſsent sine peccato omitti, mutari, quod tamen fieri reipsa sine peccato nequit. Omnes itaque Miſsalis Romani Rubricæ ſunt præceptivæ, & ideo ſub gravi obligant. Hinc graviter ex genere ſuo peccat Sacerdos, qui in verbis, vel in actionibus, ea quæ per Rubricas præscripta ſunt; omittit, nisi excuset materiæ levitas, aut inadvertentia, quæ in aliis rebus â toto, in aliis à parte excusant.

Quæres 2do: In quibus levis, in quibus gravis materia censeri debeat?

Resp: Quantum ad verba facile definiri nequit, quæ gravis, & quæ levis sit materia. Verumtamen communiter pro gravi materia reputatur omiſsio. *1mo*: Confeſsionis quæ in plano fit in principio Miſsæ. *2do*: Epistolæ, & adhuc magis Evangelii. *3tio:* offertorii ſeu hostiæ, ſeu calicis cum ſua forma. *4to*: Præfationis. Aliud est si quis omiserit unam, aut alteram Collectam, ſeu Orationem, Tractum, Graduale, aut simile quid, minus principale. Qui tamen tot hujusmodi versiculos prætermittit, ut ex iis exurgat gravis Miſsæ mutilatio, non erit â gravi peccato immunis. Censebitur autem notabilis mutilatio, si tantum omittatur, quantum æquiparatur Epistolæ nec longiori, nec breviori.

Quod ſpectat Canonem, qui incipit ab illis verbis. *Te igitur*, & ad Orationem usque Dominicam extenditur, non ultra, multo facilius in eo mortaliter peccari potest. Unde fatentur omnes lethalis noxæ reum fieri, qui vel unam ex Orationibus in eo contentis, puta: *Communicantes*: *Hanc igitur*: vel similem prætermiserit. Imo si tot in iisdem orationibus verba omittat, ut inde Mysterii per ea repræsentandi significatio, notabiliter minuatur, erit sine dubio negli-

negligentia hæc, grave peccatum. Extra hunc casum non videtur lethaliter peccare, qui aliquot tantum verba prætermiserit.

Quæ vero ab Oratione Dominica usque ad Communionem recitari præscribuntur, licet non sint stricte partes Canonis, ei tamen æquiparantur quoad dignitatem. Unde graviter reus erit qui omiserit. *1mo:* ipsam Orationem Dominicam, precemque: *Libera nos.* *2do*: *Agnus Dei*: aut Orationes, quæ Communioni præmittuntur. Quæ etiam Communionem subsequuntur, ejusdem sunt conditionis, ac illa quæ ipsam præcedunt. Quod attinet ritus præscriptos, qui in actione consistunt, illorum omissio grave, vel leve erit peccatum, prout gravior, vel levior prætermittitur ritus. Porro ad graves ritus refertur. *1mo*: mixtio aquæ cum vino. *2do:* elevatio hostiæ, & calicis post consecrationem. *3tio*: fractio hostiæ, & ejusdem mixtio cum Sanguine. *4to*: purificatio patenæ, & calicis.

Ex his autem facile inferri potest quam graviter peccent tot Sacerdotes, qui in celebranda Missa vix ullam, ut par est, exprimunt cæremoniam, tanta balbutiunt celeritate, ut vix seipsos intelligant, pene nulla verba actioni jungunt ad quam pertinent, dimidiatas genuflexiones, licet corpore sani, faciunt, signa Crucis, quasi muscas abigendo efficiunt, patenam, & calicem tam festine purificant, ut profani panis reliquias excutere videantur, at interim quotidie sine scrupulo ad celebrandum accedunt.

Quæres 3tio: Utrum Orationes, & Psalmi pro præparatione ad Missam in Missali positi, rigorose præcipiantur?

Resp: Etsi optimi semper consilii sit, sequi id omne quod ab Ecclesia propositum est, quia etiam ipsis ejus consiliis divina inhæret benedictio, constat tamen prædictas Orationes & præscriptos Psalmos non cadere sub præceptum, unde etiam *pro opportunitate Sacerdotis*, dicendæ proponuntur. Verum quæcunque Oratio, atque præparatio quæ Missæ celebrationem præcedat, omnino est necessaria. Si enim ad omne opus sanctum digne perficiendum, animam præparari Scripturæ jubent, à fortiori necesse est, ut ad Sacratissimum Missæ Sacrificium digne celebrandum, oratione, præcibus, Psalmisque Sacerdos sese præparet, ac disponat. Unde à culpa excusari nequeunt, qui sine ulla præparatione, aliquando etiam à colloquiis vanis, occupationibus inutilibus, ad tremenda celebranda mysteria accedunt.

Quæres 4to: Qualis debeat eſse Calix, ad celebrandum Miſsæ Sacrificium neceſsarius?

Resp: Calix & patena si non ex auro, ſaltem ex argento facta eſse debent, si quis autem adeo pauper sit, ad minimum stanneum calicem habeat neceſse est. Potest tamen pes Calicis ex ære, vel aurichalco conflari, modo cuppa illius argentea sit. Cuppa vero calicis, ac Patenæ ſuperior planities deaurata eſse debent. Unde in Miſsali Romano titulo 1mo de præparat: Sacerdotis sic habetur: *Præparat calicem qui debet eſse vel aureus, vel argenteus, aut habere ſaltem cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecrata.* Quare ut jus loquitur Cap: 44. & 45. de Consecrat: Dist: 1. *Nullus in ligneo, aut vitreo calice præsumat Miſsam celebrare.* Facultas autem consecrandi calicem, atque patenam, de jure communi, ad ſolos Episcopos pertinet, nec ab ipsis simplici Presbytero committi potest. Nusquam vero censetur calix eſse consecratus ex eo, quod in eo etsi non fuerit consecratus, quis ſcienter, vel ignoranter celebraverit, quia Calix, patena, non per Miſsæ celebrationem, ſed per Chrismatis unctionem, & preces præscriptas juxta ritum Ecclesiæ consecrantur.

Calice non consecrato nunquam uti licet ad Miſsæ Sacrificium celebrandum, & qui hoc præsumpserit, mortaliter peccaret.

Calix vero & patena ſuam consecrationem amittunt, quando notabiliter immutantur, adeo: ut inepta fiant ad sacrificium, sic exg. si in fundo Calicis foramen fiat, quantumvis exiguum, aut pes à cuppa per fractionem ſeparetur, calix amittit consecrationem; aliud est, si ista ſeparatio fiat citra fractionem, ut in pede tornatili, tunc enim Calicis consecratio manet. Si, ut Calix gibbus resarciatur, ab Aurifice in ignem mitti, malleoque tundi debeat, non ideo ſuam amittit consecrationem, quia idem moraliter manet Calix. Idem est, si ab impiis hominibus ad usus profanos adhibitus fuerit. Si calix & patena ante consecrationem deaurata, inaurationem ſuam diuturno usu amiserint, non excident à consecratione, ſeu inaurationem ſensim perdant, ſeu etiam simul. Quia licet unctio nonnisi externam Calicis, ac patenæ ſuperficiem attingat, tota tamen ejus moles vere consecratur. Attamen Calix, ac patena, si de novo inaurantur, probabilius est, quod nova indigeant consecratione id tamen non omnino certum est.

Pixis

Pixis vero in qua Hostiæ minores consecratæ conservantur, tum etiam Circulus, seu Luna, quæ corpus Christi in Monstrantia positum immediate attingunt, argentea quidem, & deaurata esse debent, sed non consecrata, sufficit quod sint benedicta ab Episcopo, vel ab eo qui Sacra linteamina benedicendi, habet facultatem.

Jam vero sacra Vasa, quæ Corpus, & Sanguinem Christi attingunt, & Chrismate inuncta, vel benedicta sunt, etsi vacua, tangere non licet Laicis, nec fæminis religiosis, neque etiam Clericis Minoribus, sed tantum Ministris sacratis, quodsi attingant, erit peccatum veniale, imo nullum, si subest aliqua necessitas, vel causa honesta. Quamdiu autem hæc vasa, continent Corpus, aut Sanguinem Christi, nemo sine mortali, præter Sacerdotem, & Diaconum, potest ea attingere, nisi id absoluta exigat necessitas.

Quæres 4to: Quæ de purificatorio, corporali, ac palla tenenda, & servanda sunt?

Resp: Purificatorium, Corporale, Palla, qua parte Calicem attingunt, linea esse debent, ab Episcopo, vel alio ad id potestatem habente, benedicta. Corporale ergo, ut inquit Rubrica Missalis de Ritu celebrandi Missam, titulo 1. *ex lino tantum esse debet*, *nec serico, vel auro in medio intextum*, in extremis autem partibus, auro, vel serico ornari potest. Tanta vero illius extensio esse debet, ut commode contineat Calicem & Patenam. Palla quoque in illa parte, qua Calicem tangit, ex puro lino esse debet, nec auro, nec serico intexta. Hæc autem omnia alba, ac munda esse debent, atque integra. Quare qui ad Missæ Sacrificium adhiberet Corporale, pallam, aut purificatorium, non benedicta, lacerata, immunda, atque deturpata, peccaret, & nonnunquam mortaliter, id enim gravem tanto Sacrificio, atque Sacramento irrogat irreverentiam.

Purificatorium, palla, corporale, quæ jam ad Missæ Sacrificium celebrandum adhibita sunt, tangi non debent à Laicis, nisi ab iis, qui sacris Ordinibus initiati sunt. Hæc saltem à Subdiaconis semel, atque iterum lavari debent, & lotio in piscinam Ecclesiæ mitti, deinceps à fæminis refici, & lavari perfectius possunt. Post lotionem non indigent, ut iterum benedicantur, moris tamen est, ut Corporalia, Pallæ & alia Altaris linteamina, post eorum lotionem, quasi reconcilientur, cujus modus, for-

formaque habetur in Rituali Romano, inter varias benedictiones.

Quæres 5to: Vestes Sacræ suntne ad Sacrificium Misfæ celebrandum necefsariæ.

Resp: Vestes sacræ ad celebrandum Mifsæ sacrificium præscriptæ, funt fequentes. Amictus, Alba, Cingulus, Manipulus, Stola, & Casula feu Planeta. Quæ, ut inquit Rubrica Mifsalis Rom: de Ritu celebrandi titulo 1. *non debent efse lacera, aut scifsa, fed integra, & decenter munda, ac pulchra, ab Episcopo, vel alio facultatem habente benedicta.* Peccant itaque qui laceratis, conscifsis, nimium attritis, sordidisque apparamentis utuntur. Porro circa usum sacrorum apparamentorum hæc communiter à Theologis traduntur. *1mo:* Mortaliter peccat, qui sine sacris vestibus Mifsæ sacrificium celebrat, quod patet ex antiqua Ecclesiæ praxi, â qua sine gravi peccato recedi nequit. Qui vel unicum Manipulum negligeret, dubium est, an à peccato mortali immunis foret, interim ex oblongo manipulo stolam, ex stola manipulum facere liceret, quia eadem benedictione donantur, ac proinde paria efse censentur. Ita vero sacræ vestes ad celebrandum funt necefsariæ, ut neque in casu gravis necefsitatis, scilicet ne populus die festo Mifsa careat, aut ut infirmus sine Viatico non moriatur, sine illis Mifsam facere liceat. Quia præcepta sive Mifsæ audiendæ, sive Viatici recipiendi, tunc dumtaxat obligant, cum Mifsa secundum Ecclesiæ legem celebrari potest. Qui vero ex inadvertentia, aut oblivione, unam ex prædictis sacris vestibus omitteret, & sine illa celebraret, pro qualitate negligentiæ peccaret, imo nullum admitteret peccatum, si oblivio, inadvertentia, prorsus essent inculpatæ.

2do: Vestes ad celebrandum præscriptæ, benedictæ efse debent, & id fub gravi necefsarium est. Ista vero benedictio ab Episcopo fieri debet, vel ab alio Sacerdote ad id facultatem ab Episcopo habente. Sacrarum autem vestium benedictio perit, cum formam fub qua confectæ, & benedictæ funt, amplius non retinent, adeoque ad Ministerii functiones jam ineptæ funt. Hinc desinit benedictio Albæ, si manica ab ea fejungatur. Cinguli, si ita rumpatur, ut neutra, quæ remanet pars ad cingendum Sacerdotem idonea sit. Stola, Planeta, benedictionem amittunt, cum novis simul reficiuntur partibus, quæ antiquas fuperant. Secus: si paulatim reficiantur, vel duplici constent varii coloris parte, quarum unaquæque apta sit, ad

Sacrificium celebrandum, tunc enim si hæc ab illa disjungatur, servat utraque ſuam benedictionem, quia utraque ſuam servat formam.

Si ex stola plicata, & in se non mutata, fiat manipulus, haud nova opus est benedictione, quia cum ſubsistat prior forma, ſubsistit & benedictio, quæ una est pro omnibus indumentis Sacerdotalibus. Idem est, si longior Manipulus ad usum Stolæ deservire debeat. Si vero rescindantur partes Stolæ, ita ut pereat prior illius forma, perire videtur & benedictio, formæ potiſsimum alligata. Idem erit si Manipulo, ut Stolæ locum gerat, addantur novæ partes non benedictæ, quæ materiam jam benedictam ſuperent. Quia etsi ex pluribus Manipulis benedictis conficiatur Stola, nova opus est benedictione, sicut si è pluribus Cingulis benedictis, de se ad cingendum inhabilibus, Cingulum unum conficiatur, neceſse erit, ut totum benedicatur.

3tio: Preces in induendis sacris vestibus præscriptæ, vix sine aliquo peccato omitti poſsunt. Et si eadem apparamenta pro Vesperis, aut alias aſsumantur, nullibi præscribitur, ut istiusmodi preces recitentur.

4to: Vestes sacræ si fuerint vetustate attritæ, non debent in usus profanos converti, ſed comburi, & Cineres in Ecclesiæ piscinam, vel in foſsam pavimenti, sive locum aliquem secretum proiici, ut pedibus incedentium non conterantur. Vasa autem sacra aurea vel argentea, aliave id genus, quæ igne transmutantur, in usus profanos cedere poſsunt, quia moraliter eadem non manent.

Quæres 6to: An Sacerdos celebrans Ministrum, qui sibi serviat, habere debeat?

Resp: Sacerdos Miſsam celebrans, Ministrum qui ipsi inserviat habere debet. Sæpe enim fideles adstantes alloquitur, habere ergo debet quempiam qui ipsi respondeat. Præterea præsto eſse debet, qui Sacerdoti celebranti, vinum, aquamque porrigat. Igitur habere Ministrum, qui inserviat, gravis est obligatio, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ deficientiam Ministri pro gravi defectu ſemper habuit. Quare qui sine Ministro inserviente celebraret, graviter peccaret, nisi urgens, & gravis quædam neceſsitas excusaret. Etsi vero graviter præceptum sit habere ministrum ad Miſsam celebrandam, non tamen id cuicunque graviſsimo præcepto alio prævalet. Quare licet sine ministro celebrare 1. cum id neceſse est ut Sacerdos Viaticum administret. 2. Cum alio-

alioqui, nec sine gravi offensione plebs missa privabitur. Si tamen solus Sacerdos missa privandus sit, melius est à celebrando etiam die festo abstinere, quam sine ministro celebrare. 3. Si post notabiliter cæptam missam, recedat ab altari minister, tunc illam perficere oportet. Prohibendum autem omnino est, ne ulla fæmina ad Altare præsumat accedere, aut Præsbytero ministrare. Quare in casu gravis, ac urgentis necessitatis, potius sine ministro celebrandum est, quam fæminæ utendum ministerio, poterit tamen ê loco dissito Sacerdoti respondere, quod & moniales faciunt, dummodo ad Altare non accedat, & tunc etiam Sacerdos sibi ipsi vinum & aquam porriget, si aliuś desit, qui hoc faciat.

Quæres 7mo: An Sacerdoti celebranti Missale sit necessarium?

Resp: Communiter loquendo est necessarium, quia alioqui gravi, in pluribus deficiendi, & errandi periculo se exponit. Qui secus fecerit, peccabit graviter. Et quamvis Sacerdos polleat memoria admodum felice, nunquam debet præsumere, ut sine missali celebret, quia & à praxi Ecclesiæ recederet, & experimento compertum est, firmiorem etiam memoriam sæpius hærere.

Tecto etiam capite celebrare non licet. Unde qui missam celebrans, per notabile tempus, quamvis ante consecrationem, caput tectum haberet, à gravi culpa immunis non esset.

Quæres 8vo: An quæ secreto recitari jubent Rubricæ, submissa voce dicenda sunt?

Resp: Ita submissa voce dicenda sunt, ut Sacerdos, se quidem audiat, sed â circumstantibus non audiatur. Ita præscribit Rubrica miss: Rom: parte 1. titulo 16. ubi hæc habentur: *Sacerdos maxime curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte, & apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit, neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, neque tam submissa, ut à circumstantibus audiri non possit, sed mediocri, & gravi, quæ & devotionem moveat, & audientibus ita sit accomodata, ut quæ leguntur intelligant. Quæ vero secrete dicenda sunt, ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat, & â circumstantibus non audiatur.* Hinc qui vel totum Canonem, vel notabilem illius partem, aut magnam partem illarum precum, quæ secreto dici debent, alta voce recitat, peccat mortaliter, si novum ritum inducere velit, si ex contemptu id faciat, aut inde adstantium

H 2 scanda-

scandalum eveniat notabile. Pariter, qui illa quæ alta voce dicenda ſunt, secreto recitat, peccat venialiter, quia Rubricæ præscriptum transgreditur. Magis vero ille peccat, qui voce ita ſubmiſsa recitat, ut se ipsum audire non poſsit. Unde allata Rubrica ad amuſsim observanda est.

Quæres 9no: Utrum Sacerdos inceptam Miſsam relinquere, aut saltem interrumpere poſsit?

Resp: Peccat graviter qui sine ſufficienti causa, Missam non perficit, ſed illam deserit, quia hæc agendi ratio, reverentiam tantis mysteriis debitam, insigniter lædit. Gravior autem requiritur causa ut Miſsa deseri possit post consecrationem, quam ante consecrationem.

Ut Miſsa deseratur ante consecrationem ſequentes ſunt causæ *1mo:* cum Sacerdos meminit se non eſse jejunum, vel gravi peccato obstrictum, de quibus actum est ſuperius. *2do:* Cum excommunicatus vitandus, vult Sacrificio intereſse, & neque adhortationibus cedit, nec propelli potest. *3tio:* Quando Sacerdos Sacrum sine periculo mortis, aut gravis periculi, prosequi & perficere nequit, de quo sic disponit Rubrica tit: 10. de defectibus in ministerio occurentibus: *Si timeatur incursus hostium vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Miſsa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.* In hoc ergo casu incepto etiam Canone, necdum autem peracta consecratione, debet dimitti Miſsa, ne Sacramentum exponatur profanationi. Facta autem consecratione, debet ſumere Sacerdos vel solam panis ſpeciem, si hanc tantum consecravit, nec ſpeciem vini, periculum imminens consecrari sinit, & omiſsis ceteris, fuga sibi consulere. Imo Hostiam in corporali secum auferre potest, si instet hostis, aut flamma, alibi consumendam. *4to:* Si Sacerdos advertat futurum, ut desit alterutra ſpecies consecranda, vel quia propter vomitum communicare non poterit, sistere debet si nondum consecravit. Si autem facta panis consecratione, vini defectum advertat, neque hunc ſupplere poſsit, debet prosequi. Idem est, si extunc periculum vomitus ſentiat, recedendum est ab altari.

Neque etiam Miſsa ſemel incepta interrumpi potest, sine peccato, nisi gravis, ac justa occurrat causa. Hoc autem peccatum tanto erit gravius, quanto interruptio diuturnior, aut causa inutilior. Quia Miſsa est una quædam totalis actio, cujus partes secum invicem conne-

xæ

xæ eſse debent. Interrumpi tamem Miſsa potest. 1. Si moribundus Baptismo, aut Pœnitentia indigeat. 2. Si infirmo, qui cetera Sacramenta recipere non potuit, administranda sit Extrema unctio.

Quæres 10mo: Qui præterea in celebratione Miſsæ Sacrificii occurrere poſsunt casus, & qui defectus, & quomodo iis consulendum sit?

Resp: Miſsale Romanum titulo de defectibus in celebratione Miſsarum occurrentibus, varios enumerat casus & opportuna iis offert remedia, & quamvis in decursu hujus Tractatus de multis jam actum sit, eos tamen simul hic colligere, atque recensere maxime utile erit, ex his vero alii materiam, alii formam, alii ipsum celebrationis ritum concernunt.

1mo: Itaque. Si panis non sit triticeus, vel si sit triticeus, ſed admixtus granis alterius generis, in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur Sacramentum, ac proinde tali pane uti non licet ad Sacrificium. Si panis cœperit corrumpi, ſed adhuc non est corruptus, vel si non sit azymus, Sacramentum conficitur, ſed celebrans, ac conficiens graviter peccat.

Si celebrans ante consecrationem advertat hostiam eſse corruptam, aut non eſse triticeam; remota illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desiit. Si id advertit post consecrationem, etiam post illius hostiæ ſumptionem, posita alia, faciat oblationem saltem mente, & à consecratione incipiat, ab illis scilicet verbis: *Qui pridie quam pateretur*: ipsam consecret, & ſumat, priorem vero si non ſumpsit, post ſumptionem Sanguinis ſumat, vel aliis ſumendam tradat, vel alicubi, maxime in ciborio, reverenter ſervet. Si autem ipsam jam ſumpserit, & forte nonnisi tunc corruptam eſse agnoverit, nihilominus ſumat eam, quam denuo consecravit, quia præceptum de perfectione Sacramenti, ac Sacrificii, majoris est ponderis, quam ut à jejunis sumatur.

Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, sive vento, vel ab aliquo animali accepta sit, & nequeat reperiri, tunc altera consecretur, incipiendo ab eo loco: *Qui pridie.*

2do: Si vinum sit factum penitus acetum, vel putridum, vel ei admixtum fuerit tantum aquæ, ut vinum sit corru-

corruptum, non conficitur Sacramentum. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.

Si celebrans advertat vinum cum aqua non eſse in Calice poſitum, debet illa ſtatim apponere, & facta oblatione conſecrare. Si poſt conſecrationem advertat vinum non fuiſse poſitum, ſed aquam, depoſita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calicem, & conſecret, reſumendo à verbis: *Simili modo.*

Si hoc advertat poſt ſumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat vinum cum aqua, & facta oblatione ſaltem mente, conſecret, & ſtatim ſumat, ac cetera proſequatur. Id ipſum faciendum eſt, ſi Sacerdos ante conſecrationem, vel poſt conſecrationem advertat totum vinum eſse acetum, vel alias corruptum.

Si vero celebrans percipiat ante Conſecrationem Calicis; non fuiſse vino admixtam aquam, ſtatim ponat eam, ſi id advertat poſt conſecrationem Calicis, nullo modo apponat.

Si materia quæ eſset iterum apponenda, ratione defectus in pane aut vino occurrentis, non poſset ullo modo haberi, ſi id ſit ante conſecrationem Corporis, tunc ulterius in Miſsa procedi non debet, ſi poſt conſecrationem Corporis, aut etiam Calicis deprehenditur defectus alterius ſpeciei, altera jam conſecrata, & illa nullo modo haberi poteſt, procedendum erit, & Miſsa abſolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba, & ſigna, quæ pertinent ad ſpeciem deficientem. Quodſi expectando aliquandiu haberi poſsit ſpecies, quæ deficit, expectandum erit, ne Sacrificium maneat imperfectum.

3tio: Si quis aliquid diminueret, vel immutaret de forma conſecrationis Corporis, vel Sanguinis, & in ipsa verborum immutatione, verba idem non ſignificarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret, conficerret quidem Sacramentum, ſed graviſsime peccaret.

Si celebrans non recordetur ſe dixiſse ea, quæ in conſecratione ſpecierum communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei conſtet ſe omiſsiſse aliquid eorum, quæ ſunt de neceſsitate Sacramenti, id eſt formam conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipsam formam, & cetera proſequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitet ſe aliquid eſsentiale omiſiſse, iteret formam ſub tacita conditione. Si autem non ſint de

neceſsi-

necefsitate Sacramenti, non resumat, fed procedat ulterius.

4to: Si Sacerdos celebrans, putans quidem decem sibi ad consecrandum porrectas efse minores hostias, voluit tamen omnes consecrare quas coram se habebat, omnes funt consecratæ, atque ideo quilibet Sacerdos talem femper intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes hostias, quas ante se ad consecrandum ordinate positas habet. Hinc etiamsi Sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuifse duas simul junctas, in fumptione sumat simul utramque.

Quodsi Sacerdos deprehendat post fumptionem corporis, & sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium fpectant. Si vero relicta sit Hostia integra consecrata, etiam minor, eam in tabernaculo cum aliis reponat, si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo in Altari fupra corporale decenter opertum, fumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat, vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice, feu patena decenter conservet; quousque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero fumatur (quopiam ad Communionem præparato) quodsi non habeat, quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.

5to: Si in ipsa celebratione Mifsæ, Sacerdos recordetur fe efse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & fatisfaciendi. Si recordetur fe efse excommunicatum, fuspensum, aut locum efse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in fupradictis casibus, si non timetur fcandalum, debet Mifsam inceptam deserere.

Si facerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Mifsa, si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit fumptionem Sacramenti, omifsis omnibus aliis.

Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, aut moriatur, prætermittitur Mifsa, si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Mifsa per alium Sacerdotem expleatur, ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necefsitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, fed fuerit infirmus, adeo tamen ut pofsit communicare,

& non

& non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos qui Missam suppleet, dividat Hostiam, & unam partem tribuat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semi prolata forma Corporis, obierit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semi prolata forma Calicis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem Calicem repetat integram formam ab eo loco. *Simili modo postquam*: vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & Sangvinem à se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.

6to: Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, proijciatur vinum in locum decentem, & aliud ponatur in Calice, misceat parum aquæ, offerat & Missam prosequatur (poterit tamen absolute sola musca extrahi, proijci, & vinum in Calice relinqui & consecrari, nisi nauseam pariat Sacerdoti.) Si post consecrationem deciderit in Calicem musca, aut aliquid ejusmodi, & fiat nausea Sacerdoti in sumendo, illam extrahat & lavet cum vino, finita autem Missa comburat, & combustio, ac lotio hujusmodi, in Sacrarium proijciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sangvine.

Si aliquid venenosum inciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum, & finita Missa sanguis repositus in Ciborio, vel panno, lino, tamdiu conservetur, donec species vini fuerint vel desiccatæ, vel alteratæ prorsus, & tunc pannus, linum comburatur, & combustio in Sacrarium proijciatur.

Si aliquid venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc Sacerdos alteram consecret, & sumat, & illa servetur in Tabernaculo, loco separato, donec species panis corrumpantur, & corruptæ deinceps in Sacrarium mittantur.

Si sumendo sanguinem particula remanserit in Calice, Sacerdos digito ad labium Calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum, & sumat.

Si Hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis Hostia consecretur, si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur, quodsi illius jam facta fuerit oblatio, eam post oblationem sumat. Quodsi ante oblationem Hostia appa-

reat

reat fracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram id fieri possit.

Si propter frigus, vel negligentiam, Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequetur, faciendo cæremonias, & signa consveta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta sangvine, si commode id fieri possit. Si vero tota madefacta fuerit, non extrahat illam, sed omnia dicat, omittendo signa, & sumat pariter Corpus & sangvinem, signans se cum Calice dicens: *Corpus, & sanguis Domini.*

Si hyeme sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis, si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare, (vel supra Carbones teneatur Calix) donec sanguis in eo liquefiat.

Si per negligentiam Sacerdotis, aliquid de sanguine ceciderit, siquidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus ipse radatur quantum satis est, & abrasio comburatur, cinis vero in Sacrarium mittatur. Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos illam sanguinis stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium proijciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit, si usque ad tertium, linteamina hæc ter abluantur, ubi stilla ceciderat, Calice supposito, & aqua ablutionis in sacrarium proijciatur. Quodsi in ipso solum corporali, aut si in vestibus Sacerdotalibus stilla Sanguinis ceciderit, debet simpliciter ablui, & ablutio in Sacrarium mitti. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur.

Si contingat post consecrationem totum Sanguinem effundi, si quidem aliquid, vel parum remansit, illud sumatur. Si vero nihil omnino remansit, Sacerdos ponat iterum vinum, & aquam, conseeret, & sumat.

Si Sacerdos evomat Eucharistiam & species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat, tunc enim species consecratæ caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium proijciantur. Quodsi species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur.

Si Hostia consecrata, vel aliqua illius particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit mundetur, & aliquantulum abradatur, & pulvis, seu abrasio in Sacrarium mittatur. Si ceciderit extra Corporale in Mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum diligenter lavetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur. TRA-

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

CAPUT PRIMUM

De natura, vi, & effectibus Pœnitentiæ.

Cum nemo mundus sit à ſorde peccati, quæ nonnisi pænitentia deleri potest, nihil magis curandum est peccatoribus, quam ut optime ſciant, quomodo eos pænitere oporteat, ut hoc pacto deleantur eorum delicta.

ARTICULUS 1mus

De natura Pœnitentiæ.

Quæres 1mo: Quid sit pœnitentia?

Resp: Pænitentia duplici modo considerari potest, ſcilicet: prout est virtus, & prout est Sacramentum. Pænitentia, si consideretur prout est virtus, inclinat, & excitat hominem ad detestande, & odio proſequenda commiſsa peccata, cum sincero emendationis proposito, & vera pro illis ſatisfaciendi voluntate, quare Pænitentia ſpectata ut virtus, est: *Odium ac detestatio commiſsi peccati, cum emendationis proposito, & sincera pro illis ſatisfaciendi voluntate.* Quia ergo vera pænitentia includere debet. *1mo*: peccati commiſsi odium, detestationem, atque dolorem. *2do*: sincerum emendationis propositum, hinc præclare ſcripsit S. Gregorius M. Homil: 34. in Evangelia: *Pœnitentiam agere, est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. 3tio:* veram ſatisfaciendi pro commiſsis peccatis voluntatem, Deo siquidem, ac ſæpiſsime etiam hominibus, per commiſsa peccata, injuria non modica irrogatur, justitia exigit ut hæc resarciatur, atque congrua læso à lædente fiat ſatisfactio.

Pæni-

Pænitentia, ut est virtus, ab initio mundi usque nunc ſemper fuit, & est peccatoribus ad ſalutem omnino neceſsaria, sine illa namque nullus peccator ſalvari potest, quare generaliter, & absolute edixerat Christus Lucæ Cap: 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.*

Pænitentia vero ſpectata ut Sacramentum, hoc modo definiri ſolet: *Est Sacramentum â Christo Domino institutum, quo, per Sacerdotis absolutionem, homini contrito, confeſso & ſatisfactionem ſpondenti, remittuntur peccata post baptismum commiſsa.*

Quæres 2do: Quæ sit materia Sacramenti Pœnitentiæ?

Resp: Materia Sacramenti Pænitentiæ duplex est: proxima, & remota. Materia *remota,* ſunt omnia peccata post Baptismum commiſsa, quia illa per Sacramentum Pænitentiæ delentur, ac remittuntur. Sed materia hæc remota, alia dicitur *neceſsaria*, quæ Sacramentali Confeſsioni omnino ſubijcienda est, & hanc materiam constituunt peccata mortalia, quia neceſsario ex Christi institutione, Confeſsioni Sacramentali ſubjici debent, neque aliter deleri poſsunt, nisi vel per ipsum Pænitentiæ Sacramentum, vel per contritionem perfectam, quæ vices illius ſupplet, cum sincero desiderio ipsum ſuscipiendi, cum actu ſuscipi poterit. Alia dicitur *libera & ſufficiens*, & pro tali materia reputantur peccata venialia, & mortalia etiam, quæ jam confeſsa & remiſsa ſunt. Quia peccata venialia, licetsi per Sacramentum Pænitentiæ deleantur, attamen extra illud multis aliis modis deleri poſsunt, & mortalia quamvis jam confeſsa, ac remiſsa, si iterum cum novo dolore, ac detestatione confiteantur, iterum per Sacramentalem absolutionem remitti poſsunt, atque hoc modo homo amplius, & amplius, à ſuis iniquitatibus emundatur, & à peccatis purgatur.

Debet autem hæc materia remota esse certa, quia non licet Sacramenti formam applicare materiæ dubiæ, alioqui exponeretur Sacramentum periculo nullitatis, ut itaque Pænitens à Sacerdote absolvatur, debet aliquod certum, etsi ſolum veniale confiteri peccatum, quodsi ea omnia quæ confessus est, peccata dubia sint, ſupperaddat aliquod certum, quamvis jam antea confeſsum peccatum, & de illo conteratur.

Jam vero materia Sacramenti Pænitentiæ *proxima*, ſunt tres actus pænitentis, nimirum: contritio, confeſsio, & ſatisfactio. Ita docet Concilium Trident: Seſs: 14.

Cap:

Cap: 3. ubi de Pænitentiæ Sacramento tractans sic ait: *Sunt materia hujus Sacramenti, ipsius Pœnitentis actus, nempe contritio, confeſsio, & ſatisfactio, qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum remiſsionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.* Et certe: si ipsa ſpectetur Pænitentia, prout est in ſe, cordis contritionem, & operis ſatisfactionem requirit, oris autem confeſsionem Christus peccatoribus pænitentiam agentibus præcepit. Merito ergo tres isti actus pænitentis, contritio ſcilicet, confeſsio, & ſatisfactio tamquam materia, ac partes Sacramenti Pænitentiæ reputantur.

Verum tamen inter prædictas Pænitentiæ partes, hoc est discrimen, quia actualis Contritio, atque Confeſsio, ſunt partes Sacramenti Pænitentiæ eſsentiales, quia sine iis, tamquam primario hoc Sacramentum constitutivis, stare illud non potest. Pariter & ſatisfactio in voto, ſeu sincerum Deo, & hominibus ſatisfaciendi desiderium, voluntasque, pars est Sacramenti Pænitentiæ essentialis, quare qui nullam haberet ſatisfaciendi voluntatem, irritum redderet Sacramentum: ſatisfactio autem in re, ſeu actu præstita, quæ à ſacerdote imposita fuit, est tantum Sacramenti Pænitentiæ pars integrans, quia totum Sacramentum istud ſacerdotali absolutione perficitur, quamvis imposita à Sacerdote ſatisfactio impleta non sit.

Quæres 3tio: Quæ sit forma hujus Sacramenti?

Resp: Forma Sacramenti Pænitentiæ consistit in iis verbis, quibus à Sacerdote, pænitenti peccata remittuntur, hæc autem ſunt ex præscripto Ritualis Romani: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Verum tamen ſola verba hæc, *absolvo te*, ad formæ eſsentiam pertinent, quia ipsa & actionem Ministri, & Sacramenti effectum ſatis exprimunt. Proindeque & Concil: Trident: Seſs: 14. Cap: 3. hæc habet: *Sacramenti Pœnitentiæ forma, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis verbis posita est. Ego te absolvo, quibus de Ecclesiæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ eſsentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem ſunt neceſsaria.* Unde ad validitatem abſolutionis non requiruntur voces *à peccatis tuis*, quia licet verbum *absolvo*, etiam in censuras cadere possit, ex prævia tamen peccatorum confeſsione, & intentione Ministri, ad remiſsionem peccatorum determinatur. Neque etiam vox, *Ego*, quia ſatis in verbo

absolvo includitur. Pariter invocatio SSmæ Trinitatis, formæ hujus Sacramenti non est eſsentialis, quia neque eam Christus in Sacramento Pænitentiæ usurpari præscripsit, neque Ecclesia usquam judicavit illam huic Sacramento eſsentialem eſse. Sed licetsi hæc admodum veri similia sint, nihilominus sine iis omnibus vocibus, quas modo Ecclesia pro forma Sacramenti Pænitentiæ statuit, ac præscripsit, data absolutio, ſaltem ſub conditione iterari deberet, quia Rituale Romanum titulo de Sacramento Pænitentiæ etiam urgente gravi neceſsitate, & periculo mortis instante, ceteris prætermiſsis, ſequentem absolutionis formam adhibere mandat. *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Quare ex præscripta ab Ecclesia absolutionis forma, nulla prorsus vox omittenda est, ſed integra ſupra pænitentem pronuntiari debet.

Quæres 4to: Quis ritus in perficiendo Pænitentiæ Sacramento observari debet?

Resp: Ritum perficiendi Pænitentiæ Sacramentum, atque ſacramentalem impertiendi absolutionem, Romanum Rituale sic præscribit: *Sacerdos dum pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, & ab eo acceptata pœnitentia ſalutari primo dicit:* Misereatur tui omnipotens Deus ettc. *Deinde dextra, versus Pœnitentem elevata, dicit:* Indulgentiam, absolutionem ettc. deinceps prosequitur. *Dominus Noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuspensionis, & interdicti, in quantum poſsum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo â peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Paſsio Domini Nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſustinueris, sit tibi in remiſsionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ Amen.* Et hæc omnia ex præcepto Ecclesiæ dici, & recitari debent, voce distincta, atque articulata, maxime ipsa ſubstantialis absolutionis forma, quia ex Concilio Florentino: *Pænitentiæ Sacramenti forma ſunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, dum ait. Ego te absolvo*: debet ergo illa ore per verba articulata proferre.

Monet autem idem Rituale Romanum, quod si pænitens laicus fuerit, omittendam eſse vocem: *Suspensionis*: quia istiusmodi Censura in Laicos non cadit. Ac præterea addit in Confeſsionibus frequentioribus, ac breviori-

bus,

bus, omitti poſse, *Misereatur*, atque *Indulgentiam* ettc. & ſatis eſse dicere *Dominus noster Jesus Christus*, & reliqua usque ad illud, *Paſsio Domini nostri*. Urgente vero gravi aliqua neceſsitate, vel instante periculo mortis, breviter pænitens absolvendus est hac forma: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

Ordinarie autem prius pænitens à Censuris maxime ab excommunicatione absolvendus est, quam à peccatis absolvatur, quia cujuscunque Sacramenti ſusceptio excommunicatis graviter ab Ecclesia prohibita est, unde qui hunc ordinem ſcienter pervertunt, & ab excommunicatione non absolutum, â peccatis absolvunt, graviter delinquunt, atque istiusmodi absolutio, nulla, & irrita est.

Quæres 5to: An absolutio, Sacramentalis conditionate dari poſsit?

Resp: Absolutio Sacramentalis communiter absolute est conferenda, unde qui sine justa causa conditionate pænitentem absolvit, juxta mitiores etiam Theologos peccat mortaliter. Valet tamen absolutio data ſub conditione de præsenti, vel de præterito, quæ de facto existit, aut extiterat, ut si quis dicat: *Absolvo te si debitum restituisti, si firmum habes restituendi propositum*, quia posita conditione, res transit in absolutam. Atque istiusmodi absolutio conditionata, aliquando licita eſse potest, ut cum quis legitime dubitat, an absolutionis verba protulerit, tunc enim dicere poterit: *Si non es absolutus, ego te absolvo*: aut etiam cum Sacerdos dubitat an homo vivat, quem absolvere intendit, aut etiam propter incerta signa anceps hæret an infirmus velit absolvi. At non debent absolvi conditionate illi, de quibus cum ſani ſunt, prudenter dubitatur, utrum rite ad Sacramentum Pænitentiæ dispositi sint, aut qui alia quam dubia peccata non confitentur, qui aliquod grave peccatum reticuiſse probabiliter creduntur, vel quorum dolor sincerus, aut efficax emendationis propositum merito ſuspecta ſunt, hi namque omnes ſerio prius probandi ſunt, donec ex bonis fructibus moraliter certo constet, ipsos ad ſuscipiendam Sacramentalem absolutionem rite eſse dispositos.

Ceterum cum absolutio conditionate datur, neceſsum non est, conditionem verbis exprimere, quia ex ſola mentis intentione, verba ad hunc vel illum ſensum determinantur.

Absolutio autem Sacramentalis data ſub conditione de

de futuro, nulla, & invalida est. Nec enim ipsa valet cum profertur, quia deest conditio cui intentio absolventis est alligata, nec valet cum ponitur conditio, quia tunc non profertur absolutio, neque conficitur Sacramentum.

Quœres 6to: Utrum ut de novo alicui atque iterum detur Sacramentalis absolutio, opus est ut de novo proxima & remota ponatur Pœnitentiæ materia?

Resp: Ita est, quia ut de novo conficiatur Sacramentum, de novo poni debet materia, & forma Sacramenti. Quare ut de novo & iterum quis absolvatur, necefse est ut iterum confiteatur, atque sincere conteratur, unde Sacrilegii reus est, qui una excepta confefsione, bis pænitenti absolutionem impendit. Potest tamen nova dari absolutio fuper nova eorundem peccatorum confefsione. Neque redarguendus est Sacerdos, qui Scrupulosum anxium de habita contritione, denuo fub conditione absolveret.

Quœres 7mo: Utrum Sacramentum Pœnitentiæ sit ad falutem necefsarium?

Resp: Hac de re Concilium Tridentinum Sefs: 14: Cap: 2. ita decrevit: *Est hoc Sacramentum Pœnitentiœ lapsis post Baptismum ad falutem necefsarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Unde fequitur Sacramentum Pænitentiæ in re, cum actu fuscipi potest, aut etiam in voto, hoc est in desiderio illud fuscipiendi, quando reipsa fuscipi nequit, efse ad falutem necefsarium necefsitate medii, quia quemadmodum ex Christi institutione Baptismus sive in re sive in voto est omnibus ad falutem necefsarius necefsitate medii, cum sine illo etiam inculpabiliter omifso falus obtineri nequeat, ita quoque graviter post Baptismum lapsis, Pænitentia sive in re, sive in voto ex Christi institutione est ad falutem necefsaria necefsitate medii, quia unicum est falutis remedium, quo etiam inculpabiliter omifso, falus æterna obtineri nequit. Sicuti autem votum, feu desiderium Baptismi in Adultis perfectam contritionem charitatemque Dei fupra omnia complecti debet, ita quoque & votum feu desiderium Pænitentiæ, illam continere debet, ut per illam peccator justificetur.

ARTICULUS 2dus

De vi & effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Quœres 1mo: An sit aliquod gravifsimum peccatum, quod

quod per Sacramentum Pœnitentiæ remitti nequeat?

Resp: Nullum est quamtumvis gravissimum peccatum quod per Sacramentum Pænitentiæ remitti nequeat. Quia generaliter dixit Christus Apostolis, corumque in ministerio succesoribus Math: Cap: 18. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*, nullum ergo excipiendo peccatum, â quibuscunque etiam gravissimis peccatis solvendi potestatem Christus Apostolis corumque Successoribus dedit, ac proinde omne quamtumvis gravissimum peccatum per Sacerdotalem absolutionem in Sacramento Pænitentiæ remitti potest.

Porro peccata mortalia, aut omnia simul in Sacramento Pænitentiæ remittuntur, aut nullum; neque fieri potest ut unum peccatum mortale remittatur, & aliud retineatur. Quia peccata in Sacramento Pænitentiæ remitti nequeunt, nisi de illis sincerus concipiatur dolor, sincerus vero dolor de peccatis mortalibus esse nequit, nisi omnia sincere, & ex corde detestentur, quare si quis vel ad unum mortale, cui asvefactus est, affectum servet, quamvis de aliis dolere videatur, istiusmodi dolor falsus est, & nulla tunc remittuntur peccata. Unum ergo peccatum mortale sine alio dimitti nequit. Certe cum peccata mortalia dimittuntur, gratia sanctificans â Deo homini infunditur, gratia vero sanctificans cum mortali peccato consistere nequit. Ergo aut omnia simul delentur peccata mortalia, si omnia sincere detestentur, aut nulla, si vel ad unum mortale, affectus in corde servetur. Aliud est de peccatis venialibus, unum enim, & non aliud remitti potest, quia de uno peccato veniali sincerus dolor haberi potest, & gratia sanctificans cum peccato veniali sæpe consistit, cum & justi homines levioribus peccatis obnoxii sint.

Quæres 2do: Utrum in Sacramento Pænitentiæ non solum peccata delentur, sed etiam pœna illis debita remittitur?

Resp: Quoties per Pænitentiam peccata mortalia delentur, & reatus culpæ tollitur, statim etiam tollitur reatus pænæ æternæ, illaque una cum culpa à Deo remittitur, quia cum peccator in Sacramento Pænitentiæ per gratiam sanctificantem, à peccatis emundatur, atque justificatur, ex injusto fit justus, ex inimico amicus Dei, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Qui autem justus est, amicus Dei, ac hæres vitæ æternæ, nequit esse obnoxius pænæ æternæ, unde & Apostolus scripsit ad Rom: Cap: 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo*

sto Jesu. Porro per gratiam justificationis homo Christo conjungitur, eique incorporatur. Dum igitur per Sacramentum Pœnitentiæ peccator justificatur, peccata ipsius, licet gravia, delentur, ex tunc etiam ei pæna remittitur æterna, & nihil in eo remanet damnationis.

Verum dum remittuntur peccata, non tollitur reatus pænæ temporalis, ſed illa luenda ſuperest, licet remiſsa peccata fuerint. Quia Deo, qui peccatis nostris offenditur, congrua debetur ſatisfactio, hæc autem ei exhibetur, dum pænas temporales patienter toleramus, ac libenter eas in nos ſuscipimus. Si tamen acris, ac intensa fuerit peccatoris pænitentia, dolorque fervidus, aliquando etiam temporalis pæna remittitur, quemadmodum pænitenti Magdalenæ contigit, cui dimiſsa ſunt peccata multa, eisque debita tum æterna, tum etiam temporalis pæna, quoniam dilexit multum.

Quæres 3tio: Utrum bonorum operum merita, per mortale peccatum mortificata, per ſubsequentem deinceps Pœnitentiam reviviscant?

Resp: Opera bona triplicis ſunt generis. Alia ſunt *viva*, quæ ab homine justo procedunt, eique tribuunt jus ad gloriam cælestem. Alia *mortificata*, quæ ab homine quidem justo prodierunt, ſed deinceps per mortale peccatum excidunt à jure, quod ad consequendam vitam æternam tribuebant. Alia demum *mortua*, quæ, etsi in ſe bona, fiunt ab homine in statu peccati mortalis existente, quare nullum jus tribuunt ad regnum cælorum adipiscendum. Opera ergo bona mortificari dicuntur, quando meritum ſuum, atque jus, quod ad regnum cæleste capeſsendum tribuunt, per mortale peccatum amittunt. Reviviscunt vero, cum amiſsum meritum, extinctum illud regni cælestis jus, recuperant. Itaque bona opera viva, & per mortale peccatum mortificata, redeunte, per ſubsequentem pænitentiam, gratia ſanctificante, reviviscunt. Namque Ezechielis Cap: 33. hæc appromittit Deus: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit.* Porro si non reviviscerent bona opera per peccatum mortificata, neque redirent illorum amiſsa merita, etiam sincere pænitenti peccatori, impietas plurimum, & quidem tota æternitate noceret, cum jam nusquam poſset amiſsa recuperare merita, quare iterum Deus, Joelis Cap: 2. postquam dixerat: *Convertimini ad m* : statim conversionis hujus ſubjungit mercedem: *Reddam vobis annos quos comedit locu-*

sta, bruchus, & rubigo, & eruca, id est, ut ait S. Hieronymus. *Non patiar perire meritum bonorum operum, quod per peccatum fuerat deperditum.* Et vero exigit Dei misericordia, quæ ſuperexaltat judicium, ut opera in gloriam ipsius, & ex illius gratia facta, ſua donentur mercede, cum nihil obest. Porro cum homo lapsus per Pænitentiam justificatur, reditque in gratiam, cum Deo reconciliatur, nihil jam obest quominus præterita ipsius bona opera remunerentur. Ergo Dei exigit misericordia, ut ipsa per Pænitentiam reviviscant. Certe plus virium non habet peccatum, quam gratia. Ergo si per mortale peccatum mortificantur bona opera prius facta, per gratiam justificationis illa reviviscere debent. Verum hæc reviviscentia præteritorum meritorum, extenditur, vel restringitur ſecundum mensuram dispositionum, ex quibus lapsus homo justificatur. Unde S. Thomas Doctor quæst: 89. art: 2. sic ait: *Contingit intensionem Pænitentis quandoque proportionatam eſse majori gratiæ, quam illa à qua exciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque vero minori, & ideo pænitens quandoque resurgit in majori gratia, quandoque autem in æquali, quandoque vero in minori.* Quod & ipsa manifestum est experientia. Illi enim quorum adeo remiſsa est pænitentia, ut vix ab aſsvetis deterreantur peccatis, ad pietatis opera nimis langvidi, vix quidpiam boni operantur, & ut ait S. Bernardus: *Rara illorum compunctio, oratio sine devotione, tepida conversatio, animalis cogitatio.* Contra vero, quorum vehemens est pænitentia, ſplendida & novæ vitæ, & pristinæ pietatis præbent argumenta, ut ad occulum appareat eos meliores eſse multis justis, qui non indigent pænitentia, & ut inquit S. Grægorius M. Homili 34. in Lucam. *Ex ipso ſuo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, ſeseque in magnis virtutibus exercent, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, ad cœlestem patriam anhelant.*

Quæres 4to: Qui ſunt præterea effectus, fructusque Sacramenti Pænitentiæ?

Resp: Concilium Tridentinum Seſs: 14. Cap: 3. effectus, fructusque Sacramenti Pænitentiæ sic describit: *Effectus hujus Sacramenti reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac ſerenitas, cum vehementi ſpiritus consolatione consequi ſolet.* Igitur per Sacramentum Pænitentiæ cum Deo reconciliamur, à peccatis abluimur, justificamur, gratia ſanctificante perfundimur,

mur, abjectis terroribus conſcientia pacificatur, mentis redit ſerenitas, devotio accenditur, ac denum per illud acquirimus gratias multiplices, quibus tentationes ad malum trahentes vincere, præterita peccata devitare, atque in bonis propositis perseverare poſsimus.

CAPUT SECUNDUM

De partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæres. Quot, & quæ ſunt partes Sacramenti Pœnitentiæ?

Resp: Tres ſunt partes Sacramenti Pænitentiæ, nimirum *Contritio, Confeſsio,* & *ſatisfactio*, atque prædicti Pænitentiæ actus, & materiam proximam hujus Sacramenti constituunt, & quia ad ipsius integritatem, perfectamque constitutionem neceſsario & eſsentialiter ex Christi institutione prærequiruntur, ideo partes illius constitutivæ appellantur. Hinc Concilium Tridentinum Seſs: 14. Cap: 3. sic ait: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſsio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, adplenamque & perfectam peccatorum remiſsionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.*

ARTICULUS 1mus

De Contritione.

Quæres 1mo: Quid sit Contritio?

Resp: Contritio est animi dolor ac detestatio commiſsi peccati, cum proposito de cetero non peccandi, & præstandi reliqua, quæ ad obtinendam à Deo remiſsionem peccatorum, ſunt neceſsaria. Est itaque contritio. 1mo: dolor *animi*, quia ab intimo corde profluere debet, cum enim ex corde peccata profluant, inde etiam dolor ac detestatio eorum promanare debet. Neque ſatis est partem ſensitivam commovere, lachrymas ex occulis profundere, nisi etiam cor ipsum dolore languescens fleat. 2do

est *detestatio*, seu odium atque abominatio commissi peccati, efficax & absoluta illius retractatio, omnem ad illud excludens voluntatis affectum, propensionemque. 3tio: contritio debet esse, *cum proposito de cetero non peccandi* conjuncta, ac proinde homo contritus habere debet firmam, ac sinceram voluntatem â commissis peccatis abstinendi, & divina præcepta fideliter observandi. Contritio siquidem omnem ad peccatum excludere debet affectum, hunc vero affectum pænitens peccator non deponit, nisi habeat firmum deinceps non peccandi propositum. 4to: debet insuper habere sincerum propositum *præstandi ea omnia, quæ necessaria sunt ad obtinendam â Deo remissionem peccatorum*, hoc est propositum, & fideliter peccata sua Sacerdoti confitendi, & pro iis congrue satisfaciendi, quia confessio & satisfactio ex Christi institutione, ad Pænitentiam & obtinendam à Deo remissionem peccatorum, omnino necessaria sunt.

Quæres 2do: Qualis ergo debet esse istiusmodi contritio?

Resp: Ut contritio valeat ad obtinendam à Deo remissionem peccatorum, debet esse. 1mo: vera: & non sufficit quæ falso ab aliquo putatur haberi, cum reipsa abest. Neque prodest bona pænitentis fides; qua credit se esse contritum, licet reipsa contritus non sit, quia bona fides aliquando excusat â peccato, sed non supplet defectum rei necessariæ, qualis est contritio, ut à Deo peccatorum remissio obtineatur. Certe Deus pollicendo peccatoribus remissionem peccatorum, exigit ut avertantur ab impietate sua, illam detestentur, & ex toto corde ad ipsum convertantur. Porro hoc non præstant ii peccatores, qui licetsi falso putent, se de suis dolere peccatis, illa detestari, reipsa tamen corde de ipsis non dolent, non conteruntur, illa corde & animo non d te tantur. Ergo talis falso præsumpta contritio nihil valet, sed vera esse debet non imaginaria.

2do: Debet esse interior, quatenus non ab ore tantum prodeat, sed ex intimo cordis affectu profluat. Id enim ubique in sacra Scriptura exigit Deus: *Convertimini ad me in toto corde vestro* Joelis Cap: 2. *Scindite corda vestra.* Isaiæ Cap: 46. atque ut fidem facit David Propheta Psal: 50. cor contritum & humiliatum non despicit Deus. Ut ergo misericordiam, & remissionem peccatorum à Deo consequamur, necesse est, ut contritio nostra de commissis pecca-

tis ex corde humiliato procedat, ac proinde & vera, & interior sit, oportet.

3tio: Debet eſse ſupernaturalis, tum ratione *principii*, quia ſcilicet eſse debet ex auxilio gratiæ ſupernaturalis, nemo enim, ut docet Concilium Trident: Seſs: 6. Can: 3. sine præveniente Spiritus ſancti inspiratione, atque ejus adjutorio pænitere potest, sicut oportet, tum etiam ratione *motivi*, ut ex aliquo ſupernaturali motivo concipiatur, ex motivo videlicet, quod per lumen fidei attingitur, quare contritio de peccatis ex motivo pure naturali concepta, exg. propter temporale damnum, ad justificationem, quæ ſupernaturalis est, & per gratiam perficitur, hominem disponere nequit.

4to: Debet eſse ſumma, non quidem *intensive*, quia etsi paulo remiſsior contritio, vera tamen eſse potest, hinc non ideo ſuspecta debet esse Pænitentis contritio, quod Patris, aut Matris mortem doleat vehementius, quam commiſsum peccatum, quia id provenit ex commotione partis ſensitivæ, quod à gratia deinceps emendatur. Curandum tamen enixe, ut quam altiſsimum, si fieri potest, de peccatis dolorem concipiamus, cum ex eo id proveniat ut peccata ſupra omnia etiam mala detestemur. Hinc S. Cyprianus libro de lapsis neceſse ait: *ut quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, & pœnitentia crimine minor non sit.* Sed debet eſse ſumma *appretiative*, ita: ut pænitens plus odio proſequatur Dei offensam, quam malum aliud quodcunque, nihilque cogitet, nihil velit, quod Divinæ dilectioni sit contrarium. Unde dicitur Deut: Cap: 4. *Cum quæsieris Dominum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Etsi vero pænitens ita affectus eſse debeat, ut generaliter quamlibet pænam pati, ac quodlibet ſustinere malum malit, quam ad pristina reverti peccata, non tamen per singulas ſpecies excurrere debet, ut exploret, an hoc vel illud mali genus præ peccato ſustinere velit, id enim & inutile, & periculosum est.

Etsi vero aliquando contingere potest, ut quis è profundo peccatorum cæno emersus, repentine consurgat; & debite conteratur, prout contigit Davidi, qui, ad vocem exprobrantis Prophetæ, corde contritus dixit, *Peccavi:* & illico audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum*, constat tamen eos qui longa peccandi consvetudine tenentur, multo, ut plurimum, opus habere tempore, ut vere conterantur. Enimvero, ut Eccles: Cap: 1. dicitur: *Perversi*

versi difficile ſanantur: & S. Augustinus Serm: 34. de diversis sic inquit: *Paulatim recipitur, quod ſemel amiſsum est, si enim cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi eſset peccando cadere in mortem.*

Quæres 3tio: Quæ præterea requiruntur, ut contritio vera, atque ſufficiens sit?

Resp: Ut contritio & vera sit, & ad obtinendam à Deo remiſsionem peccatorum valeat, debet præterea eſse. 1mo: *universalis* eo ſensu, ut pænitens peccator de omnibus prorsus commiſsis peccatis mortalibus sincere, & ex corde doleat, omniaque ex animo detestetur. Nemo sincere & vere dolere potest de commissis peccatis, aut corde conteri quod eis Deum offenderit, si vel unum mortale peccatum à dolore excipiat, in eoque sibi complaceat, neque etiam ſperare quis poterit â Deo remiſsionem ſuorum peccatorum, si vel in uno adhuc mortali perseverare velit, eoque adhuc Deum offendere pergat. Hinc in ſacris ſcripturis præcipit Deus, ut peccatores Pænitentiam agant ab omnibus iniquitatibus ſuis, proijciant à ſe omnes prævaricationes ſuas. Sic Ezech: Cap: 18. dicitur: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*: & iterum: *Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras.* Quare Concil: Lateran: 2. Cap: 22 sic ait: *Falsam eſse pœnitentiam constat, cum ſpretis pluribus, de uno ſolo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde ſcriptum est, qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, sicut enim si peccatis omnibus eſset involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit.* 2do: Debet habere adjunctum, *propositum non peccandi de cetero.* Vera siquidem cordis ad Deum conversio, prout docet Concil: Trident: Seſs: 14. Cap: 4. vitæ novæ propositum, & inchoationem, continere debet, atque omnem peccandi excludere voluntatem. Contritio ergo omnino adjunctum habere debet sincerum, atque firmum non amplius peccandi propositum, atque istiusmodi propositum generatim loquendo formale, atque explicitum eſse debet, & distictim ab elicito contritionis actu concipi, & efformari. Si quis tamen peccatis ſuper omnia detestandis unice intentus, de futuro non cogitans, istiusmodi propositum distinctim elicere, & efformare prætermiserit, non ideo defectuosa, ac manca censeri poterit illius contritio.

Quæ-

Quæres 4to: Utrum contritio sit ad ſalutem peccatori neceſsaria?

Resp: Peccatoribus omnibus contritio ad ſalutem neceſsaria est, tum neceſsitate medii, tum neceſsitate præcepti. Quia contritio præcipua est pars Pænitentiæ. Porro Pænitentia ad ſalutem omnibus peccatoribus est neceſsaria neceſsitate medii, & præcepti â Deo impositi. Unde Lucæ Cap: 13. dixit Christus: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis.* Istud vero divinum eliciendæ contritionis præceptum obligat. *1mo:* per ſe, in evidenti, aut probabili quovis mortis periculo, qui enim tunc contritionem elicere omittit, graviter peccat, quia ſe exponit periculo moriendi in peccato. Quare ad contritionem eliciendam non ſolum tenentur graviter ægrotantes, ſed & milites ante pugnam, nautæ ante periculosam navigationem, prægnantes ante puerperium, maxime cum difficile esse consvevit. *2do*: obligat etiam per accidens, ſeu ratione alterius urgentis præcepti quod impleri debito modo nequit, nisi ſaltem elicita contritione conscientia purgetur, ut cum Sacerdoti peccato mortali onusto incumbit neceſsitas quodpiam administrandi Sacramentum, aut etiam cum cuipiam gravis imminet tentatio, quæ vinci difficulter potest, nisi de pristinis homo conteratur, & sic corde contrito, & humiliato, uberem à Deo exoret sibi gratiam ad futuram.

Quæres 5to: Postquam lapsus est homo in aliquod mortale peccatum, an illico actum contritionis elicere debet?

Resp: Id est ſaluti hominis maxime congruum, atque conveniens, qui enim postquam in peccatum lapsus est, illico conteritur, quantum potest occurrit, ne illum in peccato mors ſubitanea apprehendat, & æternæ damnationi exponat, unde Eccles: Cap: 5. sic Deus peccatorem admonet: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubito enim veniet ira illius*: quare qui in peccato obfirmato animo diu permanet, neque ad Deum, tactus dolore cordis intrinsecus, statim convertitur, continuo æternæ damnationis periculo ſe exponit, ac proinde graviter delinquit, atque è peccato in peccatum fere quotidie proruit, ut enim S. Gregorius M. docet. Homil: 11. in Ezechielem: *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.* Imo quoties peccatum, quo Deum offendimus, menti occurrit, toties aliquo contritionis actu est expurgandum, & cum displicentia repudiandum. Sibi enim in illo complacere, novum est peccatum, indifferenti etiam occulo illud intueri, & divi-

nam

nam offensam pro nihilo habere, Deo injuriosum est. Ergo necesse est, ut tunc homo peccatum illud dedignetur, de eoque aliquo saltem modo conteratur.

Quæres 6to: Quotuplex est contritio?

Resp: Contritio duplex est, alia perfecta, alia imperfecta. Contritio *perfecta*, est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, ex motivo charitatis Dei perfectæ procedens, quando nimirum homo dolet ex toto corde pro commisso peccato, ideo unice: quia Deum super omnia propter se dilectum, atque in se summe amabilem offenderat. Contritio *imperfecta*, quæ etiam *attritio* dicitur, est animi dolor, ac detestatio de commisso peccato, ex aliquo supernaturali motivo concepta, exg. ex metu gehennæ, amissione regni cælestis, aut turpitudine peccati, prout hæc per lumen fidei apprehenduntur.

Quæres 7mo: Utrum contritio perfecta semper justificet?

Resp: Contritio perfecta semper etiam extra Sacramentum Pænitentiæ justificat. Namque Ezechielis Cap: 33. dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die* (seu in quocunque momento) *conversus fuerit.* Unde S. Leo Epist: 84. sic ait: *Apud Deum nullas patitur veniæ moras, vera conversio, dicente Spiritu Dei, per Prophetam. Cum conversus ingemueris, salvus eris.* Unde Contritio perfecta ad Sacramentum Pænitentiæ non prærequiritur, quia hæc etiam extra Sacramentum justificat, ac proinde non potest esse ad Sacramentum necessaria.

Ut vero Contritio perfecta extra Sacramentum Pænitentiæ justificet, debet adjunctum habere votum Sacramenti Pænitentiæ, seu peccator qui conteritur, habere debet sinceram voluntatem hoc Sacramentum actu suscipere, quam primum id facere poterit, quare Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 4. istiusmodi peccatoris justificationem docet, ipsi contritioni, sine Sacramenti Pænitentiæ voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Non est autem necesse, ut istiusmodi votum, seu Sacramenti Pænitentiæ suscipiendi propositum formale, & explicitum sit, sed sufficit virtuale & implicitum, quod continetur in recte disposita voluntate hominis satagentis id omne præstare ac perficere, quæ ex Dei institutione ad suam justificationem, atque salutem necessaria sunt.

Quæres 8vo: In Sacramento Pœnitentiæ quæ ergo sufficit Contritio?

Resp: In Sacramento Pænitentiæ sufficit Contritio imper-

imperfecta, quæ *attritio* dicitur. Cum enim non requiratur Contritio perfecta, quia hæc etiam extra Sacramentum justificat, consequens omnino est, ut sufficiat Contritio imperfecta. Et ita docet Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 4. his verbis: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, declarat,* (S. Synodus) *donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Quæres quo: Qualis debet esse istiusmodi attritio ut in Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem peccatoris sufficiat?

Resp: Attritio communiter concipitur ex metu ac timore gehennæ, ceterarumque pænarum, quibus Deus peccata punire consvevit. Est autem istiusmodi timor quadruplex. *1mo*: *servilis*, quando quis peccatum fugit, quia more servorum pænam peccato præparatam reveretur. *2do*: *serviliter servilis*, cum quis abstinet quidem exterius à peccato, quia pænam metuit, ita tamen est affectus, ut si abesset pæna, illud admitteret. *3tio*: *simpliciter servilis*, cum quis abstinet à peccato, quia pænam inducit, adhuc tamen illud non admitteret, etsi pæna deesset. *4to*: timor *filialis*, quando quis peccatum fugit, non quia pænam inducit, sed quia Deum ter optimum ac summe amabilem offendit. Et iste timor *filialis* vel est *initialis*, quando peccatum cavetur primario, quia Deum offendit, secundario, quia pænam inducit, vel *perfectus* quando peccatum cavetur unice quia Deum ter optimum, ac summe amabilem offendit.

Attritio ergo oriri potest. *1mo*: ex timore *serviliter servili*, & talis timor, quoniam voluntatem affectumque ad peccatum non excludit, siquidem qui sic timet, paratus est peccare si pæna abesset, malus ac vitiosus est, ac proinde etiam attritio ex tali timore concepta, mala, ac vitiosa est. *2do*: oriri potest ex timore *simpliciter servili*, & talis timor, atque ex eo profluens attritio, quamvis bona sit, atque maxime utilis, quia á peccato retrahit, ad pænitentiam excitat, ad consequendam gratiam justificationis hominem disponit, attamen ut peccator in Sacramento Pænitentiæ reipsa justificetur, ipsa sola non sufficit, quia ut peccator justificetur, atque cum Deo reconcilietur,

tur, necesse est ut ad Deum ex toto corde convertatur. Porro qui ex solo timore servili conteritur, non censetur ad Deum ex toto corde converti, quemadmodum enim homo per peccatum avertitur à Deo, quia amore rei adhæret illicitæ, ita quoque convertitur ad Deum, quia cordis amore adhæret Deo. Qui vero ex solo servili timore conteritur, nihil amoris erga Deum in corde suo habet. Non potest itaque censeri vere ad Deum ex corde conversus. Proinde attritio ex solo servili timore concepta, & quæ nihil habet adjuncti benevolentiæ erga Deum amoris, ad justificationis gratiam in Sacramento Pænitentiæ consequendam insufficiens est. 3tio: ut ergo attritio in Sacramento pænitentiæ sufficiens sit, debet illa profluere ex timore *filiali* saltem *initiali*, ac propterea in Sacramento Pænitentiæ omnino necessarius est, saltem initialis, benevolentiæ Dei amor, ut non solum ex timore, sed etiam ex Dei amore homo de peccatis suis doleat, atque conteratur. Atque id manifeste constat ex Concilio Tridentino, quod Ses: 6. Cap: 6. exponens dispositiones quibus adulti ad justificationem consequendam præparantur, sic docet: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata, per odium, ac detestationem.* Ut ergo in Sacramento Pænitentiæ peccator justificetur, necesse est. 1mo: ut divinæ justitiæ timore concutiatur. 2do: considerando divinam misericordiam in spem erigatur, confidens Deum sibi propitium fore. 3tio: illum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. 4to: ac tandem ex hoc Dei amore ad odium, detestationemque suorum peccatorum moveatur. Et id conandum, atque totis viribus enitendum est unicuique sincere pænitenti, alias, ut inquit Pallavicinus in historia Concilii Trident: libro 8. Cap: 12. *si tota pœnitentia esset ex timore, sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantum, non propter Dei offensam, infructuosa esset.* Et certe sæpe in vita urget magnum, diligendi super omnia Deum, præceptum. Nullum autem est tempus quo magis tenetur homo suum erga Deum amorem ostendere, quam cum per Pænitentiam satagit cum eo reconciliari, & in gratiam redire. Tunc ergo ignitos amoris erga Deum affectus in se excitare debet, & postposito omnis pænæ timore, solam Dei

Dei offensam deplorare, ut ipsi remittantur peccata multa, quoniam dilexit multum, qui autem minus diligit, minus ei remittitur.)

Quæres nono: Actus contritionis quando à Pœnitente elici debeat?

Resp: Actus contritionis â Pænitente elici debet ad minus ante absolutionem Sacramentalem, quia Pænitens dolore de peccatis destitutus, nec est vere pænitens, neque ad Sacramentalem absolutionem rite dispositus, atque ideo tunc ipsa suo effectu frustratur. Quare curandum est & Sacerdoti, & ipsi Pænitenti, ut finita Confessione Contritio excitetur, atque ardentius renovetur, antequam absolutio Sacramentalis detur. Etsi necessarium non sit ut actualis dolor totam confessionem comitetur, quia aliquando vix fieri potest, ut qui totus ad peccatorum enarrationem, ad Confessarii interrogata, ad responsa iis facienda, intendit, contritionis interim actus eliciat. Satagendum tamen semper Pænitenti est, ut ante Confessionem, actum contritionis eliciat, & multa prece sincerum dolorem, et ardentem charitatem â Deo obtineat. Nemo siquidem confidere potest futurum, ut brevi illo temporis spatio, quod Confessionem inter & absolutionem defluit, quodque totum pene audiendis Confessarii monitis destinatum est, cor suum debite conterat, & congruum in se de peccatis excitet dolorem.

Non ergo sufficit contritio, quæ diu Confessionem præcessit, sed necesse est, ut contritionis actus Confessioni uniatur, non quidem physice, sed saltem moraliter. Unde qui elicito contritionis actu, mentem ad alia avertit, etsi Sacramenti suscipiendi voluntatem non abjecerit, curare tamen debet, ut saltem breviter in Confessionis fine, ante absolutionem, contritionis actum renovet.

Pariter non sufficit contritio, quæ nonnisi absolutionem Sacramentalem, licetsi mox atque illico, subsequitur. Quia absolutione Sacerdotali perficitur Sacramentum, & quia tunc pars illius essentialis, ac primaria Pænitentis dispositio, nempe contritio, defuit, irritum est Sacramentum.

Sed præterea necesse est, ut contritio quæ confessionem antecedit ad ipsam ordinetur, atque ex animo obtinendæ Sacramentalis absolutionis eliciatur. Quare qui elicuit Contritionem ex alia aliqua ratione, non ex animo Confitendi, si confiteatur nactus Confessarii opportunitatem.

tatem, actum Contritionis ad Pænitentiæ Sacramentum recipiendum ordinatum renovare, & elicere debet.

Quæres 11mo: Utrum ad venialium etiam peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam remiſsionem, contritio omnino neceſsaria sit?

Resp: Est omnino neceſsaria, quia etiam venialia peccata à Deo non remittuntur nisi sincerus de iis concipiatur dolor, atque eorum detestatio. Quare qui sola etiam venialia peccata confitetur, ſed voluntarie atque culpabiliter sine ullo cordis dolore, sine ullo emendationis proposito, mortaliter peccat, quia Sacramentum pænitentiæ irritum facit, quod ſubsistere nequit sine vero Pænitentis de commiſsis peccatis dolore. Qui ergo sola confitetur venialia, enixe curare debet, ut quantum potest, de ipsis ex corde doleat. Pro majori autem tutioritate, addi solet aliquod præteritæ vitæ peccatum, ſed hoc fieri debet cum doloris, atque compunctionis ſensu, sicca siquidem illa peccati impera ditio, nihil omnino præstaret. Sed etiam huic, venialibus elicitæ contritioni, deſuper addi debet propositum, deinceps evitandi singula non collective quidem, quia humana fragilitas non fert, ut ab omni etiam veniali peccato homo liber sit, ſed distributive, majori ſemper studio invigilando ad eorum diminutionem. Instanter ergo monendi ſunt à Confeſsario ii pænitentes qui ſæpius sola venialia confitentur, ut nusquam ad confeſsionem accedant, quin prius Contritionis donum fervida oratione â Deo deprecati fuerint, deposito etiam pro viribus affectu ad ea, quæ frequentioris lapsus sibi occasio eſse poterant, iisque omnino renuntiatis.

Quæres 12mo: Quid faciendum sit ei, qui sine ſufficienti contritione peccata ſua confeſsus est.

Resp: Qui mortalia peccata confeſsus est sine ſufficienti contritione, si eundem habere poſsit Confeſsarium, cui peccata ſua confeſsus fuerat, & is eorum memoriam teneat, non est neceſse ut illam Confeſsionem repetat, quia integre ſupponitur facta fuiſse, ſed ei declarandus tantummodo est defectus Contritionis, illaque cum maxima cordis compunctione elicita, absolutio à Sacerdote expostulanda. Quod si idem Confeſsarius haberi nequeat, aut quamvis idem habeatur, nullam jam habeat memoriam depositorum apud se peccatorum, tunc Confeſsio repetenda est, & cum acri doloris sensu absolutio obtinenda. Qui vero sola venialia sine ſufficienti contritione confeſsus fuerat, non quidem venialia hæc iterum confi-

teri

teri debet, quia venialia peccata non ſunt neceſsario confitenda, ſed si illam Confeſsionem scienter & culpabiliter sine ſufficienti contritione fecerit, istiusmodi sacrilegium confiteri omnino debet, quia grande peccatum commisit, scienter, ac culpabiliter irritum reddens Pænitentiæ Sacramentum. Si vero id inculpabiliter acciderat, quia nimirum bona fide crediderat se eſse contritum, cum vere contritus non eſset, a peccato sacrilegii equidem immunis est, ſed ex tali Confeſsione nullum percipit fructum, hanc tamen jacturam alia Confeſsione cum congrua contritione peragenda reparare potest.

Quæres 23tio Quibus signis dignoscere poſsit Confeſsarius Pœnitentis sui contritionem?

Resp: Triplex est claſsis eorum, qui ad Confeſsionem accedunt. *1mo*: Enim ſunt illi qui Deum timent, & pie vivunt, quod si pro humana fragilitate, in aliqua prolabuntur, statim culpam ſuam amare deflent. Et horum ipsa vivendi ratio, ſufficiens eſse solet veræ contritionis argumentum. *2do*: Sunt alii qui de salute ſua nihil ſunt solliciti, vix quidquam boni, multum vero mali data quavis occasione perpetrant. Et his non ſufficit aliquod contritionis desiderium, aut pia aliqua ad eam excitandam oratio, consideratioque, neque illico eos vere contritos eſse arbitrabitur Confeſsarius, quia humiliter peccata ſua confitentur, impositam sibi pænitentiam, quamvis difficilem, prompte acceptant, ſæpe namque qui hæc, & multo plura fecerant, vitiis ſuis adhæserunt, nec ab iis sese retraxerunt, quod quam frequentiſsime iis maxime contingit, qui veteres inimicitias gerunt, in proxima peccandi occasione versantur, pravæ consvetudinis nodo irretiti ſunt, illi enim etsi per aliquod tempus, Miſsionis nimirum, aut Recollectionum intervallum, angelice vivant, mira deinceps facilitate in pristina proruunt peccata. Hi ergo & serio & diu probandi ſunt, ut certo moraliter Confeſsarius judicare poſsit, eos vere eſse contritos. Namque ut inquit Apostolus Paulus: *Tristitia quæ ex Deo est, pænitentiam in salutem stabilem operatur. 3tio:* Sunt tandem pænitentes omnino tepidi, nec totaliter mali, ſed neque boni, & iis serio ponderandum est istud divinum effatum: *Utinam frigidus eſses aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*, ex quo apparet quam periculosus sit tepidorum status, proinde & graviſsime à Confeſsario admonendi ſunt, justo terrore concutiendi, ne ſua culpabili insensibilitate, impænitentes

tes effecti, omnia salutis remedia irrita atque inania efficiant. Jlli ergo ex fructibus bonis recognosci, & dijudicari debent, eorum dolor, contritio, ac vera conversio, ex pietatis, ac fervoris operibus æstimanda est.

Quæres 24to: Quibus mediis, uti debeat Confeſsarius ut in suo Pœnitente veram excitet contritionem?

Resp: Satagere debet Confeſsarius 1. ut Pænitenti ſuo pro ratione status, & conditionis illius, proponat motiva, maxime timoris & amoris Dei, quibus animus ejus concutiatur, & cor durum conteratur. 2. Iis qui diu in peccatis perdurarunt, præscribet aliquos pios contritionis, detestationis suorum peccatorum actus, timoris, spei, amorisque erga Deum affectus, breves preces orationesque, quibus efflagitent à Deo cor contritum atque humiliatum, concedet propterea ipsis tempus opportunum, ut in iis se exerceant, iis eliciendis aſsvescant, antequam absolvantur. 3. Nunquam Pænitentem absolvat, quin prius cum ipso breves, sed fervidos eliciat actus contritionis, detestationis peccatorum, ac firmi propositi illa amplius non perpetrandi.

ARTICULUS 2dus

De Confeſsione.

Quæres 1mo: Quid sit Confeſsio?

Resp: Est accusatio peccatorum, à pænitente post Baptisma commiſsorum, facta Sacerdoti, ad illorum absolutionem, ab eo obtinendam. Est itaque Confeſsio accusatio peccatorum post Baptisma commiſsorum, quia peccata ante Baptismum commiſsa, per illud ipsum regenerationis Sacramentum delentur, & Sacramento Pænitentiæ non ſubsunt, nec proinde confiteri illa neceſse est. Non alio autem Confeſsio fieri potest nisi Sacerdoti, & quidem non cuilibet, ſed qui potestatem habet non solum Ordinis, sed & jurisdictionis absolvendi à peccatis, Neque alio fine hæc peccatorum accusatio fieri debet, nisi ut absolutio Sacramentalis ab iis obtineatur.

Confeſsio hæc dicitur, *secreta & auricularis*, quia non palam, ſed secreto, & ad aures Sacerdotis fieri solet.

Quæres 2do: Hæc peccatorum Confeſsio estne præcepta?

Resp: Confeſsio peccatorum, quæ post Baptisma commiſsa

misſa ſunt, præcepta est tum jure divino, tum jure Ecclesiastico. Et quidem 1mo: Jure divino, quando enim Christus Joan: Cap: 20. dedit Apostolis ſuis potestatem remittendi, ac retinendi peccata, eo ipso etiam eorum præcepit confeſsionem, neque enim remitti aut retineri poſsunt, nisi prius ipsa Sacerdoti innotescant, innotescere autem nequeunt nisi confiteantur. Unde Concilium Trident: Seſs: 14. Cap: 5. ait: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia ſemper intellexit, institutam etiam eſse â Domino integram peccatorum confeſsionem, & omnibus post baptismum lapsis, jure divino neceſsariam existere, quia Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina referantur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui pro potestate Clavium remiſsionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.* 2do: Jure quoque Ecclesiastico præcepta est Confeſsio, sic enim statuit Concilium Lateran: ſub Innocentio 3. celebratum: *Omnis utriusque ſexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* Quod etiam Concilium Trident: Seſs: 14. Cap: 5. collaudavit, atque morem salutarem confitendi sacro, ac maxime acceptabili Quadragesimæ tempore, sacra illa Synodus amplexa est, & merito retinendum eſse constituit.

Quæres 3tio: Qui, & quando divino præcepto ad faciendam Confeſsionem obligantur?

Resp: 1mo. Divino præcepto ad faciendam Confessionem tenentur ii omnes, qui post Baptismum mortaliter deliquerunt, quia sola mortalia peccata post Baptismum commiſsa, ſunt materia Confeſsionis neceſsaria. Obligat autem hoc præceptum, 1, Per se in quovis probabili mortis periculo, videlicet in gravi infirmitate, periculosa navigatione, instante aliquo opere, unde mors evenire solet. Hic & nunc etiam confiteri tenetur, cum quis gravi onustus peccato vereri debet, ne deinceps confiteri nequeat, puta quia illi imminet periculum amentiæ, vel captivitatis ab infidelibus. Sæpe etiam in vita, & extra mortis periculum, urget divinum Confeſsionis peragendæ præceptum. Cum enim Christus Confeſsionem præceperit, nec illius tempus præfixerit, noluit illam diu, aut ad extremum usque vitæ terminum protrahi, quare cum Con-

cilium

cilium Lateranense constituerit, ut quilibet fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, saltem semel in anno confiteatur, videtur tempus determinafse, quo divinum Confefsionis præceptum adimpleri debeat. 2. Obligat etiam per accidens quando nimirum aliud præceptum rite adimpleri nequit, nisi præmifsa confefsione, ut cum sacra Eucharistia est recipienda, & quis peccato mortali se onustum efse fentit, aut sacra quædam functio imminet peragenda, quæ statum gratiæ requirit, vel demum quando Confefsio est medium necefsarium ad præcavendum aliquem gravem lapsum, fuperandam imminentem tentationem.

Quæres 4to: Sed utrum post admifsum mortale peccatum, jure divino statim homo teneatur confiteri?

Resp: Multi ex Theologis affirmativam tenent fententiam, & illorum opinio, utpote saluti animarum tutior tenenda est. Si enim post admifsum peccatum contritionem diu differre non licet, pari de causa non licet Confefsionem procrastinare, ob innumera, quæ hanc dilationem fequuntur, pericula, plures siquidem sine Confefsione pereunt, qui eam de die in diem differunt. Attamen non funt vexandi, qui aliquanto tempore huic defuerunt officio, neque novi peccati rei censeri debent, quia hic ignorantia, ac bona fides adefse potest.

2do: Ex præcepto autem Ecclesiastico ad faciendam Confefsionem obligantur omnes utriusque sexus, qui ad annos discretionis pervenerunt, feu qui malum â bono morali discernere valent, quare si malitia ætatem fuperet, ut sæpe in aliquibus vividioris ingenii contingere solet, si graviter peccent, etiamsi ætas competens desit, confiteri tenentur. Imo si dubium sit, an puer qui graviter deliquit, pleno polleat rationis usu, confiteri debet, quia id tutius est. Sed & qui sola venialia peccata habet, probabilius est, eum ad annuam Confefsionem teneri. Hæc vero Confefsio præcepto Ecclesiæ injuncta, saltem semel in anno fieri debet, & quidem juxta universalem nostrarum Regionum consvetudinem, & antiquifsimum morem, eo tempore peragi debet, quando Communio Paschalis fuscipi debet.

Quæres 5to: Quæ excusant ab annua facienda confefsione?

Resp: Excusat impofsibilitas physica, ac moralis, nec enim Deus, vel Ecclesia impofsibilia jubent. Unde si grave alicui ex Confefsione immineret damnum, ab extrinseco pro-

proveniens Confeſsionem differre poſset. Attamen timor amittendæ apud Confeſsarium bonæ famæ, à Confeſsione non eximit. Qui non potest confiteri voce, veluti mutus, confiteri debet, vel per nutus, & signa, vel per scripturam, si scribere sciat. Hic enim confitendi modus, nullum grave infert incommodum. Præceptum autem confitendi obligat, cum sine gravi damno quod per accidens ex Confeſsione evenire potest, id fieri valet.

Cum vero quis neque per nutus, & signa, neque per scripturam confiteri potest, an per interpretem confiteri teneatur? controvertunt Theologi. Multi docent neminem teneri ad confitendum per interpretem, quia Christus non obligavit ad declaranda peccata, nisi soli Sacerdoti, ut per eum ab ipsis absolvamur. Et Concilium Trident: Seſs: 14. Cap: 5. docet Christum non præcepiſse ut publice, & coram aliis peccata nostra declaremus, ſed ſecreto tantum *apud solum Sacerdotem:* Concilium quoque Lateranense 4. hoc tantummodo mandavit ut omnia peccata Sacerdoti declaremus. Alii ex adverso docent etiam per interpretem confiteri oportere, maxime in articulo mortis, quia revelatio ſuorum peccatorum uni aut alteri sigillo graviter obstrictis, non est adeo grave incommodum, ut propterea Confeſsio prætermitti debeat. Atque huic opinioni favet S. Thomas, qui in 4. dist: 17. ubi de præsenti casu diſserens, ait; *Quando non poſsumus uno modo, debemus secundum quod poſsumus confiteri:* Unde in praxi hæc ſunt ſequenda *1mo.* Qui aliter confiteri non potest nisi per interpretem, & ideo Confeſsionem annuam ſuo tempore facere prætermittit non est severe arguendus, *2do:* Si per interpretem significaret se vehementer de ſuis peccatis dolere, ſeque sacram Eucharistiam desiderare, ac ſuscipere velle, aut constet ipsum satis Christiane vivere, post exhibita doloris signa, absolutio Sacramentalis, & sacra communio ei dari poterit. *3tio:* Si in extremis positus sit, quia tunc divinum, omnia mortalia confitendi peccata præceptum potiſsimum urget, hortari debet ut ea confiteatur per interpretem, modo is notæ foret probitatis, quod si ad id invictam ostenderet repugnantiam, & instet periculum mortis, postquam exhibuerit sinceræ pænitentiæ signa, absolvi poterit.

Quæres 4to: Qualis debet eſse Confeſsio, ut ipsa legitima ac salutaris sit?

Resp: Quatuor ſunt conditiones ad legitimam, confeſsionem requisitæ, ut ipsa recte instituatur, atque pe-

nitenti salutaris sit, nempe debet eſse *integra, simplex, humilis, atque parere parata.* Et quidem *1mo:* debet eſse *simplex*, id est: non artificiose composita, vel ſuperfluis contexta. Modus itaque confitendi debet eſse accuratus, ſed brevis, necesſariis contentus, inutilibus carens. *2do*: Debet eſse humilis, proindeque vera ac sincera, qualis eſse debet nocentis, veniamque deprecantis accusatio, ideoque cum intimo propriæ indignitatis sensu facta. Contra hanc legem agunt, qui gravia ſua peccata ad ignotum deferunt Confeſsarium, & leviora ad ordinarium, & id melius est, quam reticendo peccata Sacrilegium committere, dummodo prius gravia, ignoto confiteantur, & ab iis absolvantur. Contra eandem legem & ii delinqunt, qui ad excusanda ſua peccata, ipsa in alium refundunt exg. in Conjugem, fratrem, famulos, domesticosque. *3tio*: Debet eſse *integra*, scilicet: ut omnia mortalia peccata declarentur, illorum ſpecies, numerus, atque circumstantiæ. *4to: Parere parata*, ut scilicet pænitens cum Sacerdote non disputet, eique non refragetur, ſed in omnibus obtemperet.

Quæres 5to: An graviter peccet pœnitens, qui in Confeſsione mentitur?

Resp: Mandacium à pænitente in Confeſsione commiſsum quandoque mortale est, & tunc Sacramentum Pænitentiæ irritat, quandoque nonnisi veniale est, & tunc non obest valori hujus Sacramenti. Unde *1mo*: qui dicit se commisiſse veniale, quod non commisit, aut negat illud se commisiſse, quod reipsa commiserat, peccat venialiter, quia nonnisi in re levi, & in materia non omnino ad Sacramentum Pænitentiæ necesſaria, ſuum defraudat Confeſsarium, ac proinde istiusmodi mendacium, non irritat Sacramentum pænitentiæ. Attamen si pænitens constanter, levibus etiam, exg. mendaciis aſsvetus, mendaciter in Confeſsione neget, se iterum mentitum fuiſse, ne à Communione ſumenda prohibeatur, atque sic fraudulenter Communionem ſurripiat semel atque iterum, id ſummi est periculi, ac deceptionis. Idem atque eadem de causa dicendum est de eo, qui negat se reum eſse peccati mortalis, quia ipsum jam confeſsus est. Potest enim peccatum jam confeſsum causa eſse, cur in præsenti Confeſsione denegetur, aut alio modo impendatur abſolutio, ut si injungenda sit restitutio, vel præscribenda contra relapsus, proximasque occasiones remedia. Atque generatim timendum est, ne pænitens qui in ipsa Confeſsione

ne mentitur, & deliberate novo peccato Deum offendit, debita caret contritione, ac proinde non sit rite ad Sacramentalem absolutionem recipiendam dispositus, quare istiusmodi Confessiones, veluti dubiæ iterandæ esse videntur, nisi hanc in Confessione admissam culpam, aut minuat, aut etiam totaliter tollat intempestiva Confessarii interrogatio, ac animi in pænitente perturbatio.

2do: Qui in Confessione negat se commisisse mortale peccatum, quod reipsa perpetravit, aut accusat se peccati mortalis esse reum, quod non commisit, graviter peccat, quia in materia gravi, ac Confessioni necessaria, Confessarium decipit, & judicium illius pervertit, ac propterea talis Confessio nulla, atque irrita est. Idem dicendum est de iis, qui in designando numero mortalium peccatorum excedunt, vel ut certa accusant peccata, quæ dubia sunt, aut ut dubia, quæ certo sibi constant, quia & hi Confessarium in re gravi fallunt. Sæpe tamen per bonam fidem excusantur saltem à gravi peccato, tum simplices homines, qui pene ideo fallunt, ne fallant, quique tutiorem sibi videntur eligere partem, certa enuntiando, quæ nonnisi dubia sunt, & numerum eorum adaugendo, tum etiam scrupulosi, qui peccata vix dubia, pro indubitatis habere solent.

3tio: Qui inter confitendum mentitur, in rebus ad Confessionem non pertinentibus, pro ratione materiæ graviter vel leviter peccat, gravius tamen, quam peccasset, extra Sacramentum idem mendacium committendo, propter irrogatam eidem Sacramento injuriam. Unde qui sua gravi detractione, in sacramentali Confessione grave committunt peccatum; non solum priorum criminum absolutionem non obtinent, sed & novo coinquinantur scelere.

Quæres 6to: Utrum graviter peccet, qui in Confessione generali miscet peccata jam confessa, cum nondum confessis?

Resp: 1mo: Pænitens generalem Confessionem peracturus, curare debet, ut peccata post ultimo acceptam absolutionem commissa, declaret, quia id necesse est, ut præsens illius status à Confessario intelligatur. Qui tamen novam omnium peccatorum confessionem instituit, quia præteritas omnes, suo, vel novi Confessarii judicio, habet pro sacrilegis, omnia peccata seu confessa, seu non confessa uno contextu aperire debet, quia quidquid hactenus deliquit, habetur pro non confesso, & ut tale, una

cum ipsis sacrilegis Confeſsionibus, satisfactione congrua expiari debet.

2do: Qui autem in confeſsione generali, quasi animo pietatis, & quasi ad maiorem cautelam facta, dolose peccata necdum confeſsa, miscet cum peccatis jam confeſsis, ita ut jam omnia confeſsa fuiſse à Confeſsario judicentur, graviter peccat, quia in re gravi & Confeſsioni omnino neceſsaria, Sacerdotem decipit, qui citius absolvit eum, quem jam rite absolutum eſse credit, & leviorem ei decernit pænitentiam. Quare is confeſsionem ſuam generalem inchoare debet à peccatis, post ultimo acceptam absolutionem, commiſsis, & ea quæ antea oblitus erat, tamquam non confeſsa, declarare,

Quæres 7mo: An qui scienter peccatum aliquod grave in confeſsione reticuit, confeſsiones omnes postea factas iterare teneatur?

Resp: Talis iterare debet primam illam confeſsionem, in qua peccatum celavit, addito sacrilegio quod commiserat, iterare quoque debet illas omnes Confeſsiones, quas exinde fecit, habendo memoriam prius in confeſsione ſuppreſsi peccati, quia hæ omnes sacrilegæ fuerunt. Quod si deinceps, & ſuppreſsi in Confeſsione peccati, & commiſsi sacrilegii inculpate oblitus sit, confeſsiones exinde bona fide factas repetere non tenetur, quia formaliter integræ fuerunt, & cum debitis dispositionibus peractæ ſupponuntur. Hinc non ſemper tenetur ſubsequas repetere Confeſsiones, qui prævias iterare debet.

Quæres 8vo: Quid faciendum pœnitenti, qui advertit Sacerdotem tempore ſuæ Confeſsionis dormire?

Resp: Si id advertat confitendo, debet eum è somno suscitare, & postrema repetere, ut intelligat, num illa audierit, quæ confeſsus est. Si id advertat finita jam Confeſsione, totam debet repetere. Pariter si pænitens nesciat quæ Confeſsarius audierat, & quæ non audierat, omnia iterato confiteri debet. Et id etiam à ſuo pœnitente exigere debet Confeſsarius, postquam advertit, se intra audiendum fuiſse aliquo tempore somno oppreſsum, ne inauditum, & non plene cognitum, forte etiam indignum, absolvat.

Quæres 9no: An Confeſsio frequens eſse debeat?

Resp: Generaliter loquendo frequens confeſsio laudabilis est, qui enim frequenter & pie confitentur, vitia fugiunt, nec raro ab ipsa ſpecie mali abhorrent. Non tamen temere, & paſsim omnibus ſvadenda est, frequens

Con-

Confefsio, potest enim periculosa efse tum iis, qui scrupulis constringuntur, tum illis mulierculis, quæ in frequentibus confefsionibus nihil aliud quærunt, quam vel vanum pietatis nomen, vel loquacitatis fuæ satisfactionem. Utiliter vero iis frequens Confefsio svaderi potest, fed & præcipi, qui necdum satis à peccato, & peccati occasione fejuncti funt. Quia licet istiusmodi homines adhuc digni non sint sacramentali absolutione, plurimum tamen ex iterata confefsione capere pofsunt utilitatis. Satagendum proinde Confefsario est, ut quos à peccatis solvere nequit, ad se, post duas circiter hebdomadas, revocet, consiliis instruat, exhortationibus roboret, piis monitis excitet, donec idonee probatos, absolvat.

Quæres 2omo: Quid faciendum sit pænitenti, ut integram peragat fuam confefsionem?

Resp: Ad integram, & debito modo peragendam Confefsionem, imprimis instituendum est diligens conscientiæ examen, quale exigere solet res magni momenti: quare ut docet Catechismus Trident: parte 2. qui nimis remifse conscientiam fuam scrutantur, peccata fua non recordari quidem voluifse merito videri pofsunt, cum finem nolle censeatur, qui non vult media ad finem conducentia usurpare. Id autem si factum fuerit, confefsionem iterare omnino oportebit, aut saltem defectum illius apud eundem Confefsarium reparare. Non idem tamen, neque æquale in omnibus debet efse examen. Minus enim fufficit iis, qui extra peccati occasiones versantur, qui crebro peccata confitentur, qui cum sint timorati, etiam leves noxas memoria facile tenent, neque Confefsionem differunt; si præter morem gravius quidpiam commiserint. Aliud est de iis, qui in obvia quæque peccata inconsiderate proruunt. Hi ergo diligentiori, & longiori indigent conscientiæ examine.

Hinc colligitur *1mo*: eum qui ex gravi negligentia, grave aliquod peccatum in Confefsione omisit, mortaliter peccare, eique iterandam efse Confefsionem. Debet autem Confefsarius fuos pænitentes, maxime rudes interrogationibus industriose adjuvare, ut fua peccata sibi in memoriam revocent, aliquando etiam postquam eos breviter edocuerit modum, fuam conscientiam examinandi, illis tempus opportunum concedat, atque injungat, ut paratiores ad se, pro facienda Confefsione revertantur. Verum si instet periculum mortis, postquam Pænitentis conscientiam, pro pofse examinaverit, & confefsionem illius exceperit,

absol-

absolvat, magis sollicitus, ut debite conteratur & compungatur, quam ut ad amussim Conscientiam ipsius exploret.

2do: Iis qui examen Conscientiæ, ante Confessionem parant, decurrendas esse varias species, classesque peccatorum. Unde præter capitalia peccata, singillatim percurrere debent Dei, & Ecclesiæ mandata, negotia, quæ tractarunt, loca, societates, in quibus, vel periculose versati sunt, occasiones ad peccata allicientes, in quibus extiterunt, generalia status sui munia, occupationes, & alia. Maxime autem divinum lumen implorare debent, ut conscientiæ suæ latebras detegere possint.

Quæres 11mo; Quotuplex hæc est Confessionis integritas?

Resp: Duplex est: *materialis & formalis.* Integritas *materialis*, est adæquata, atque omnimoda peccatorum omnium, quæ pænitens commiserat, accusatio. Integritas *formalis*, est accusatio illorum dumtaxat peccatorum, quæ post diligens conscientiæ examen, in memoriam pænitenti venerant.

Porro ut legitima, & fructuosa sit Confessio, non requiritur integritas *materialis*, quia hæc aliquando physice, aut moraliter impossibilis est homini, cujus peccata multiplicata sunt super capillos capitis ipsius. Sufficit ergo integritas *formalis*, & id docet Concilium Trident: Sess: 14. Cap: 5. ubi sic decernit: *Oportet à Pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.*

Quæres 12mo: Quæ requiruntur ad formalem confessionis integritatem?

Resp: Ad formalem confessionis integritatem requiruntur: *1mo:* ut exprimatur peccatorum numerus, species, & circumstantiæ speciem moraliter, & mortaliter mutantes. Nisi enim hæc accurate in confessione exprimantur, confessarius rectum de interiori statu sui Pænitentis, judicium, ferre nequit. Unde Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 5. statuit: *etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutent, quod sine illis peccata ipsa nec à pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.* Sed in confessione exprimendæ tantummodo sunt circumstantiæ. *1mo.* speciem peccati *moraliter mutantes*: quæ enim speciem peccati

solum

ſolum *phyſice* mutant, exprimendæ non ſunt. Unde ad confeſsionem non pertinet, quod quis hominem dextra, vel ſinistra vulneraverit, ſclopeto, vel gladio occiderit, niſi eum per hoc duriori morte affecerit. *2do*: ſpeciem peccati *mortaliter mutantes*. Si enim circumstantiæ venialem ſolum actui peccaminoſo ſuperaddant malitiam, poterant, ſicut alia venialia peccata in confeſsione prætermitti. Pariter ſi circumstantia etiam mortaliter ſpeciem peccati immutans, inculpabiliter, atque invincibiliter ignota fuit, aut nonniſi leviter ignorata, non erit neceſsario in confeſsione exprimenda, ut ſi quis graviter hominem vulneraverit, neſciens eum Clericum eſſe. Exinde ſequentia colliguntur. *1mo*: illos qui antea ſolas peccatorum ſpecies confeſsi ſunt, dicendo exg. *aliquoties detraxi*, *pejeravi*, teneri ad iterandas, post majus examen, confeſsiones, quotquot hoc modo apud imperitos Sacerdotes fecerunt. Si tamen ex accurata ultimi anni confeſsione, præcedentium defectus intelligi poſsint, quia uniformis fuerat in Pænitente peccandi ratio, non eſset opus iſta repetitione, ſed tunc ſubdenda forent hæc paucula: *Accuſo omnia & ſingula quæ in céteris retro Confeſsionibus non expreſsi.* Quod ſi peccata quædam, ab iis quæ in poſtrema confeſsione depoſuit, ſpecie distincta ante commiſiſſet, hæc denuo declarare teneretur, unde dandum erit huic congruum tempus, quo ſuam diſcutiat conſcientiam. *2do:* qui post diligens examen certo comperire non potest, quot præciſe numero admiſerit peccata, ille curare debet ut numerum, vero propiorem exprimat, hæc verba addendo, *plus*, *minusve*: neque tamen formula hac utendum est, quaſi divinando, ſed quando rebus coram Deo penſatis, numerus expreſsus veriſimilior apparet. Qui vero nihil fixi detegere potest, id ſaltem agere debet, ut in qualibet peccati ſpecie aperiat ſuum vivendi morem, occaſiones, propenſiones ad illud peccatum, ſpatium temporis, quo in illo perduraverit, in eo quamdiu ſibi complacuerit, ut omnibus penſatis intelligat Confeſsarius, quoties circiter pænitens lapſus fuerat, in menſe, in hebdomada, in die, atque ex hoc aliquatenus deveniat numerum commiſsi ab illo peccati. *3tio:* quare, qui illa adjectione *plus*, *minusve*, post diligens examen uſi ſunt, facta ſemel confeſsione non tenentur majorem, quem poſtea certo detegunt, exprimere numerum, ſi is eum, quem jam in confeſsione expreſſerant, notabiliter non excedat. Unde qui confeſsus eſt ſe decies, plus vel minus inebriatum fuiſſe,

se, & postea deprehendit id duodecies contigiſse, non tenetur hunc excedentem numerum iterum declarare. Secus si id factum fuiſset quindecies, quia in his formulis, *circiter*, *plus*, *minusve*, non comprehenditur exceſsus vel defectus quicunque, etiam notabilis, ſed modicus, major tamen vel minor proportionate ad numerum jam in confeſsione expreſsum. Porro quemadmodum unum ad quinque levem exceſsum facit, sic duo vel tria ad decem, tria vel quatuor ad viginti, à contrario vero quatuor vel quinque grandem faciunt exceſsum relative ad decem.

2do: Ad formalem Confeſsionis integritatem neceſse est, ut exprimantur etiam circumstantiæ peccatum in eadem ſpecie, notabiliter aggravantes. Enimvero circumstantiæ notabiliter aggravantes illæ ſunt, quæ ita moralem actionis malitiam in eadem ſpecie adaugent, ut unum peccatum pluribus æquivalens efficiant, ſeu ratione quantitatis, ut si quis aureos decem furatus sit, ſeu ratione durationis, ut si venereæ delectationi per plures horas indulserit, ſeu ratione intensionis, ut si mala omnia, ipsamque damnationem inimico ſuo quis exoptaverit. Porro circumstanstiæ istæ neceſsario in Confeſsione exprimi debent, quia etiam sine illarum notitia, confeſsarius nec de gravitate criminum recte judicare, nec pro illis pœnam, quam oportet Pænitentibus imponere potest. Certe: circumstantiæ notabiliter aggravantes ſæpe criminis gravitatem magis adaugent, quam circumstantiæ ſpeciem mutantes, majus enim est peccatum centum aureos furari in loco profano, quam unum in loco ſacro. Si ergo in confeſsione neceſsario exprimendæ ſunt circumstantiæ ſpeciem peccati immutantes, exprimi quoque debent circumstantiæ malitiam peccati in eadem ſpecie notabiliter aggravantes.

Hinc manifestum est, eum qui commiſsum à ſe confitetur incestum, exprimere debere consangvinitatis, aut affinitatis gradum, in adulterio addendum eſse, quod utraque pars matrimonii vinculo ligata fuerit, qui libidine ſe commaculavit exprimere debet, si est voto castitatis ligatus, qui detraxit adjicere debet, quod pluribus simul detraxerit. Varia hæc in confeſsione recensere oportet, quia peccatum notabiliter aggravant, aut etiam multiplicant. Verum tunc tantum aperiendæ ſunt in confeſsione circumstantiæ, sive ſpeciem peccati mutantes, sive aggravantes, quando confeſsario ignotæ ſunt. Unde si Sacerdos, confeſsario ſuo bene notus, confiteatur, ſe contra Castitatem deli-

deliquiſse, non tenetur status ſui obligationem exprimere, utpote ſatis compertam.

Justum quoque ac æquum eſse videtur, ut pænitens in Confeſsione illas exprimat circumstantias, quæ peccatum imminuunt, maxime si ex mortali faciant veniale, non ut peccata ſua excuset, ſed ut statum conscientiæ ſuæ confeſſario candide manifestet.

Quœres 23tio: Quæ prœterea exprimenda ſunt in Confeſsione, ut ipsa sit formaliter integra?

Resp: Neceſse est præterea exprimere. 1mo: actum peccati exteriorem, & effectum ex eo ſecutum. Quia sine actus exterioris confeſsione, non ſatis innotescit actus interioris malitia, intensio, efficacia, extensio, nec proinde tota ipsius ſciri potest gravitas. Nisi etiam declaretur peccati effectus, ſciri nequit an aliquam pænitens contraxerit, obligationem exg. restitutionis, unde qui venenum propinavit, an inde effectus aliquis ſecutus sit, declarare debet.

2do: Dubia quoque peccata confiteri neceſse est, & quidem ut dubia aperiri debent, sive pænitens dubitet de ſubstantia actus, videlicet an hoc peccatum commiserit, sive etiam dubitet de qualitate actus, nimirum utrum commiſsum à ſe peccatum mortale sit. Ad hoc autem requiritur verum & prudens dubium prout opponitur inani ſcrupulo. Qui autem confeſsus est mortale aliquod peccatum ut dubium, si illud ſubinde detegat eſse certum, aut multo probabilius, iterum illud ut tale confiteri debet. Quia peccatum confiteri neceſse est, prout est in conscientia pænitentis. Porro tunc jam illud peccatum est in conscientia Pænitentis ut certum, vel ut multo probabilius, & non est confeſsum, nisi ut dubium. Debet ergo iterum ut certum, aut veluti multo probabilius confiteri. Et vero certitudo peccati, certam ei addit gravitatem, quæ notabiliter immutat judicium Confeſsarii, cum dubia delicta minoribus, quam certa, ſubjaceant pænis. Quodsi etiam pænitens confiteatur peccatum, cujus ipse, vel Confeſsarius tunc nesciebat gravitatem, quamvis postea cognoverit illud eſse mortale, non est neceſse ut illud denuo confiteatur, cum jam illud rite confeſsus sit.

Quœres 24to: Utrum ſcrupulosi teneantur dubia etiam peccata confiteri?

Resp: Ii ſcrupulosi, qui vere timorati ſunt, & à peccatis ſedulo abstinent, non tenentur dubia quæque confiteri peccata, quia minus est malum, quod forte ſcrupulosus

sus quædam dubia confiteri omittat peccata, quam ut perpetua vexetur anxietate, seipsum, & Confessarium jugiter defatiget, capitis periculum, & quandoque etiam desperationis subeat. Unde id genus scrupulosis, qui sæpius confessionem frequentant, modico opus est examine, & declaratione brevi suorum peccatorum, iique non raro, etiam non auditi celebrare, vel ad Eucharistiam accedere jubendi sunt. Vix unquam permittat Confessarius scrupuloso confessiones generales, ne scrupulis infinitam præbeat materiam. In ordinariis autem Confessionibus præscribat aliquando modum, vg. ut Pænitens vel de certis solum peccatis confiteatur, vel respondeat ad nonnulla tantum interrogata, ne inter examinandum nimis suam conscientiam, pacem animi vel amittat totam, vel magna ex parte. Non permittat abstinere à frequentandis Sacramentis, & vix unquam sinat scrupulosum de blasphemiis in Deum, de desperatione, murmuratione contra divinam providentiam, cogitationibus inhonestis, suspicionis, confiteri. Solent enim hæc omnia scrupuloso venire in mentem, sed vix unquam præbetur illis consensus.

Quod vero attinet illos scrupulosos qui nigro colore obducti sunt, ad peccati horrorem, indeque ad scelus perpetuo circuitu transvolant, ii quantum ad præterita, audiendi non sunt, donec adversus præsentia roborati, actualibus peccatis serio renuntiare inceperint.

Quæres 15to: Quæ excusant à Confessionis integritate?

Resp: 1mo: Excusant, oblivio inculpata, & invincibilis ignorantia. Namque impossibilia Deus non jubet. Porro impossibile est illa confiteri, quæ vel inculpate è memoria exciderunt, vel quæ invincibiliter ignorantur. Hinc Concilium Tridentinum definierat, ea solum peccata confitenda esse, quorum homo post diligens examen conscientiam habet, quæ vero vel inculpate oblitus est, vel quæ mala esse invincibiliter ignorat, illorum conscientiam non habet. Ea igitur confiteri nequit.

Sed ista oblivio debet esse *inculpata*, si quis enim defectu examinis idonei, aliquod mortale omiserit confiteri peccatum, nulla erit ipsius confessio, nisi forte hæc negligentia modica sit, ac proinde oblivio venialiter solum culpabilis, quod etsi absolute fieri possit, non est tamen facile præsumendum. Debet etiam illa ignorantia esse invincibilis, quæ enim vincibilis est, licet non sit crassa, nec â Sacrilegio, nec ab iteranda confessione excusat.

Ut

Ut autem judicetur an vincibilis hæc fuerit ignorantia, videndum, an pænitens culpa sua defuerit instructionibus sibi necessariis, an lectione saltem jacturam hanc resarcire potuerit, an confitendo sic fuerit affectus, ut peccatum quod tacuit, aperiret, si scivisset aperiendum esse, an paris, vel etiam graviora confessus fuerat. Ex his enim decidi poterit, utrum illa suppressio peccati refundi possit in invincibilem ignorantiam, an non. Verum ignorantia hæc invincibilis præsumi non debet in gravibus quibusdam peccatis, ut est *pollutio*, *mollities*. Qui enim hæc peccata in Confessione supprimunt, vel illis etiamnum adhærent, vel ab iis resipuerunt? Si *1mum:* quis hominem in gravi juris naturalis puncto cæcum, veniam à Deo promeruisse certo confidat, ut eum ab iterandis Confessionibus eximere audeat. Si *2dum:* ergo suspicabatur aliquid in sua actione esse mali. Jam vero qui in actione sua aliquid mali suspicatur, & illud ultra non inquirit, reus est. Ac propterea qui istiusmodi pollutionis, mollitiei ac similia peccata in Confessionibus supprimebant, dicentes se ignorasse ea esse peccata, audiendi non sunt, sed ad iterandas Confessiones cogendi. *2do:* excusat etiam ab integritate Confessionis actualis, vel imminens, seu ex parte Pænitentis, seu ex parte Confessarii impotentia. Hinc absolvi debet pænitens, licet necdum integre confessus. 1. cum vereri est, ne in amentiam vel phrænesim incidat: 2. cum quia mutus, surdus, balbusve, vel pene lingvæ imperitus, omnia adamussim confiteri non potest. His enim, cum id quod confiteri possunt, confessi fuerint, impertienda est absolutio, non in mortis tantum periculo, sed etiam quando urget Confessionis præceptum. *3tio:* cum in ipso confessionis tractu ingruit periculum mortis. *4to:* cum gravi laboranti infirmitate, candide fatetur superesse alia quæ confitenda sint, sed ultra ob defatigationem prosequi non posse. Neque tunc scrupulose differenda est absolutio, etsi in alterum diem æger supervivere posse videatur, ne mortuus reperiatur, qui audiendus sperabatur. *5to:* cum tempore pestis, instantis naufragii, prælii, non possunt integræ multorum confessiones excipi, tunc enim, si fieri potest, distinctim ab unoquoque peccati cujuspiam exigenda est confessio, & unusquisque seorsim absolvendus; vel si id fieri nequeat, et urgeat periculum, omnes simul & confessionem, & dolorem per exteriora signa, & pectoris tunsionem, exhibere debent, atque tunc præmissa prout poterit vivida, & brevi ad contritionem exhortatione, omnes

simul

simul ſub hac absolvantur forma: *Ego vos absolvo à censuris, & peccatis vestris ettc.*

Sed etiam ab integritate confeſsionis excusat impotentia, quæ imminet ex parte Confeſsarii. Unde necdum integre confeſsis impertienda est absolutio. *1mo:* cum pænitens simul & confeſsarius, qui unus præsto est, æque ad interitum vergunt, adeo: ut vereri sit, ne Sacerdos vocis usum amittat, priusquam pænitentem absolvat, si omnia peccata ſua ipse confiteatur. *2do:* cum Sacerdos pænitentem lue exg. infectum absque evidenti mortis periculo, diutius audire non potest, tunc enim auditis aliquibus, potest ipsum pacificare, & absolvere.

3tio: Excusat tandem ab integritate confeſsionis justa formido gravis damni, ſeu ſpiritualis, ſeu temporalis, inde proveniens, confeſsario, pænitenti, vel alii tertio. Quia positivæ leges cum tali ac tanto damno non obligant, & ubi duo concurrunt præcepta, quæ simul observari nequeunt, illud observandum est, quod est fortius. Porro charitatis præceptum fortius est præcepto integræ confessionis, & charitas jubet avertere grave damnum sive à nobis, sive à Pænitente, sive â quopiam tertio.

Hinc *1mo:* si confeſsario, diutius cum Pænitente acturo immineat grave periculum gravis morbi, mutilationis, perpetuæ captivitatis, poterit is pænitentem non integre confessum absolvere, si eum absolvi postulet justa causa, qualis est neceſsitas muniendi ſe gratia ſacramentali adversus molestiſsimam aliquam tentationem. *2do:* excusatur etiam ab integritate confeſsionis pænitens, si ex illa grave sibi malum, vel peccatum vereatur, veluti, ne Sacerdos confeſsionem ejus revelet, ipsum prodat, ne grave ipsius odium incurrat, & neceſsariis deinceps ad victum, ac vestitum, privetur, ne occasione confessionis ad turpia ſollicitetur, quia id aliis ſcit contigiſse. Pariter cum juste timet pænitens, ne præ ſumma ſua fragilitate novum carnalibus peccatis consensum præbeat, si diutius eorum examini immoretur, tunc enim his commemorandis levius insistendum est, tum à Pænitente, tum â Confeſsario, ne Sacramentum ad purganda peccata institutum, novi peccati occasio fiat. *3tio:* Excusat pariter áb integritate confessionis justus timor imminentis alicui tertio notabilis damni. Unde Sacerdos qui peccatum ſuum pandere nequit, nisi auditum in Confeſsione alterius, bene ſuo confeſsario noti, peccatum declaret, ſuum silentio præmere debet. Idem est de pænitente, qui si ſuum peccati complicem mani-

manifestet, prout ad proprii ſui ſceleris integram confeſsionem tenetur, gravis eidem foret detrimenti causa.

Porro: ut peccatum aliquod in Confeſsione reticeri poſsit, hæc concurrere debent. *1mo:* ut & grave sit malum quod timetur, & non fictitia, sed certa moraliter de causa timeatur. *2do:* ut desit confeſsarius alter, cui rem totam ſecure aperire liceat. *3tio:* ut confeſsio in aliud tempus commode differri non poſsit, puta quia Miſsa, vel communio sine gravi ſcandalo hic & nunc omitti nequeat, aut etiam quis mortalibus gravatus peccatis multo tempore sine Sacramentis in iis permanere deberet. *4to:* ſolum id reticeri potest peccatum, cujus confeſsio periculum habet. Unde qui justam habet exterioris peccati reticendi causam, actum interiorem, si tuto potest, aperire debet. Interim illi, qui justam causam habet reticendi aliquod in Confessione peccatum, ſollicite cavendum est, ne ad confessionem, ac multo minus ad Eucharistiam accedat, si merito dubitat an non eidem adhæreat peccato. Unde dimidiatæ confessionis doctrina nusquam iis servire potest, qui in habitu peccati mortalis versantur, & raro iis, qui necdum à proxima peccati occasione recesserunt.

Ceterum qui ex inculpata oblivione, aut invincibili ignorantia peccatum aliquod mortale confiteri prætermiserunt, si illud in memoriam veniat, aut illud grave eſse cognoscant, confiteri illud tenentur, quam primum opportune id facere poterunt, nec proinde diu illius confeſsionem differre poterunt. Pariter qui propter impotentiam, imminens periculum, ac ſubsequens damnum integre confiteri non poterant, his ceſsantibus obstaculis integre peccata sua confiteri tenentur. Quia quamvis per Sacramentalem absolutionem in prioribus confessionibus remissa sint, manet tamen ex jure divino obligatio ea confitendi, cum confiteri possunt.

Quæres 16to: Quæ non excusant ab integritate confeſsionis?

Resp: Ab integritate confeſsionis non excusat. *1mo:* frequens populi concursus, qui exg. fieri ſolet in aliquo die sollemni, licet ex integra priorum Pænitentium confessione futurum sit, ut multi Sacramentis, & indulgentia festo annexa priventur. Damnata siquidem est ab Innocentio 11. contraria opinio sequenti expressa propositione: *Licet ſacramentaliter absolvere dimidiate tantum confeſsos, ratione magni concursus Pœnitentium, qualis vg. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel indul-*

gen-

gentiæ. Certe si propter concursum Pænitentium liceret dimidiare confessionem, quam plurimi vix examinati, leviter confessi, indigni ad Sacram Eucharistiam accederent. Inde autem quot, & quanta sacrilegia?

2do: Non excusat ab integritate confessionis necessario facienda complicis apud confessarium revelatio. Quia complex peccati, famæ suæ cessit, sciebat enim peccatum hoc in confessione aperiendum esse, atque cum aliter plene declarari non poterit, se etiam manifestandum. Et certe non plus juris habet complex peccati, ne apud confessarium denigretur, quam ipse auctor, & primus peccati motor. Porro is tenetur & sibi noto confessario, apud quem bonam obtinet famam scelera sua pandere, etiam cum sui infamia. Ergo cum aliter gravitatem peccati sui exprimere pænitens nequit, complicem peccati ſui, etiam cum ipsius infamia, manifestare tenetur. Sed hoc fieri debet, quando denigratio apud confeſsarium complicis ſui, sine incommodo vitari nequit, quia difficile est ad ignotum recurrere confeſsarium, quia is longe distat, aut quia consvetus confeſsarius nonnisi ægre à pænitente mutari potest, cum perplexum conscientiæ ipsius statum jam bene ſciat. Idem est, si diutius in peccato manendum sit, quia nonnisi diu post, alius aderit Sacerdos, cui complex peccati ignotus est. Porro incommodi gravitas, ex gravitate commiſsi criminis, quod conſiteri neceſse est, æstimari debet. Plus enim efficere debet pænitens ne ſuum cum ſorore commiſsum pandat in confeſsione incestum Parocho, cui utraque pars criminis rea bene nota est, quam ut detegatur libidinosus aſsentientis consangvineæ amplexus, tactus, osculumque turpe. Unde in priori casu nihil eſse videntur duæ, vel tres leucæ, homini præsertim vegeto ad quærendum ignotum confeſsarium, multum vero erunt in casu posteriori. Si tamen complex præ infirmitate, aut alia gravi de causa ad ignotum Sacerdotem recurrere nequeat, ſed noto conſiteatur confeſsario, non est cur alter extranei Sacerdotis ministerium quærat.

Quæres 17mo: An etiam liceat in Confeſsione alterius & aliud propalare crimen, ut pœnitens gravitatem ſui peccati declarare poſsit?

Resp: Talis potest occurre casus. Occidit quis ſororem ſuam ex crimine gravidam. Personam novit Sacerdos, crimen ignorat, teneturne rem totam aperire prædictus Sororicida? In tali ergo, ac simili casu *1mo:* cum majori incommodo quærendum eſse ignotum confeſsarium,

quam cum agitur de occultando criminis complice, quia illa injuste interempta plenum retinet jus, ne sine gravi necefsitate diffametur. *2do*: quodsi ille Sororicida, ignotum confefsarium non inveniat, ut fuum crimen integre confiteatur, potest & debet alterius fcelus cum illius etiam infamia in confefsione aperire. Namque licet alterius crimen revelare, quando id exigit gravis necefsitas, puta ad consilium capiendum, ad grave corporis, vel animi detrimentum evitandum. Licebit ergo etiam ad exonerandam conscientiam fuam, alterius manifestare crimen, ut proprium Sacramentali purgetur confefsione. Neque inde proveniens apud confefsarium denigratio, veri nominis infamiam parere potest, fapiens siquidem ac pius confefsarius audiens alterius à pænitente enarratum crimen quodcunque, lugebit humanam fragilitatem, judicium fuum fuspendet, rem totam Deo committet.

Licet pariter alterius crimen in confefsione aperire, si id postulet notabilis utilitas aut pænitentis, aut delinquentis, exg. ut puella contra importunas ad peccatum follicitationes obfirmetur, aut etiam ipse feductor, & incitator à malo revocetur, atque delinquens corrigatur, ac emendetur. Caute tamen tali notitia utendum est confefsario, ne vel reipsa sigillum confefsionis violet, vel faltem in fuspicionem hujusce violationis veniat, quod malum tanti est, ut ei quodcunque Pænitentis, vel alterius delinquentis bonum cedere debeat. Advertendum quoque est, ne locus detur fictis confefsionibus, & injustis innocentium calumniis.

Quæres 18vo: Utrum obsolvi pofsit moribundus, qui vel nullatenus, vel integre non confitetur?

Resp: *1mo*: Debet absolvi moribundus, qui vel quædam tantum peccata, vel etiam nulla in fpecie confiteri valens, in genere folum declarat fe peccafse, aut præsente, vel absente Ministro, quædam dat pænitentiæ signa ad obtinendam absolutionem. Quia talis moribundus confessionis legem à Christo constitutam adimplet, quantum potest. Qui autem præstat quod potest, ad amplius non tenetur. Sæpius tamen ingemiscere debet, quod neglexerit habito tempore integre confiteri. Quare sic præscribit Rituale Romanum titulo de Sacram: Pænit: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata Pænitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere, vel in fpecie cognitis, vel*

etiam

etiamsi confitendi desiderium sive per ſe, sive per alios ostenderit, absolvendus est. Sufficit autem vel unus testis, qui etiam ab alio didicerit, moribundum Sacerdotis opem voce, aut signis imploraſse. Sufficiunt quoque dubia pænitentiæ signa, ut si visus est æger pectus tundere, oculos in cælum tollere, quia in his angustiis præsumitur quisque, ſaluti animæ ſuæ omni modo consulere.

2do: Debet etiam abso vi moribundus, qui catholicam religionem est profeſsus, etsi nulla ante, vel post Sacerdotis adventum exhibuerit pænitentiæ signa. Quia in extremis licet in administrandis Sacramentis dubia etiam uti materia, quando certa haberi non potest. In præsenti autem casu ſuppetit ſaltem dubia Sacramenti Pænitentiæ materia, vita siquidem præterita moribundi, in catholica religione transacta, est quasi illius confeſsio, cum distinctior haberi nequit. Forte etiam moribundi gemitus, intuitus, corporei motus, ſunt signa quibus ille indigitare vult, ſe de peccatis dolere, & velle absolvi. Certe quidam per minoris pedis ſui digiti motum contritionem ſuam indicare voluit, quod autem ſemel contigit, pluries contingere potest. Præsumi igitur debet, in iis circumstantiis à moribundo dari quædam pænitentiæ signa, quæ tamen ab adstantibus percipi nequeunt, in fundamento itaque istius piæ & justæ præsumptionis, moribundus absolvendus est.

3tio: Neque tandem redarguendus est Sacerdos, si moribundum in catholica regione repertum conditionate absolvat, etsi nulla dederit Pænitentiæ signa, modo nec impænitens appareat, nec in flagranti delicto deprehensus sit. Quia nec omnino constat talem hominem indignum eſse Sacramentali absolutione, cum etsi nequidem rationis compos eſse videatur, fieri tamen potest, ut reipsa & de peccatis intus doleat, & aliquod doloris signum, quamvis imperviium exhibeat, per ſuspiria videlicet, & gemitus. Absolvi ergo debet. Neque per hoc aliqua Sacramento infertur injuria, huic enim obviatur per appositam conditionem, & ſatius est Sacramentum nullitati exponere, quam hominem periculo æternæ damnationis ſubijcere. Certe cum Sacramenta propter homines constituta sint, ut in tali casu moribundus tuto absolvatur, ſufficit ut è millibus hominum, qui in tam misero statu versantur, sit vel unus, cui tunc data absolutio prodeſse valeat. Id autem fieri poſse quis negaverit?

Tunc autem danda erit absolutio non ſolum ſub conditio-

ditiore facti, qualis est duplex hæc, *si vivis, si es baptisatus*, ſed etiam ſub hac juris conditione, *si es recte dispositus.* Qui tamen in flagranti delicto exg. duello, aut ebrietate ſensibus destituitur, illi absolutio dari nequit, quia actu est ad id indispositus.

Quæres 18vo: Utrum Confeſsio voce fieri debeat?

Resp: Non est absolute neceſsarium, ut confeſsio voce fiat, quia Christus tantum præcepit, ut peccata Sacerdoti cum dolore declarentur, quod per Scripturam, & nutus, ſatis præstari potest, & ea est Ecclesiæ praxis, ut mutos, qui ſufficienter instructi ſunt, per signa confitentes, absolvat. Et confeſsio ſcripto, aut nutibus facta, non ſolum utilis est, ſed etiam quando voce fieri nequit, prorsus est neceſsaria, quia ut docet S. Thomas Doctor: *quando non poſsumus uno modo, debemus ſecundum quod poſsumus, confiteri.* Graviter tamen peccaret, ideoque invalide confiteretur, qui extra casum physicæ vel moralis impotentiæ, ſcripto, aut nutibus non autem voce confiteretur. Quia usus voce confitendi & in Ecclesia universalis est, & gravibus de causis inductus fuit. Ab ea tamen praxi excusat impotentia, tum *physica,* qualis occurrit in mutis, iisque qui præ morbi gravitate usu vocis destituti ſunt, tum *moralis*, ut si æger oppreſso pectore nonnisi ægre loqui poſsit, vel si unus, qui præsto est Confeſsarius, ſurdus sit ipse, aut Pænitens sit, & non poſsit in Xenodochio confiteri, quin ab aliis audiatur, audirive merito formidet. Tunc autem melius, & tutius est, ut postquam confeſsionem Sacerdos legerit, pænitens hæc ſaltem addat verba, si potest: *De his omnibus ſcriptis me accuso, & peto absolvi.*

Quæres 19no: An absenti etiam per litteras confeſsio fieri poſsit?

Resp: Id ſevere vetitum est, & Clemens 8vus prohibuit, ne opinio, quæ absolutionem absentis ab absente datam, ratam eſse censet, ullo in casu teneatur tamquam probabilis. Invalida ergo censeri debet istiusmodi absolutio, quare neque in extrema neceſsitate adhiberi potest. Ceterum id non tantum conjunctive, ſed & disjunctive intelligi debet, unde absolvi non debet, neque præsens, qui absens per litteras confeſsus est, neque absens, qui confeſsus est, cum esset præsens. Requiritur autem, & ſufficit moralis Sacerdotis cum Pænitente præsentia, quæ adest cum Sacerdos, & Pænitens non longius ab invicem distant, quam ut poſsint ſe audire, ea loquentes voce,

 qua

qua homines in communi ſermone uti ſolent, imo & altiori. Quare non est arguendus Sacerdos, qui Carceri v.g. inclusum, elata voce, vel etiam nutibus, si loqui non possit, confitentem, è regione ipse stans, gravi de causa absolvat.

ARTICULUS 5tius

De Satisfactione.

Quæres 1mo: Quid sit ſatisfactio?

Resp: In homine qui graviter delinquit, triplex est reatus, videlicet *culpæ*, qui est ipsum peccati vinculum, *pœnæ æternæ*, quia propter mortale peccatum ſubijcitur homo damnationi æternæ, & reatus *pœnæ temporalis*. Peccatori vere pænitenti Deus miſericordiſsime reatum tum culpæ, tum etiam pænæ æternæ remittit, & liberaliſsime condonat, at post utriusque remiſsionem, atque condonationem, remanet reatus pænæ temporalis quæ piis Pænitentis laboribus, atque perpeſsionibus redimi debet, & hoc ſatisfactionem vocamus. Est itaque ſatisfactio: *Voluntaria pœnæ mitioris perpeſsio, atque tolleratio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, & redimendam graviorem pœnam, eodem peccato promeritam.* Satisfactio itaque est 1mo: *perpeſsio* qui enim ſatisfacit alteri, ſemper aliquid ardui, ac molesti ſustinet. 2do: est *voluntaria*, sive ſponte & propria voluntate illa pæna ſuscipiatur, sive ab alio imponatur, & libenter acceptetur. 3tio: non alio autem fine hæc pæna toleratur, nisi ut & injuria Deo per peccatum illata resarciatur, atque compensetur, & pæna longe gravior, quam peccatis suis promeritus est homo, quamque vel in hac, vel in futura vita luere deberet.

Satisfactio autem duplex es ; sacramentalis videlicet, & non sacramentalis. Satisfactio *sacramentalis* est adimpletio pænitentiæ à Sacerdote in Sacramento Pænitentiæ impositæ. Satisfactio *non sacramentalis* est illa, quam quis ſponte eligit, & pro peccatis ſuis sibi imponit.

Quæres 2do: Quid ad satisfactionem requiritur?

Resp: Ad satisfactionem præ ceteris requiritur opus pænale, & afflictivum, quia satisfactio aſsumitur, ut præterita peccata puniantur, & futura caveantur, quare Scriptura sacra satisfactionem in jejunio, fletu, planctu aliisque arduis operibus reponit. Sed pro praxi nulla hinc emer-

emergit difficultas, quia omnis Christianæ virtutis actus, carnis afflictionem importat, unde docet Concilium Trident: Sefs: 14. Can: 13. *pro peccatis Deo satisfieri pœnis sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus,* Non solum autem illi pietatis actus sunt satisfactorii, qui sponte à nobis fiunt, sed & flagella, quæ nobis Deus immittit, si libenter acceptentur, & patienter tollerentur, sunt satisfactoria, quia tunc quodammodo sunt patientis opera. Unde vitæ nostræ incommoda patienter sunt tolleranda, si volumus ea esse satisfactoria. Per actus quoque pietatis internos satisfactio Deo præstari potest, quia & ii, si cum fervore & intensione fiant, multum laboris, & defatigationis continent, semper tamen opera externa, internis superaddita, satisfactionis pondus augent, quia carnis augent afflictionem, unde communiter pluris est jejunium exercitum, quam illius observandi pia voluntas. Etsi vero quibusvis pietatis operibus Deo pro peccatis satisfieri posit, maxime tamen jejunio, oratione, ac eleemosyna, quia hæc præcipue in Scripturis sacris commendantur.

Quæres 3tio: Utrum Sacerdos pœnitenti suo, quem absolvit, satisfactionem sacramentalem imponere tenetur?

Resp: Omnino tenetur, & id constat ex Ecclesiæ usu, quæ nusquam pænitentes sine congrua satisfactione reconciliavit. Hinc Concilium Trident: Sefs: 14. Cap: 8. sic statuit: *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Quare graviter peccaret Sacerdos, si scienter, & volenter, nullam Pænitenti satisfactoriam imponeret pænitentiam, quia gravem Sacramento Pænitentiæ inferret injuriam, illud mutilando, cum satisfactio pænitentialis, sit ipsius pars integralis. Et hoc verum est etiamsi pænitens vel sola venialia confiteatur peccata, vel illa tantum, quæ jam rite confefsus est, semper enim, ut integrum sit Sacramentum, salutaris pænitenti injungi debet satisfactio. Imo si Sacerdos, mox novam, pro oblito in peracta Confefsione peccato, tribuat absolutionem, novam etiam pænitentiam imponere tenetur, quia de novo conficit Sacramentum.

Si tamen injunctam adimplere pænitentiam, pænitenti sit impofsibile, quia sensibus destitutus est, non est cur imponatur. Monendi tamen sunt, qui ægrum circumstant, ut si tantisper reviviscat, & confortetur, eum

pro salutari pænitentia ad actus fidei, ſpei, charitatis; dolorisque excitent.

Non qualiscunque autem in Confeſsione aſsignanda est pænitentia, ſed par crimini, prudenter tamen omnibus bene perpensis. Ita docet Concilium Trident: Seſs: 14. Cap: 8 *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſsima quædam opera pro graviſsimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quare non est liberum Confeſsario pro gravibus criminibus levem quampiam imponere pænitentiam, ſed ſub gravi tenetur parem, & criminibus proportionatam injungere satisfactionem, ne alias particeps alienorum peccatorum efficiatur. Prudenter autem id præstare debet Confeſsarius, quia non solum gravitatis peccatorum, ac numeri illorum, ſed & Pænitentium facultatis rationem habere debet. Hinc quandoque minor imponitur pænitentia iis, qui majori defungi non poſsunt, videlicet graviter ægrotantibus, quibus proinde declarata, quam promeruerunt, pænitentia, & quam, si convalescant, adimplere tenebuntur, levior, & mitior est aſsignanda. Cavendum quoque est, ne iis etiam qui corpore sani ſunt, ſed labore continuo sibi ſuisque ad victum neceſsaria comparare debent, imponantur prolixæ ferialibus diebus orationes, crebra jejunia, vel eleemosynæ, quas erogare non poſsunt. His ergo injungendum est, ut festivis diebus Ecclesiam frequentent, mane, & vespere preces devote persolvant, labores ſuos, Deo, in satisfactionem peccatorum ſuorum commendent, & quidquid mali obveniet, patienter ferant.

Compatiendum quoque est spiritualiter infirmis, ita ut mitigetur satisfactio, cum Pænitens ob majorem pænitentiam tabescit, & illam aliquo modo detrectat, non quidem ex cordis pertinacia, ignavia, vel langvore voluntario, ſed quia propriæ fragilitatis sibi bene conscius est, ac proinde veretur, ne sibi in ea persolvenda deficiat animus, quare si illius omiſsio prudenter timeatur, & quæ eam non raro sequuntur relapsus, ac desperatio, mitius agendum est, ne ſub obtentu maioris boni, malum gravius inducatur, tunc enim valet tritum illud, *satius est hominem cum minori pœnitentia in Purgatorium mittere, quam in Infernum cum majori detrudere.* Unde sic

inquit

inquit S. Franciscus Salesius: *Confeſsarius melleis & consolatoriis verbis imponere debet pœnitentias, & petere semper debet ab eo, an pœnitentiam injunctam libenter faciat, quia si videret eum angustiari, rectius faceret aliam leviorem imponendo*, & alia duriora quæ Pænitenti necefsaria efse judicaverit, per modum consilii proponat, ut per aliquot hebdomadas, vel dies in iis se exerceat, atque experiatur ipse quid ferre pofsit.

Quæres 4to: Qualem pœnitentiam Confeſsarius aſsignare debeat?

Resp: Confefsarius pænitentiam afsignare debet *1mo:* parem criminibus à pænitente commifsis. Nemo autem judicare potest, pro aliquot mortalibus peccatis, fufficientem pænitentiam efse, aliquas preces, vel Coronam quinque decadum. An enim peccata ebrietatis, mollitiei, aut fornicationis congrue diluet, aliquot precum recitatio? Certe ea efse debet pænitentiæ ratio ut à peccatis revocet, & quasi fræno coerceat. An vero incontinentiæ gravitatem quis fentiet ex unius Coronæ in honorem B. V. Mariæ sibi injunctæ recitatione? potius ex levitate pænitentiæ, peccata illa levia reputabit, ac præceps in illa iterum ruet, thesaurisans sibi iram ac vindictam Dei, in die iræ ac justæ ultionis illius. Ex gravitate ergo pænitentiæ, pondus peccatorum fuorum, Pænitentes sentire debent, atque sic cautiores, vigilantioresque in futurum effici.

2do: Debet pænitentia efse peccatis, pro quibus imponitur, opposita, atque ex adverso respondens, quia is etiam est injunctæ à Sacerdote pænitentiæ scopus, prout docet Concil: Trident: Sefs: 14. Cap: 8. ut medeatur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollat. Quare Rituale Romanum præscribit ut Sacerdos: *Contrarias pro peccatis injungat pœnitentias, velut avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia:* & S. Carolus Borrom: hæc Confefsario demandat: *Pro peccatis luxuriæ imponantur jejunia, vigiliæ, cilicii usus, aliaque hujus modi macerando corpori propria. Pro avaritiæ peccato, præter debitas restitutiones, elleemosynæ, pro cujusque facultatibus injungantur. Sanandæ ſuperbiæ, aliisque peccatis interioribus, oratio adhibeatur. Pro negligentia rerum Christianarum, quas ignorant, Conciones audiant, Catecheses frequentent. Indevotis, & tepidis juvabit imponere, ut*

Eccle-

Ecclesias, *divinaque officia oraturi sæpius adeant*, *multasque orationes usurpent.*

3tio: Maxime autem pænitentia medicinalis esse debet. Præscribi scilicet, & injungi debent ea, quæ ad pænitentis emendationem, ad præcavendum relapsum inservire possunt. Unde potest & debet Confessarius suo pænitenti, injungere ut hoc officium quod pessime gerit, dimittat, hanc Domum in qua peccare assolet, non frequentet, ab hac persona quæ ipsi proxima est peccandi occasio, se separet. Hæc nimirum & similia etiam, pro Pænitentia sacramentali imponi à Confessario possunt, & injungi omnino debent. Pænitentia itaque in Confessione á Sacerdote imponenda, duo precipue habere debet, scilicet ut sit & medicinalis, & pænalis. Hinc Concilium Trident: Sess: 14. Cap: 8. sic Confessarios admonet: *Habeant præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

Quæres 5to: *Quæ opera pro pænitentia imponi possunt?*

Resp: In pænitentiam imponenda sunt à Confessario, opera, *1mo*: quidem pænalia, talia scilicet, quæ inservire possint, ad vindictam, & castigationem præteritorum peccatorum.

2do: Quamvis possint imponi opera aliunde jam præcepta, quia hæc bona, ac pænalia sunt, atque non obstante debito legis, satisfactoria sunt, generatim tamen injungenda sunt, pro pænitentia opera, alias indebita, quia generatim intendit Ecclesia, ut quisque pro delictis suis, per opera alias indebita satisfaciat, ut & peccatorum suorum pondus peccator sentiat, & ipsius ac innocentis, qui etiam opus lege præscriptum adimplere debet, æqualis non sit conditio. Et id factum esse à Confessario, scilicet opus alias indebitum, pro pænitentia injunctum fuisse, semper præsumendum est, nisi aliud ex illius verbis, vel ex circumstantiis innotescat. Credere siquidem oportet, Confessarium à trita via recedere noluisse. Porro hæc trita est Confessariorum praxis, ut dum jejunium, vel Missæ auditionem præcipiunt, ea præcipere censeantur, ad quæ Pænitens jam aliunde non tenebatur. Unde si jejunium quis voverit, in illam diem, in qua abstinentiam præcepit Confessarius, reiicere illud non potest, quodsi Confessarius voti nescius, eadem die jejunium imponet, qua jam voto appromissum fuerat, pænitens eum monere debet,

bet, ut vel aliam pænitentiam afsignet, vel afsignatum jejunium in aliam diem differe permittat. Pariter injunctæ sibi á Confefsario auditioni Mifsæ non satisfacit pænitens, Mifsam audiendo die festo, ad quam audiendam jam Ecclesiæ præcepto tenetur. Quare Sacramentalis pænitentia ex indebitis efse debet, & talis à Confefsario imposita efse semper præsumenda est. Quandoque tamen vel ex communi sensu, vel ex tempore pænitentiæ implendæ præfixo, vel ex aliis circumstantiis judicari potest, rem alias præceptam, ac debitam à Confefsario injunctam fuifse. Quapropter si duæ Mifsæ die festo audiendæ imponantur, communiter intelligitur una tantum imponi Mifsa, præter eam, quæ præcepta est. Si inchoante Quadragesima, injungatur jejunium, intelligitur quadragesimale, quia alioqui satisfactio Sacramentalis diu differretur. Si imponatur eleemosyna, satisfit dando etiam extreme indigenti, quamvis aliunde ad id charitas obliget, nec enim præsumitur Confefsarius extraordinariam hanc circumstantiam exclusifse, ne alioqui, nimium Pænitens & angatur, & gravetur.

3tio: Pro occultis peccatis pænitentiam manifestam Confefsarius imponere non potest. Et ita statutum est in Rituali Romano his verbis: *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat*, quia talis pænitentia pænitentem rationabiliter redderet invitum, probro afficeret, & culpæ foret improportionata. Quandoque tamen in medicinalem pænitentiam imponi potest quidpiam exterius faciendum, etsi inde sequatur fuspicio vel notitia peccati à pænitente commifsi, quando aliter relapsus vitari nequit. Sic qui in hac Domo, vel in hoc officio peccat, adigi debet, ut ab iis recedat, quod si id facere renuat, sine absolutione dimittendus est. Neque tunc Confefsionem revelat Sacerdos, fed ipse se prodit Pænitens, ut fuæ obligationi satisfaciat.

Potest vero Sacerdos pro publicis peccatis, manifestam imponere pænitentiam. Et ita docet Concilium Trident: Sefs: 14. Cap: 8. ubi hæc habet: *Apostolus monet publice peccantes, palam efse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commifsum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuifse, non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pænitentiam publice injungi oportet.* Id autem à Confefsario fieri debe, servatis consilii & prudentiæ legibus, & vix quando sine scitu Episcopi fieri debet. Quare S. Tho-

Thomas Doctor Quæst: 28. art: 3. sic ait: *Magna peccata indigent magna cautela ad ſui curationem, & ideo injunctio pænitentiæ solemnis, quæ non niſi pro graviſsimis peccatis fit, solo Episcopo reservatur.* Propterea potestatis ſuæ limites transgreditur Parochus, qui sine authoritate Episcopi pænitentem jubet ad Ecclesiæ foras stare, cum cereo accenso, aut Proceſsionem sequi nudis pedibus. Quos ergo ipse in Parochia ſua reperit publice adulteros, concubinarios, eos ad Episcopum deferat, ut qua via medendum ipsorum vitiis sit, consulatur.

Jam vero hæc satisfactoria pænitentia, potest à Confeſsario pænitenti imponi vel ante datam absolutionem, vel statim post ipsam. Quia utrolibet modo censetur in Confeſsione eſse data & moraliter cum aliis hujus Sacramenti partibus conjungitur. Satius tamen ſemper est, ut ante absolutionem injungatur, quia Sacerdos absolvere non debet, niſi quem novit bene diſpoſitum eſse. Piam autem hanc pænitentis diſpoſitionem, non melius deprehendet, quam cum pænitens injunctam sibi pænitentiam humiliter, & prompte ſuscipit.

Quæres 6to: Utrum pænitens impositam sibi pænitentiam acceptare teneatur?

Resp: Pænitens impositam sibi pænitentiam, modo sit æquitati, & rationi congrua, acceptare, & adimplere tenetur. Quia Sacerdos pænitentiam imponere pænitenti tenetur, ut Sacramentum Pænitentiæ integrum sit. Ergo eadem de causa pænitens illam acceptare, & adimplere obligatur. Modo tamen hæc æquitati & rationi consentanea sit. Quare si nutrici, aut infirmo jejunia, pauperi largæ eleemosynæ, mulieri prægnanti longæ peregrinationes indicantur, hæc nec acceptare, nec adimplere tenetur. Tunc tamen impotentia hæc Confeſsario exponenda est, ut vel idoneam magis injungat, vel hæc ab alio Confeſsario una cum absolutione expostuletur. Verum raræ admodum ſunt pænitentiæ graviores, quas ſuscipere & adimplere pænitens non poſsit. Unde generatim statuendum est, teneri ſub gravi pænitentem impositam sibi pænitentiam acceptare. Hinc S. Thomas Doctor in 4. dist: 20. inquit: *Pænitens, cui major condigno, pænitentia injuncta est, tenetur eam explere ex Sacerdotis injunctione, qui non ſolum debitum pænæ considerat, ſed peccato remedium adhibet.* Licet quidem pænitenti pro facienda confeſsione, quem voluerit adire Confeſsarium, ſed facta confes-

confeſsione, non licet eum deserere, ne mutilum reddatur Sacramentum.

Sub gravi autem tenetur pænitens, inpositam sibi adimplere pænitentiam, sive hæc gravis sit, & pro gravibus injuncta peccatis, sive levis & pro venialibus tantum imposita. Quia qualiscunque, & pro quibuscunque peccatis imponatur pænitentia, ſemper illa ad integritatem Sacramenti requiritur, mutilum vero reddere Sacramentum, gravis est materia, gravis per hoc Sacramento irrogatur injuria. Ergo levem etiam, & pro venialibus tantum peccatis aſsignatam non adimplere pænitentiam, grave est peccatum. Qui tamen modicam pænitentiæ sibi aſsignatæ omittit partem, poterit aliquando à mortali peccato excusari, quia & aliquam pænitentiæ persolvendo partem, jam integrum est Sacramentum, & pars omiſsa modica eſse reputatur. Tutius attamen est, integram, totamque adimplere.

Quæres 7mo: Quando pœnitens impositam sibi pœnitentiam adimplere debet?

Resp: Pænitens tenetur impositam sibi pænitentiam exequi tempore per Confeſsarium præfixo, quia temporis circumstantia includitur in præcepto pænitenti imposito. Unde cui injunctum est, ut feria 6ta jejunet in honorem paſsionis Christi, vel singulis mensibus ſemel confiteatur, debet hæc, prout demandata ſunt, exequi, proinde nec anticipare, nec differre, nisi gravis & improvisa neceſsitas contrarium exigat, tunc enim ex præsumpto confeſsarii consensu aliter fieri poterit. Brevis etiam ad aliquot dies dilatio, grave peccatum non inducet, quia aliquot dierum mora nec gravem Deo injuriam, nec grave Pænitenti damnum infert. Quodsi vel ad horam differens impositam implere pænitentiam, gravi ſe tentationis, aut alterius peccati periculo exponat, graviter ſe reum faciet. Si vero nullum sit à Confeſsario determinatum tempus, quo imposita pænitentia debeat adimpleri, hæc debet impleri quamprimum fieri potest. Ea siquidem legum est conditio, ut cum iis nullum est præfixum tempus, quam primum moraliter fieri potest, impleantur.

Quæres 8vo: Utrum pœnitens impositam sibi à Confeſsario pœnitentiam, mutare poſsit?

Resp: Pænitens impositam sibi à Confeſsario pænitentiam, nutu proprio, etiam in aliquid melius, mutare non potest, quia pænitens utpote inferior, Confeſsarii ſui, qui Superior & Judex ipsius est, ſententiam variare nequit,

&

& præceptum illius adimplere tenetur. Præterea pœnitentia à Confeſsario impoſita Sacramentalis est, ex Sacramento etiam vim ſatisfaciendi pro peccatis habet, pœnitentia vero licetsi major, à Pœnitente proprio nutu aſsumpta, Sacramentalis non est, neque ex Sacramento habet vim ſatisfaciendi. Impoſita ergo à Confeſsario pœnitentia, nequit etiam in aliquod melius à pœnitente proprio nutu mutari.

Potest tamen impoſitam in confeſsione pœnitentiam mutare, sive idem Confeſsarius, qui eam impoſuit, sive alter. Et id constat ex ipsa etiam praxi, ſæpe namque Confeſsarii impoſitas pœnitentias mutant, cum à pœnitentibus vel admodum difficile, vel inutiliter, aut etiam periculose adimplerentur. Id autem ſemper ſieri debet in confeſsione Sacramentali, ut ſciat Sacerdos pro quibus peccatis nova injungenda sit pœnitentia, & illa Sacramentalis sit.

Hic quædam addenda & annotanda ſunt. 1mo: non poſse mutari pœnitentiam ſemel impoſitam, niſi id justa postulet causa, qualis est vel notabilis Pœnitentis utilitas, vel gravis in ea adimplenda difficultas, periculum eam negligendi, etiam ex ſola Pœnitentis infirmitate proveniens, ac tandem evidens illius exceſsus. Semper tamen aliquid prioris pœnitentiæ est relinquendum, ut prius Sacramentum integrum sit. 2do: potest aliquando pœnitentia mutari, etiamsi id non expostulet Pœnitens, cum alia multo plus ei profutura censetur. 3tio: non mutatur prior pœnitentia eo ſolum, quod idem, vel alius Confeſsarius audita eorundem peccatorum confeſsione, novam imponat, ſed neceſse est ut prior expreſse revocetur. 4to: non expedit ut Pœnitens obtenta pœnitentiæ sibi injunctæ commutatione, novam deinceps deserat, & ad priorem redeat, quia ad minus dubium est, an id sine judicio & consensu Confeſsarii, proprio nutu facere poſsit, & si posteriorem totaliter reliquerit, mutilum reddet posterius Sacramentum, quod sine piaculo gravi fieri nequit. 5to: Non potest mutari pœnitentia sive ab eodem Confeſsario, niſi confusam ſaltem mente teneat, aut de novo à Pœnitente recipiat peccatorum notitiam, pro quibus illa aſsignata fuit, vel ab alio, niſi auditis peccatis, propter quæ impoſita fuit. Secunda ſiquidem pœnitentia debet eſse peccatis proportionata, & Sacramentalis, ad quod requiritur, ut imponatur pro peccatis Sacerdoti cognitis, & in confeſsione manifestatis. Neque tamen tunc requiritur accurata peccatorum

torum repetitio, ſed ea tantum, unde Sacerdos statum Pænitentis intelligere poſsit.

Quæres 9no: Quomodo pænitens impositam pœnitentiam adimplere debeat?

Resp: Debet illam adimplere. *1mo:* in statu gratiæ, licet enim homo in statu peccati mortalis existens, nullum tamen ad illud retinens affectum, opera pænitentiæ ſalutariter perficiat, iisque divinæ justitiæ ſatisfacere poſsit, ſemper tamen opera ſatisfactoria ab homine justo præstita, majoris ſunt efficaciæ. Quare cum Sacerdos longiorem alicui aſsignat pænitentiam, aliquam determinet illius partem, quæ statim post Confeſsionem, abſolvenda sit. *2do:* pænitentia Sacramentalis ex aliqua, ipsam adimplendi intentione, perfici debet. Unde cui injuncta est exg: parvi B. V. Mariæ officii recitatio, hancque quispiam adimplevit eadem hora, qua antea ſolitus fuerat persolvere, pænitentiæ sibi impositæ plane immemor, ut recitatio hæc rationem Sacramentalis pænitentiæ habeat, denuo fieri debet, & quidem cum aliqua ſaltem virtuali ad Pænitentiæ Sacramentum, & factam sibi â Confeſsario injunctionem, relatione.

CAPUT TERTIUM

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, ipsiusque obligationibus.

ARTICULUS 1mus

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæres 1mo: Quis est Minister Sacramenti Pœnitentiæ?

Resp: Solus Sacerdos rite ab Episcopo ordinatus. Et id definitum est in Concilio Trident: Ses: 14. Can: 10; *Si quis dixerit, non ſolos Sacerdotes eſse Ministros absolutionis, anathema sit:* Potestatem autem remittendi peccata, atque ab iis absolvendi Sacerdotes habent vi ſuæ Ordinationis, unde potestas Ordinis dicitur. Verum hæc non ſuffi-

ſufficit, ſed præterea, ut Sacerdos valide à peccatis absolvat, necesſaria ipsi est potestas jurisdictionis. Unde Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 7. sic inquit: *Quoniam natura, & ratio judicii illud exposcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, persvasum ſemper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti eam absolutionem eſse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet jurisdictionem.* Jurisdictio enim est potestas, quæ in alium tanquam ſubditum exercetur, absolutio autem est ſententia judicialis, quæ in sibi ſubjectum profertur, eum à vinculo peccatorum ſolvendo. Ut ergo valida sit, jurisdictionis potestatem prærequirit, & sine ipsa irrita omnino illa est. Quare potestas jurisdictionis à ſuperioritate profluit, quemadmodum potestas ordinis ab Ordine promanat. Utraque igitur potestas & Ordinis, & jurisdictionis, Sacerdoti omnino necesſaria est, ut valide in Sacramento Pænitentiæ à peccatis absolvat.

Quæres 2do: Quotuplex est jurisdictio?

Resp: Jurisdictio duplex est, *ordinaria*, & *delegata*. Jurisdictio *ordinaria* illa est, quæ alicui competit ratione officii ſui, & hanc habent omnes ii, qui ex officio ſunt Pastores animarum, ac proinde Episcopus in ſua Diæcesi, Parochus in ſua Parochia, ſed cum debita ad ſuum Episcopum ſubordinatione. Et hæc jurisdictio magis afficit personas loci, quam ipsum locum, unde Episcopus ſuos Diæcesanos, & Parochus ſuos Parochianos, ubique locorum posſunt absolvere. Ad amovendum tamen ſcandalum, quod daret ignotus Sacerdos, in alterius Ecclesia confesſiones audiendo, debet à loci Præposito licentiam petere.

Jurisdictio *delegata* illa est, quæ alicui ab habente ordinariam, committitur, vel *directe*, ut si Episcopus Sacerdotem quempiam approbet ad audiendas in ſua Diæcesi Confesſiones, vel indirecte, ut si Episcopus permittat alicui, ut confiteatur cui voluerit. Delegatus autem ſubdelegare nequit, quia potestatem habet sibi tantum concesſam, non ut alteri eam committat. Quodsi ei expresſe & ſpecialiter concesſum fuerit, ut ſubdelegare posſit, tunc non ſuo, ſed delegantis nomine censebitur ſubdelegare.

Sed etiam ut is qui ordinariam habet potestatem, ſubdelegare valeat, requiritur. 1mo: ut delegare non prohibeatur sive à jure, sive à consvetudine. Hinc Parochus nequit in ſua Parochia simplici Sacerdoti concedere facultatem ſuorum Parochianorum excipere Confesſiones, quia id

id excedit limites ipsius officii, ratione cujus, Episcopo ſubjectus atque ſubordinatus est, & proinde sine ipsius licentia neminem ab eo non approbatum, poſsunt ad ſuorum Parochianorum audiendas Confeſsiones deputare. *2do:* ut intra limites ſuæ jurisdictionis deleget, quia extra illos delegandi potestatem non habet. *3tio:* ut delegatus delegari non prohibeatur, ut prohibentur illi, qui Censuris innodati ſunt.

Jurisdictio autem delegata non expirat morte concedentis, aut dimiſsione officii, si sine ulla temporis limitatione ab illo conceſsa fuit, nec revocata ab eo qui illam conceſsit, aut ab ejus ſucceſsore, vel illius Superiore. Potestas siquidem delegata ad excipiendas confeſsiones, est gratia. Porro gratia morte concedentis non expirat.

Quæres 3tio: Quomodo jurisdictio acquiritur?

Resp: Jurisdictio ordinaria acquiritur multis modis, ſcilicet ratione privilegii, & consvetudinis, ratione periculi mortis alicui imminentis, ac tandem ratione erroris communis. Et quidem *1mo:* ratione officii, sic Parochus vi consecuti officii, jurisdictionem in ſuos Parochianos obtinet.

2do: Ratione domicilii, aut quasi domicilii, quia ex ratione domicilii, aut quasi domicilii, ordinariæ loci jurisdictioni quivis ſubditur. Qui enim in aliquo territorio degit etiam ad tempus, illius Parocho ſubjacet, ab eoque Sacramenta recipere valet, ne ad modum utilibus, ac neceſsariis ſalutis remediis diu privetur. Hinc qui in duabus Parochiis duo, paris ferme moræ, habet domicilia, alterutri Parocho pro nutu confiteri potest, atque ei etiam intra cujus Parochiæ fines actu non versatur, licet diverſæ sit Diæceseos. Unde etiam ordinarius Confeſsarius Mercatorum in Nundinis, Studentium in Scholis degentium, est ipse Parochus locorum, in quibus iidem commorantur, in iis namque quasi domicilium habent. Vagi quoque ac peregrini, quo in loco degunt, illius loci Parocho confiteri poſsunt.

3tio: Acquiritur jurisdictio per privilegium, aut per consvetudinem, quæ privilegio æquivalet, quia licetsi consvetudo jurisdictionem, quæ à Superiore provenire debet, conferre nequeat, est tamen indicium consensus ſufficienter præstiti. Hinc *poſsunt tam Prælati Regulares, quam Confeſsarii Regularium, audire Confeſsiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt vere de familia & continui commensales:* Prout decrevit Clemens 9nus Papa anno 1670.

Confeſsarius quoque quem Episcopus Monialibus sibi ſubjectis constituit, potest Confeſsiones excipere, & ipsarum Monialium, & commensalium quæ apud illas continuo degunt.

4to: Acquiritur cuilibet ſacerdoti ad absolvendum à peccatis etiam reservatis, jurisdictio plena, ratione articuli mortis alicui imminentis, tunc enim ex conceſsione Ecclesiæ, ut docet Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 7. *Omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis, & censuris absolvere poſsunt.*

5to: Acquiritur tandem jurisdictio ratione erroris, non quidem *privati*, qui paucorum est, ſed *communis*, quo nempe tenentur omnes, aut pene omnes qui degunt in loco, ubi quis jurisdictionem exercet. Ut autem error communis jurisdictionem tribuat, requiritur ut junctus sit cum titulo colorato, qui videlicet pro vero, & legitimo publice habeatur, quamvis minime reipsa ſubsistat, veluti cum quis pro vero Parocho reputatur, functiones Parochi exequitur, licet reipsa Parochus non sit, quia Beneficium ſuum nulliter, propter simoniam, poſsidet. Tunc enim Ecclesia illum occultum defectum ſupplet, & ad impedienda multa, & magna Fidelium damna, jurisdictionem transeunter pro singulis casibus tribuit. Quare licetsi adsit error communis, desit vero titulus coloratus, jurisdictio non acquiritur. Unde si quis resciat ſe confeſsum eſse Sacerdoti fallaci, qui falsas approbationis litteras finxit, tenetur eadem peccata denuo confiteri. Idem à fortiori dicendum est, si excipiens Confeſsionem naturali laboret impedimento, ut si Laicus ſe pro Sacerdote gerat, quia defectum hunc naturalem Ecclesia ſupplere nequit.

Quæres 4to: Quot modis jurisdictio delegata acquiritur?

Resp: Tribus modis acquiritur, ab homine, à jure, & à legitima consvetudine. Et quidem jurisdictio delegata acquiritur. *1mo:* ab homine, cum is qui ordinaria gaudet jurisdictione, illam alteri committit, ut quotidie faciunt Episcopi, simplices Sacerdotes ad excipiendas Fidelium Confeſsiones approbando. *2do:* à jure, quia jure canonico & Romanorum Pontificum indultis, multis conceſsum est, ut ad ſe concurrentes in Sacramentali Confeſsione absolvant, vel etiam ab eo, quem sibi elegerint, Confeſsario absolvantur. *3tio:* à legitima consvetudine, ut autem legitima sit, debet eſse ſaltem tacite approbata, approbatio enim etiam tacita, modo vere actualis, Superioris consen-

sum

sum exhibet; qui tamdiu durat, donec ab eo revocetur. Sic ubi Episcopus notæ sibi non contradicit consvetudini, juxta quam vicini diversæ Diæceseos Sacerdotes ſese mutuo in excipiendis fidelium Confeſsionibus adjuvant, datæ ab iis absolutiones validæ ſunt.

Quæres 5to: Quinam indigent Episcopi approbatione, ut fidelium Confeſsiones audire, & valide absolvere poſsint?

Resp. Omnes tum Regulares, tum Sæculares Sacerdotes non habentes Beneficium, cui annexa sit animarum cura, indigent Episcopi approbatione, ut fidelium Confessiones audire illosque valide absolvere poſsint. Ita decrevit Concilium Tridentinum Ses: 23. Cap 15. *Quamvis præsbyteri in ſua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem poſse Confeſsiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur eſse neceſsarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegio & consvetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus.* Est autem *approbatio* consensus, & facultas Episcopi ut munus Confeſsarii exerceat is, quem ad id idoneum ipse judicaverit, & sine tali approbatione nullus, qui non habet Beneficium curatum, sive Sæcularis sive Regularis Sacerdos, nec licite, nec valide Confeſsiones audire, aut ſuos pænitentes absolvere, potest. Cum enim ad valorem Sacramentalis absolutionis præter potestatem Ordinis requiratur potestas jurisdictionis, sive ordinariæ sive delegatæ, qui non habent ordinariam, habere debent delegatam, quæ communiter Episcopi approbatione conceditur.

Debet autem hæc approbatio eſse. 1mo: Actualis, reipsa obtenta. Hinc non valet approbatio ſperata, aut ratihabitio præsumpta. Quia ad validam Sacramentalem absolutionem requiritur jurisdictio actualis, quam non tribuit approbatio ſperata, aut quæ facillime concederetur, si peteretur, neque etiam ratihabitio præsumpta. Unde absolutiones sic datæ ex ſequenti Episcopi approbatione, ratihabitione, non convalescunt, quia non firmatur tractu temporis quod ab initio irritum fuit. Non est vero necessaria approbatio expreſsa, quæ ſcilicet verbis expreſsis, aut ſcripto datur, ſed ſufficit tacita, qualis eſse censetur, cum Episcopus ſciens, & noscens quid agatur, in id consentit, unde non est tacita conceſsio, dum res nescitur, & ignoratur. 2do: Debet eſse signo aliquo exteriore declarata,

rata, approbatio enim pure interior, & consensus Episcopi nullo signo externo declaratus, non valet, quia potestas jurisdictionis quæ in tribunali Pænitentiæ necefsaria est, more humano conferri debet. *3tio:* Debet concedi ab Episcopo loci, in quo audiuntur Confefsiones, quare approbatus in una Diæcesi, non potest in alia Diæcesi confefsiones audire, sine approbatione Episcopi illius Diæcesis. Quia approbatio ad audiendas confefsiones, est actus jurisdictionis, quæ ad eos non extenditur, qui fubditi non funt. Porro alterius Diæcesis incolæ, non funt fubditi huic Episcopo, qui quempiam ad Confefsiones audiendas approbavit, in eos ergo jurisdictionem exercere non potest, neque ulli, in ipsos eam delegare valet. Unde etiam Concilium Tridentinum simplicibus Sacerdotibus, atque Religiosis, ut Confefsiones audire, fuosque pænitentes absolvere pofsint, statuit approbationem *ab Episcopis* efse necefsariam, hoc numero plurali significare volens, in diversis Diæcesibus, diversas requiri Episcoporum approbationes, quapropter Alexander 7mus Papa oppositum damnavit. Imo etiam Sacerdos Sæcularis, ac Regularis in una Diæcesi approbatus, non potest valide absolvere in alia Diæcesi fubditum Diæcesis in qua est approbatus, & ita constituit Clemens Papa 10. Constit: quæ incipit: *Superna*: ubi decernit: *Religiosos ab Episcopo ad Confefsiones Sæcularium in fua Diæcesi audiendas approbatos, non pofse in alia Diæcesi eos absque Episcopi Diæcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes fubditi sint ejus Episcopi, á quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.* Idem dicendum est de Sacerdotibus Sæcularibus. Quia jurisdictio delegata, pendet in fui exercitio ab approbatione Episcopi illius loci, in quo confefsiones audiuntur. Unde à contrario Sacerdos Sæcularis sive Regularis approbatus in una Diæcesi, potest in ea Confefsiones audire, atque absolvere fubditos alterius Diæcesis, pro qua non est approbatus, & quidem etiam à Casibus ibi reservatis, fed non reservatis in fua Diæcesi pro qua est approbatus. Et ita iterum decrevit Clemens 10. in laudata Constitutione his verbis: *Pofse autem Regularem Confefsarium in ea Diæcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diæcesi á peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi ibidem Confefsarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis, ad alienam Diæcesim pro absolutione obtinenda migrafse.* Idem dicendum est de Sacerdote Sæculari ad audiendas Confefsiones approbato, ob tacitum

Epi-

Episcoporum consensum, communi consvetudine firmatum. Hinc mercatores, litigantes, peregrini, & alii ex aliis etiam Diæcesibus ad Nundinas, aut lucrandas Indulgentias confluentes, pofsunt absolvi à Confefsariis loci ubi confitentur, Nam jurisdictio delegata locum afficit, & tales jure communi, & ex consvetudine ubique Episcopis nota, & tacite approbata, quoad Pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, jurisdictioni loci, in quo versantur, fubjecti efse censentur.

Quæres 6to: Qui non indigent Episcopi approbatione ad audiendas fidelium Confefsiones?

Resp: Ad audiendas fidelium Confefsiones fpeciali Episcopi approbatione non indigent. *1mo:* qui actu Beneficium pofsident, cui animarum cura est annexa, fed hoc respectu fuorum Parochianorum, & illorum qui ratione domicilii aut quasi domicilii in hac Parochia fixi, ipsis fubjecti funt quoad recipienda ab illis Sacramenta. Parochianorum, qui in eos ordinariam habet jurisdictionem, ac proinde delegata non indiget, & eo ipso ad audiendas fuorum Parochianorum Confefsiones censetur efse ab Episcopo approbatus, quod tale ei beneficium conferatur. Quare & Concilium Tridentinum à necefsitate obtinendæ ab Episcopo, ad audiendas Confefsiones approbationis, exemit eos, *qui parochiale beneficium obtinent.* Resignato autem Beneficio, jam Parochus neminem valide absolvere potest sine fpeciali Episcopi approbatione, quia cum jam non habeat Parochiale beneficium, jurisdictio ipsius ordinaria cefsavit. Verum ut Parochus extra fuam Parochiam aliorum Parochianorum Confefsiones audire pofsit, fpeciali Episcopi indiget approbatione, quia in illos cum non habeat jurisdictionem ordinariam, delegata omnino indiget, quæ cum ipsi ab eorum Parocho concedi nequeat, ab Episcopo haberi debet. *2do:* Prædicta Episcopi approbatione non indigent Religiosi respectu Religiosorum fui Ordinis, fed fufficit iis approbatio fui Ordinis Prælati, quia cum Prælati Regulares, quales funt Abbates exempti, Ordinum Generales, Provinciales, habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in sibi fubditos; illis ex jure communi, & antiquo competit facultas approbandi ad audiendas fuorum Religiosorum Confefsiones, & hac in re nihil Concilium Tridentinum innovavit. Verum Religiosus, sive à fui Ordinis Prælato, sive etiam ab Episcopo approbatus, non potest audire Confefsiones alterius Ordinis personarum, nisi forte ipsi Religiosi, qui confiteri volunt, opportunam ad id

ſuorum Prælatorum habeant licentiam. Sed itinerantes Religiosi, aut quacunque de causa extra Monasterium existentes, si ſui Ordinis ſocium cui confiteri poſsint, non habeant, poſſunt cuicunque approbato Sacerdoti, sive Sæculari à ſuo Episcopo, sive Regulari à ſuo Prælato, confiteri. Et ita Benedictus 14tus Tract: de Sacrificio Miſsæ libro 3. Cap: 11. conceſsit: *Cuilibet Regulari, sive Sacerdoti, sive Converso, dum extra Claustra moratur, cum bona venia, & in loco ubi non alius quispiam ex eorum Ordine reperiatur facultatem confitendi peccata, & absolutionem recipiendi à quocunque Sacerdote, qui vel Sæcularis à ſuo Ordinario, vel Regularis à ſuo Superiore ad confeſsiones audiendas sit approbatus.* Et hanc facultatem extendit idem Pontifex etiam ad casus juxta Constitutionem Ordinis reservatos, & ad censuras in quas inciderint, addita tamen obligatione, ubi primum potuerint, coram ſuo Superiore ſese sistendi, & novam ab illis casibus, & censuris absolutionem impetrandi.

Sed etiam approbatione Episcopi non indigent Regulares respectu illorum quoque Sæcularium, qui in Monasteriis eorum, ſunt continui eorum commensales. Et ita constituit Clemens 10mus Papa in Bulla quæ incipit *Superna*: his verbis: *In monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta instituta Regularia vivitur, poſse tam Prelatos Regulares, quam Confeſsarios Regularium eorundem Monasteriorum ſeu collegiorum, audire Confeſsiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.* Censentur vero de familia eſse, & continui commensales, etiam qui ipsis Regularibus deserviunt, ſed intra Monasteriorum ſepta resident, ac ſub illorum obedientia vivunt, non quidem ratione voti, ſed ratione ſervitutis pro qua, ſolario ſunt stipati. Quare conceſsio Clementina ad illos tantum deservientes non extenditur, qui tantum deserviunt Monasteriis, ſed in eis non ſunt de familia, nec continui commensales, atque cum ceteris exteris Sæcularibus extra Monasteria habitant & vivunt.

Quæres 7mo: Quæ annotanda, atque advertenda ſunt, circa istam ab Episcopis dari ſolitam approbationem?

Resp: Sequentia annotari & adverti debent. 1mo: potest Episcopus approbationem quoad tempus, locum & personas limitare. Quia approbatio, quam ad audiendas fidelium Confeſsiones, dat Episcopus, tota ab ejus dependet voluntate. Ergo illam quoad tempus, locum, & perso-

nas,

nas, limitare, ac restringere potest. Quare damnata est ab Alexandro 7. sequens propositio: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex causa revocare.* 2do: approbationem ad certum tempus datam, eo finito desinere, quia hæc est Episcopi approbantis voluntas, ac proinde sine obtenta approbationis prorogatione, datæ absolutiones nullæ sunt. 3tio: approbatio quæ datur sine limitatione temporis, permanet donec revocetur. 4to: approbatio ab Episcopo data, non expirat morte, aut cessione illius, quod etiam quotidiana constat praxi, alias grave, atque periculosum esset, si Sacerdotes quotquot in Diæcesi delegati sunt, simul omnes à potestate audiendi Confessiones exciderent. Et id quoad casus etiam reservatos locum habet.

Quæres 8vo: Qui Monialium Confessiones excipere potest?

Resp: Generaliter, ad audiendas fidelium Confessiones, ab Episcopo approbatus, Monialium cujuscunque Ordinis, sive Episcopo sint immediate subjectæ, sive Regularibus subditæ, si in illa approbatione expressa earum non sit facta mentio, Confessiones audire nequit. Ita constituit Clemens 10. Papa Constit: quæ incipit: *Superna:* his verbis: *Generaliter approbatos ab Episcopo ad audiendas personarum Sæcularium Confessiones, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minime audire posse confessiones Monialium alterius Monasterii. Ibidem Confessarios extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi, illarum Confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.* Quare non solum Sæculares Sacerdotes, & Parochi, in quorum Parochiis Monialium Monasteria sita sunt, generaliter ab Episcopo ad audiendas fidelium Confessiones approbati, non possunt Monialium excipere Confessiones, sed neque ipsi Regulares, etsi ipsis Moniales sint subjectæ, & illorum regimini subditæ, sed ad id opus est speciali, & expressa Episcopi destinatione, & approbatione.

Quæres 9no: Quid sit casuum reservatio?

Resp: Casuum, seu peccatorum reservatio, est sub-

tractio potestatis absolvendi à certis peccatis, salva potestate absolvendi ab aliis. Reservare autem certa peccata, potest non solum Papa in tota Ecclesia, sed etiam Episcopus in tota Diæcesi, atque etiam Prælati Regulares in suo Ordine. Qui autem generaliter ad audiendas Confessiones, approbati sunt, à reservatis valide absolvere nequeunt, quia pro talium absolutione necessaria potestate, jurisdictioneque carent.

Quæres 10mo: Quænam requiruntur, ut peccatum quodpiam censeatur esse reservatum?

Resp: Tria requiruntur. *1mo:* Debet esse mortale, quia venialium reservatio inutilis foret, cum non sint necessario confitenda. Hinc peccatum nullatenus est reservatum, quoties à mortali excusetur, sive propter ignorantiam, sive ob defectum plenæ deliberationis, ut contingit in iis primis motibus, qui advertentiam ad lethale peccatum necessariam impediunt. Quare ut à Censuris, sic à reservatione excusare potest ignorantia, aut inadvertentia venialiter solum culpabilis. In casibus etiam Papæ reservatis, quidquid excusat à Censura, excusat etiam à reservatione, quia casus illi nonnisi propter censuram reservari solent. Sed hic advertendum est, materiam, quæ secundum se levis est, vel etiam indifferens, ex circumstantiis tamen, & fine, quem sibi Legislator præstituit, posse esse gravissimam, & prohiberi etiam sub censuris reservatis, quia nimirum viam aperit multis criminibus. Sic plures Episcopi, propter gravissimas causas, prohibuerunt Clericis popinas frequentare, chartarum ludos, licet chartis ludere, aliquando nullum sit peccatum, & temperanter in popina comedere, & bibere, non sit res per se mala.

2do: peccatum ut reservetur, debet esse externum. Alias per reservationem peccatorum internorum inijceretur intollerabilis fidelibus laqueus, qui sæpe sunt anxii an cogitationibus internis consenserint, vel non. Hinc Hæresis & Simonia mere mentalis, quamvis gravia coram Deo sint peccata, non contrahunt pænas juris, quare qui intus, & in corde dicit: *Nullus est infernus:* â quolibet approbato Sacerdote absolvi potest. Secus si hæresim hanc dicto, aut facto, etiam nemine conscio manifestasset, esset enim jam peccatum externum, quamvis aliis ignotum. Quamvis autem peccatum externum, ex prava agentis intentione sit mortale, si tamen in opere externo sit veniale, ut si quis affectu libidinoso tangat manum Monialis, illud non erit reservatum. Quia ad reservationem requiritur

ritur peccatum exterius mortale, cum itaque alterutrum deficit, nulla est reservatio, ac propterea cum actus exterior leve peccatum est, licet intentio agentis graviter sit peccaminosa, reservatio non incurritur.

3tio: peccatum reservandum debet eſse in ſuo genere consummatum, quia reservatio, utpote pænalis restringi debet, ac proinde opus nonnisi attentatum, ſed non completum, non debet censeri eſse reservatum. Hinc si reservatum sit homicidium, is dumtaxat reservationi ſubjacet, qui de facto occidit, non qui vulneravit, verberavit, ſed mors ſecuta non est, aut ſecuta, ſed non ex inflicto vulnere, verum ex inopinato casu, qui præviderí non poterat. Pariter si reservata sint, adulterium, incestus, qui hæc non plene exercuit, neque complevit, liber est à reservatione. Aliquando tamen reservantur etiam actus non consummati, sic ſola provocatio ad duellum, & ejusdem acceptatio reservantur, etiamsi non ſequatur conflictus. Peccatum tamen ante reservationem commiſsum, dum post factam reservationem illud quispiam confitetur, nonnisi ab illo Sacerdote absolvi potest, qui pro reservatis approbatus est.

Quæres 11mo: Utrum peccata dubia censeantur eſse reservata?

Resp: Plurimi Theologi docent in dubio facti non contrahi reservationem,, unde peccata dubia non censentur eſse reservata. Quia reservatio est odiosa, ac proinde restringi debet ad casus certos, non extendi ad dubios. Ideoque qui dubitat an Clericus eſset, quem percuſsit, reservationi non ſubjacet. Pariter qui admisit peccatum ex ſuo genere reservatum, ſed dubitat, an illud admiserit cum advertentia, vel consensu ad mortale ſufficienti, non incurrit reservationem.

Sed in dubio juris, quod provenit ex ipsa ambiguitate legis, stat reservatio. Neque tunc Confeſsarius, qui non est pro reservatis approbatus, pænitentem ſuum absolvere potest. Quia in Sacramento Pænitentiæ jurisdictione ac potestate ad absolvendum dubia uti non licet. Cum vero occurrit casus de quo legitime dubitatur, propter ambiguitatem juris, an sit reservatus, an non, tunc in Confessario pro reſervatis minime approbato, potestas absolvendi, jurisdictioque illius dubia est. Illa ergo uti nequit, neque tunc pænitentem ſuum absolvere valet.

Quæres 12mo: Quæ præterea circa reservationem casuum ſciri debent?

Resp:

Resp: Sequentia. *1mo:* Reservatio contrahitur etiamsi invincibiliter ignoretur, nam non est proprie pæna, sed legis ordinatio, neque contumaciam ipsa in peccante requirit. *2do:* in materia reservationis valet istud: *Favores auge, restringas odia:* quia reservatio strictiori, quo prudenter potest, sensu, intelligi debet, & ejus tollendæ extendi potestas. Sic approbatus à Papa pro casibus reservatis, pro censuris etiam approbatus intelligitur, quia omnes pene casus Pontificii, ratione censuræ iisdem annexæ, reservantur. Sic etiam peccatum tunc solum reservatur, quando completum est. Verum hæc regula in pluribus fallit, qui enim ab Episcopo pro casibus reservatis approbatus est, non ideo à Censuris ab eo latis absolvere potest, & qui ab eodem habet jus eligendi sibi Confessarium, non idcirco, si *communem*, hoc est: pro reservatis non approbatum eligat, à reservatis per eum absolvi poterit. *3tio:* in eadem materia non valet argumentum à fortiori, & eo magis non valet à pari. Hinc male quis arguet. Reservata est lectio librorum Hæreticorum, ergo à potiori reservata est auditio Concionis eorum. Potuit enim illa, non hæc prohiberi, & reservari. *4to:* reservationem, adversus eos, qui crimen exequuntur, latam, non afficere eos, qui crimen illud mandarunt, nisi ipsi mandantes lege reservationis comprehendantur.

Quæres 13tio: Qui possunt à reservatis absolvere?

Resp: A casibus reservatis absolvere valet potestate ordinaria is, qui reservavit, ejus successor, & ipso in foro Pænitentiæ Superior. Hinc Papa absolvere potest à Casibus, quos sibi Episcopi reservarunt. Non tamen Archiepiscopus, qui est Episcopo superior, nonnisi in foro exteriori, non autem in foro interiori. Et hi etiam extra Sacramentum Pænitentiæ possunt solam reservationem tollere, pro Sacramentali â peccatorum culpa absolutione, ad quemlibet Sacerdotem remittendo. Delegata vero potestate, à reservatis absolvere potest ille, qui ad hoc specialiter est approbatus ab eo, qui ordinariam in reservata habet potestatem. Quia fidelium interest, ut qui reservat, facultatem à reservatis absolvendi communicare valeat, atque hæc est totius Ecclesiæ praxis. Jam vero hæc delegata potestas à reservatis absolvedi, morte delegantis non cessat. Ceterum cui datur delegata, imo etiam ordinaria quædam, ut Parochis, facultas audiendi Confessiones, non ideo datur potestas absolvendi à reservatis, sed hæc expresse, & specialiter concedi debet. Neque etiam cui datur gene-

ralis

ralis facultas à reservatis absolvendi, ideo ſemper datur facultas ab universis prorsus reservatis absolvendi, quia aliquos nonnunquam sibi ſpecialiſsime Episcopi reservare poſsunt casus. Tandem qui ſpecialiſsimam à reservatis absolvendi habet facultatem, quoad Moniales illam exercere non valet.

Confeſsarius autem *communis*, ſeu à reservatis non approbatus, potest ex aliena Diæcesi confitentem, absolvere à reservatis etiam in illa Diæcesi peccatis, sive cum Censura, sive sine censura sint reservata, modo non sint reservata in hac Diæcesi, in qua ipse audit Confeſsiones, quodsi in hac Diæcesi in qua ipse Confeſsiones excipit, peccata, quæ pænitens ex aliena Diæcesi adveniens, confitetur, sint reservata, quamvis in Diæcesi pænitentis reservata non sint, non potest eum absolvere. Quia tota jurisdictio Confeſsarii ab illo Episcopo dimanat, in cujus Diæcesi confeſsiones excipit, alius Episcopus nec datam ipsi à ſuo Episcopo potestatem constringere, nec dilatare potest, ac proinde quemcunque sibi confitentem absolvere potest, si peccata in hac Diæcesi reservata non sint, licetsi alibi reservata sint, non potest absolvi si hic reservata ſunt, quamvis alibi reservata non sint. Hic tamen duo advertenda ſunt. *1mo:* eos, qui ad alienam Diæcesim emigrant in fraudem reservationis, ut absolutionis obtinendæ difficultatem, & correctionis ſeveritatem effugiant, non poſsunt absolvi, quamvis in ea Diæcesi, ad quam confeſsionis causa venerant, eadem peccata non sint reservata. Non censetur vero in fraudem reservationis venire, qui more communi, exg. occasione festi ſollemnis, Indulgentiarumque, vicino alterius Diæcesis Sacerdoti confitetur. Parochus tamen, ſui parochiani extra ſuam Diæcesim excipiens Confeſsionem, potest eum absolvere etiam á peccatis ibi reservatis, ubi transeunter ipsius audit Confeſsionem, quia tota ejus absolvendi potestas non provenit ab Episcopo loci in quo tunc ſui parochiani excipit confeſsionem, ſed illam habet ex ſuo officio, ac Beneficio, quod poſsidet. *2do:* à censura quæ dicitur *ab homine*, & quæ per ſpecialem ſententiam in aliquem fertur, in aliena Diæcesi absolvi nemo potest, quia ubique ipsa ille constringitur.

Quæres 14to. Utrum á communi Confeſsario absolvi possit, qui hic & nunc absolvi indiget, quia ei gravis incumbit celebrandi, aut communicandi neceſsitas, & pecca-

to

to reservato onustus, non habet Confeſſarium pro reservatis approbatum?

Resp: In tali casu reservato peccato onustum, *á communi* Confeſsario absolvi non poſse, quia illa absolutio foret nulla, cum ejusmodi Confeſsario desit potestas absolvendi. Quare qui tali casu gravis neceſsitatis celebrandi, vel communicandi constrictus est, elicito fervido contritionis actu, poterit celebrare, aut communicare, quia tunc ei copia Confeſsarii deeſse censetur, ſed à communi Confeſsario absolvi nequit. Neque etiam tunc *communis* Confeſsarius poterit directe absolvere à peccatis non reservatis, & indirecte à reservatis, cum enim unum peccatum mortale sine alio remitti nequeat, nullatenus potest pænitens absolvi à non reservatis, quin simul absolvatur à reservatis, ab his autem absolvere communis Confeſsarius nequit, quia in ea potestatem non habet, ergo neque absolvere potest â non reservatis. Hinc etiam qui apud *communem* Confeſsarium peccata deposuit, & reservati inculpabiliter oblitus est, istud si in memoriam redeat, Sacerdoti pro reservatis approbato aperire debet, quia legi reservationis non ſatisfecit, atque reservatio non est ſublata. Quodsi pænitens apud Sacerdotem pro reservatis approbatum confeſsus sit, unanimiter Theologi censent, reservationem tunc eſse ſublatam, adeoque latis eſse ut peccatum illud *communi* Confeſsario declaretur. Attamen si illa confeſsio apud approbatum pro reservatis facta, fuiſset culpabiliter nulla, videlicet quia voluntarie grave aliquod celavit peccatum, reservatio non est ſublata, quia pro reservatis approbatus non potest reservationem tollere, nisi Sacramentaliter à peccatis absolvendo. Cum igitur absolutio illa irrita sit, & nulla, reservatio non est ſublata.

Quæres 45to: Quomodo ſe gerere debet communis Confeſſarius, qui quempiam á reservatis peccatis incaute absolvit?

Resp: Irrita est, & nulla hujusmodi absolutio, quia Confeſsario defuit absolvendi potestas, quare talis Confessarius curare debet, ut caute præmoneat Pænitentem erroris à ſe commiſsi. Quodsi id præstare tuto nequeat, Pænitentem bonæ fidei relinquere debet, ſpe consequendæ ab ipso justificationis in ſubsequenti confeſsione. Ille siquidem in ſubsequenti confeſsione, & à non reservatis, quæ tunc deponet, directe absolvetur, & indirecte à reservatis, quæ jam confeſsus est, & quorum amplius conscientiam non habet. Alias, reservatio non in utilitatem, ſed in da-

damnum fidelium cederet. Tunc ergo censetur Ecclesia defectum potestatis supplere.

Quæres 16to: Quotuplicis sunt generis casus reservati?

Resp: Duplicis sunt generis, alii sunt Papæ, alii Episcopo reservati. Casus Papæ reservati alii in Bulla *Cœnæ Domini:* continentur, alii extra illam positi sunt. Et horum accuratam notitiam quilibet Confessarius habere debet, ne forte ultra competentem sibi potestatem in Sacramento Pænitentiæ agat, & eum absolvat, quem absolvere nequit. Casus autem Papæ reservati, & in Bulla *Cœnæ Domini:* contenti, sunt sequentes, qui etiam in Rituali Provinciali describuntur, latæ siquidem sunt in prædicta Bulla Excommunicationes soli Papæ reservatæ.

1ma: contra Hæreticos cujuscunque sectæ, eorum fautores, defensores, eorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, nec non Schismaticos, & eos qui se â Romani Pontificis obedientia pertinaciter subtrahunt, & recedunt.

2da: contra eos, qui Christianorum quorumcunque navibus tempestate jactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem eiecta, in mari, vel in littore inventa, cujuscunque generis bona, in cujuscunque maris regionibus & littoribus surripuerint.

3tia: contra falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma brevis, ac supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, aut de mandato ejusdem signatarum, nec non contra fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma brevis, & etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut vices prædictorum gerentium.

4ta: contra interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Urbem Romam causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, favorem.

5ta: contra interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ legatos, vel Nuncios, aut eos â suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis eijcientes, nec non ea mandantes, vel rata haben-

habentes, ſeu præstantes eis qui talia perpetrant, auxilium, consilium, favorem.

6ta: contra eos, qui ad Romanam curiam pro eorum causis, & negotiis recurrentes, eorum advocatos, Procuratores, vel Judices ſuper his deputatos, offendunt, mutilant, occidunt, verberant, aut bonis ſpoliant, aut executionem litterarum Apostolicarum, sive aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent. ac etiam contra appellantes à gravamine, vel futura litterarum Apostolicarum executione ad laicam potestatem. Demum contra Officiales Principum Sæcularium, & Prælatos Ecclesiasticos, qui causas Ecclesiasticas, à Judicibus Apostolicis avocant, & actores ad revocanda impetrata compellunt.

7ma: contra Judices Sæculares, qui personas Ecclesiasticas, præter Juris Canonici dispositionem ad ſuum tribunal trahunt, vel trahi faciunt, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, lædunt, deprimunt, unde quarumcunque Ecclesiarum juribus, quomodolibet præjudicatur.

8va: contra impedientes Prælatos Ecclesiasticos, ne ſua Ecclesiastica jurisdictione utantur, ac contra eos, qui illorum, ac delegatorum judicia eludunt, ad Curias ſæculares recurrunt, contra illos prohibitiones, mandata, procurant, exequuntur, aut in his consilium, auxilium, favorem, præstant.

9na: contra usurpantes quarumcunque Ecclesiarum jurisdictiones, fructus, reditus, proventus, aut eos ſequestrantes. Pariter contra Judices Sæculares in Causis criminalibus contra personas quascunque Ecclesiasticas, ſe interponentes, proceſsando, ſententias proferendo, aut exequendo.

Sunt quoque alii Casus, illisque annexæ Excommunicationes Papæ reservatæ extra Bullam *Cœnæ Domini:* positæ, ex quibus præcipuæ, quarum notitia Confeſsariis neceſsaria est, hic breviter, & compendiose annectuntur.

1ma: Contra eos, qui violentas manus in Clericum vel Monachum injecerint.

2da: Contra Sacrilegos, qui cum effractione ſpoliant Ecclesias.

3tia: Contra Simoniacos, in Beneficiis, sive Ordinibus Simoniam committentes, & eorum mediatores. Similiter contra accipientes, & retinentes aperte, vel occulte, quæcunque Beneficia in confidentiam. Ac tandem contra

tra accipientes aliquid ex fructibus Beneficii vacantis, in collatione, aut provisione eorum.

4ta: Contra alienantes bona Ecclesiastica in detrimentum Ecclesiarum, piorumque locorum. Pariter contra consentientes usurpationibus istiusmodi, atque etiam contra occupantes bona, & census Ecclesiarum, & piorum locorum.

5ta: Contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ, cum in loco sacro aliquis, in rebus, vel in persona offenditur, vel extrahitur de Ecclesia.

6ta: Contra eos, qui inducunt aliquem ad vovendum, aut jurandum, de eligenda vel de electa non mutanda sepultura in ſuis Ecclesiis.

7ma: Contra Religiosos administrantes Sacramenta Extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ vel Matrimonia ſollemnisantes, sine licentia Parochorum.

8va: Contra absolventes ſub prætextu Privilegiorum, â Casibus Bullæ *Cœnæ Domini*: aliisque Casibus Papæ & Loci - Ordinario reservatis.

9na: Contra fæminas ingredientes Clausuram Monasteriorum Regularium. Item contra fæminas, sive masculos ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non neceſsariis.

10ma: Contra simulantes, & fingentes se alios eſse pro Beneficiis in Dataria Romæ obtinendis. Item contra mentientes personas in litteris Apostolicis, ut earum expeditionem gratis aſsequantur.

Sed ſunt præterea alii casus Papæ reservati, qui tamen rarius in his Regionibus occurrunt, idcirco Confeſſarius ad Episcopum recurrere debet, si forte quosdam in Pænitentibus ſuis detegerit casus iis similes, qui hic enumerati ſunt, Maxime tamen advertendæ ſunt ſequentes Excommunicationes latæ, & Papæ reservatæ.

1ma: Contra pugnantes in duello, eidem adstantes, ad ipsum provocantes, illud consulentes, acceptantes, quamvis ipsa pugna non ſubsequatur.

2da; Contra eos qui mercimonia exercent ſuper stipendiis, atque eleemosynis Miſsarum, hoc est, qui stipendia Miſsarum colligunt in iis locis in quibus majoris sunt prætii, Miſsas vero celebrare curant in locis, in quibus pro minori prætio celebrari ſolent. Et hanc mercimoniam exercentes si Laici sint, Excommunicationem, si Ecclesiastici, ſuspensionem, Romano Pontifici reservatas incurrunt.

3tia:

3tia: Contra illos Sacerdotes, qui ſuos, in peccato turpi, & inhonesto contra Sextum Decalogi præceptum commiſso complices, abſolvunt. Hæc enim & nulla, atque irrita est absolutio, nisi in articulo mortis, & qui ſuum, extra casum extremæ neceſsitatis, nimirum in ipso mortis articulo, & deficiente tunc quocunque Sacerdote, qui munus Confeſsarii obire poſsit, absolvit complicem, Excommunicationem incurrit Papæ reservatam.

4ta, Tandem qui innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso ſollicitationis ad turpia in Confessione sibi factæ insimulant, à nullo, nisi à Romano Pontifice, excepto mortis articulo, absolvi poſsunt.

Quæres 27mo: Quæ circa Casus Papæ reservatos scitu digna, ac notatu neceſsaria sint?

Resp: Sequentia scitu digna, atque notatu neceſsaria ſunt. *1mo:* Casus qui per Bullam *Cœnæ Domini*: Papæ ſunt reservati, ſpecialiter ipsi eſse reservatos, unde qui generalem habet facultatem absolvendi à Casibus Papæ reservatis, non ideo potest abſolvere à casibus in Bulla *Cœnæ Domini* contentis. Imo etiam ex casibus hujus Bullæ, hæresis ſpecialius censetur eſse reservata, adeo ut necesse sit, quod in data facultate abſolvendi à Casibus *Cœnæ Domini*: hæresis expreſse ponatur, alias ab illa non poterit Confeſsarius abſolvere, qui generatim conceſsam sibi habet facultatem à Casibus *Cœnæ Domini*: abſolvendi. Sed insuper relapsus in hæresim adhuc ſpecialiſsime est Papæ reservatus, quapropter, ut quis ab eo absolvere poſsit, ſpecialiſsima indiget facultate, unde qui potest ab hæresi etiam abſolvere, non continuo potest abſolvere à relapsu in hæresim, nisi hoc ei expreſse, & distinctim conceſsum fuerit. Est autem relapsus in hæresim, quando quis, postquam pænitens errores abjuravit, iterum in hæresim relabitur.

2do: A casibus Papæ reservatis si occulti ſunt, poſsunt Episcopi abſolvere. Ita constituit Concilium Trident: Seſs: 24. Cap: 6. *Liceat Episcopis in quibuscunque Casibus occultis etiam Apostolicæ Sedi reservatis, delinquentes quoscunque sibi ſubditos in Diœcesi ſua, per ſe ipsum, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conscientiæ abſolvere.* Hoc tamen non extenditur ad casus Papæ reservatos, qui in Bulla *Cœnæ Domini*: continentur. Et id manifestum est ex verbis ipsius Bullæ *Cœnæ*, ubi expreſse adempta est Episcopis facultas absolvendi à Casibus in ipsa contentis, & reservatis, quomodocunque etiamsi per cujus-

cujuscunque Concilii decreta prius concefsa fuerit, sic enim in eadem Bulla Papa constituit. *Ceterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi pofsit, etiam prætextu quorumvis facultatum, & indultorum, per Nos, & dictam fedem, ac cujusvis Concilii decreta concefsarum, & innovatarum*: atque hoc declaratum est à Romanis Pontificibus Pio 5to, Gregorio 13tio, & Clemente 8vo. præterea Congregatio Concil: Trident: anno 1644. die 5. 9bris sic ultimo decrevit: *Congregatio censuit huic decreto Concilii Trident: Sefs: 24. Cap: 6. de Refor: non tantum in crimine hæresis, fed in omnibus casibus comprehensis in Bulla Cœnæ Domini, efse derogatum.* Quare in Casibus occultis Papæ reservatis, quæ extra Bullam *Cœnæ Domini*: positi funt, pofsunt Episcopi sive per se, sive per Vicarium fpecialiter delegatum in foro conscientiæ absolvere. Quodsi istiusmodi casus publici fuerint, ab iis Episcopi absolvere nequeunt. Neque etiam pofsunt Episcopi absolvere à Casibus intra Bullam *Cœnæ Domini*: contentis, etiamsi occulti sint, quia hac in re omnis potestas ipsis per prædictam Bullam ablata est. Verum tamen potest Episcopus resipiscentem hæreticum, aut fponte coram se comparentem, aut etiam ad fuum forum quoquomodo deductum, pro utroque foro absolvere, vel per se, vel per alium. Ita Benedictus 14. libro 9. Cap: 4. de Synodo Diæcesana.

3tio: A casibus Papæ reservatis Episcopi absolvere pofsunt, quando impofsibilis, aut valde difficilis est accefsus ad Romanum Pontificem. In hoc autem eventu absolvere Episcopi valent ab omnibus censuris, & casibus Papæ reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ Domini*: contentis, etiam hæresi, sive delicta hæc publica sint, sive occulta. Tunc vero reputatur aut impofsibilis, aut valde difficilis accefsus ad Romanum Pontificem, quando adest periculum mortis, læsionis, gravis infirmitatis in via, gravis debilitas, ætas senilis, aut juvenilis, exercendi officii alterius potestati fubjecti necefsitas, obligatio alendi filios, & filiorum obediendi parentibus, tandem fæmineus fexus. Hæc funt impedimenta quæ valde difficilem reddunt accefsum ad Romanum Pontificem, & propter hæc à Casibus ipsi reservatis, sive occultis, sive publicis, etiam in Bulla *Cœnæ Domini*: contentis, ab ipsa quoque hæresi, Episcopi absolvere pofsunt. Impediti vero personaliter adire Romanum Pontificem, & qui physice, vel moraliter præ

senio

senio, ſexu, infirmitate, bello, statu, conditioneque ſua, ſimilibusque de cauſis id præſtare nequeunt, non tenentur mittere Procuratorem, aut ſcribere ad ſacram Pænitentiariam pro obtinenda abſolutione â caſibus Papæ reſervatis, quia id jura non exigunt, ſed tantum requirunt, ut tunc ad Epiſcopum recurrant, & ipſi ſe ſiſtant, a quo abſolvantur. Qui tamen tunc propter occurrentia impedimenta, ab Epiſcopo abſolvuntur, his ceſſantibus, tenentur ſe Romano Pontifici præſentare, non ut ab eo abſolvantur, quia jam abſoluti ſunt, ſed ut legi ſtatutæ ſatisfaciant.

Quæres 18vo: Qui ſunt caſus Epiſcopo reſervati?

Resp: Sunt caſus alii jure communi Epiſcopo reſervati, alii per ſtatuta Synodalia, alii denique per edicta ab Epiſcopis promulgata. Verum juxta præſentem diſciplinam Epiſcopi dum in ſcriptis ad audiendas fidelium Confeſſiones approbationes ſuas concedunt, ſolent ſtatim exprimere Caſus ſibi reſervatos, â quibus poteſtatem abſolvendi, ſibi tantum retinent.

Porro Regulares, qui vi ſuorum Privilegiorum, quæ ipſis Romani Pontifices conceſſerunt, licetſi poſſint abſolvere à nonnullis Caſibus Papæ reſervatis, non poſſunt tamen abſolvere à caſibus quos ſibi Epiſcopi reſervarunt & id eo usque certum eſt, ut Alexander 7mus hanc damnaverit propoſitionem: *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.*

Quæres 19no: In articulo mortis utrum omnis ceſſat reſervatio?

Resp: In articulo mortis omnis ceſſat reſervatio, unde quilibet Sacerdos, etiam ad Confeſſiones audiendas non approbatus, ab Eccleſia nominatim excommunicatus, degradatus, ſchiſmaticus, vel hæreticus, quemlibet pænitentem, à quovis peccato abſolvere poteſt. Id patet ex Concilio Tridentino Seſſ: 14. Cap: 7. ubi ſic habetur: *Pie admodum, ne hac ipſa* (caſuum reſervatorum) *occaſione aliquis pereat, in Eccleſia cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pænitentes à quibusvis peccatis & cenſuris, abſolvere poſſunt.* Quemadmodum ergo in articulo mortis quoslibet pænitentes etiam excommunicatos abſolvere licet, ita etiam omnes Sacerdotes, excommunicati, degradati abſolvere poſſunt, ne ſcilicet aliquis periret.

Per articulum autem mortis intelligitur grave, ac mora-

morale mortis periculum. Nam articulus mortis, & morale illius periculum, in hac materia ab Ecclesia pro eodem usurpantur. Unde & Rituale Romanum titulo de Pænitentiæ Sacramento sic habet: *Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, & censuris, quamtumvis reservatis, cessat enim tunc omnis reservatio.*

Certe pia mater Ecclesia non censetur velle quemquam exponi probabili periculo damnationis. Porro in articulo mortis, stricte illud sumendo, quando jam vita desperata est, sæpe, imo fere semper fieri nequit confessio, nec recte disponi valet pænitens ad sacramentalem absolutionem recipiendam. Quare in periculo mortis constitutus is censendus est, de quo incertum est, an de infirmitate sua evadere potest. Quoti enim ea incertitudine delusi, vel nullam darent moribundo absolutionem, vel tunc tantum darent, cum salutaribus destituta monitis multo minus prodesset.

Si tamen in periculo, & articulo mortis, adsit Confessarius approbatus, qui promptus sit ad Confessionem excipiendam, probabilius est, non posse simplicem Sacerdotem absolvere, quia tota ratio propter quam conceditur simplici Sacerdoti facultas tunc absolvendi, est, ut dicit Concilium Tridentinum, *ne aliquis pereat*, scilicet non absolutus, propter defectum Confessarii approbati. Cessante ergo tali necessitate, cum adest Confessarius approbatus, Sacerdos non approbatus absolvere moribundum non poterit. Si tamen simplex Sacerdos jam incepisset Confessionem, quando approbatus supervenit, is potest illam continuare, quia legitima potestas qua inchoata fuit Confessio, non expirat, nec interrumpitur propter adventum approbati Sacerdotis. Similiter si quando is qui approbatus est, nollet audire Confessionem, simplex Sacerdos potest audire, & absolvere.

Hic duo notari debent. *1mo:* Absoluti in periculo mortis à casibus reservatis, qui habent censuram annexam, si convalescant tenentur Papæ, vel Episcopo respective se præsentare, mandata ipsius humiliter suscepturi & parti læsæ prout justitia svaserit, satisfacturi. Quodsi elapso mortis periculo, cum commode possint, non se Papæ, vel Episcopo præsentaverint, & parti læsæ, in quantum possunt, satisfacere renuant, reincidunt in Excommunicationem. Absoluti vero in mortis periculo à casibus reservatis, qui nullam habent annexam censuram, si conv ales-

valescant, non tenentur se præsentare Superiori qui illos casus sibi reservavit. Quia jus in articulo mortis à reservatis absolutis, tunc solum onus præsentandi se ei, cui casus reservati sunt, imponunt, quando illi reservati casus annexam habuerunt censuram. non vero quando casus reservati sunt sine censura,

2do: Sacerdos, si complex illius in turpi, & inhonesto peccato, in periculo mortis versetur, non potest se ad audiendam illius confessionem ingerere, imo omni industria curare debet ut alius Sacerdos advocetur, etiam simplex & non approbatus, quæ si neglexerit, & ipse se ingesserit ad audiendam complicis Confessionem, valida quidem est data ab ipso absolutio, verum ipse sic suum absolvens complicem, incurrit Excommunicationem Papæ reservatam. Quodsi omnem adhibuerit diligentiam, ut alius advocaretur Sacerdos ad excipiendam complicis Confessionem, & minime reperiri poterat, aut alius advocari non poterat sine gravi scandalo, & infamia, tunc perinde est ac si nullus alius adesset Sacerdos, atque eo in casu suum ipse complicem & valide, & licite absolvere posset, neque Excommunicationis Papæ reservatæ, reus efficeretur. Ita decrevit Benedictus 14. in Bulla: *Apostolici muneris.*

ARTICULUS 2dus

De Obligationibus Confessariorum.

Quæres 1mo: Quæ sunt obligationes Confessariorum?

Resp: Duæ sunt præcipuæ Confessariorum obligationes, *1mo.* Ut distinctam & accuratam peccatorum quoad, numerum, species, & circumstantias à pænitente eliciat confessionem. *2do:* Ut solvat pænitentem, qui solvi debet; sacramentalem largiendo absolutionem illi, qui ad eam recipiendam rite dispositus est, & liget qui ligandus est, illi absolutionem denegando, cui aut periculose, aut inutiliter concederetur. *3tio:* Ut inviolabile Sacramenti Pænitentiæ secretum exactissime, & strictissime servet.

Quæres 2do: Quæ facienda sunt Confessario, ut accuratam, & exactam à pœnitente eliciat confessionem?

Resp: Tenetur pænitentem diligenter examinare de specie, numero, circumstantiis peccatorum, inquirere debet peccatorum causas, habitus, atque consvetudines occasio-

occasionesque illorum proximas. Unde Confeſsarius certam, in interrogationibus pænitenti faciendis, methodum ſequi debet, cujus ope singula Dei mandata, præcepta Ecclesiæ, delicta capitalia, obligationes statui pænitentis annexas, decurrat. Ad unumquodque peccatum mortale, inquirere debet Confeſsarius, quoties admiſsum fuerit, quoties animo propositum? Unde Concilium Lateran: 4. Cap: 21. inquit: *Sacerdos sit discretus, & cautus diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati.* Quare ſæpe neceſse est interrogare pænitentes de statu, ætate, officio. Non ſunt autem pænitentes interrogandi nisi de peccatis quæ verisimiliter committere poterant, & quæ communiter committi ſolent á personis ejusdem ætatis, ſexus, & conditionis. Non omnes autem eodem modo examinandi, & interrogandi ſunt, ſed modo cuique accommodato. Sic ceteris paribus, magis examinandi ſunt rudes, imperiti, quam periti ac timorati, item plus interrogandi ſunt, qui raro, minus qui frequenter confitentur. Cautio autem magna adhibenda est in examine de peccatis luxuriæ instituendo, ne ſcandalisetur pænitens, & mala quæ ignorat, doceatur cum periculo ea deinceps perpetrandi. Quare quærendum est à pænitente primum generaliter, num menti ipsius irrepserit turpis aliqua cogitatio, num opere aliquid inhonesti admiserit? Si affirmaverit, ulterius progrediendum erit, gradatim ad particularia descendendo. Cavendum tamen Confeſsario est, ne inutilia à ſuo pænitente exploret, ne fortunam, nomen ejus exquirat.

Quæres 3tio: An, & quando Confeſsarius ſuo pænitenti absolutionem dare debeat?

Resp: Danda est abſolutio pænitenti, quem Confeſsarius moraliter judicat rite eſse dispositum. Sicut tamen quæ hodie prodeſset medicina, ad aliquos dies differtur aliquando, quia creditur magis profutura, sic et quandoque jam dispositis potest ad aliquod tempus ſuspendi absolutio, cum prudenter judicatur futurum hinc, ut magis pænitens à peccando revocetur, nec vereri est, ne animo concidat, aut nimium affligatur. Differenda vero est abſolutio iis omnibus, quorum nulla est, aut dubia diſpositio, quare Confeſsarius maxime ſcrutari debet diſpositiones ſui pænitentis, *quasi Medicus vulnus, & judex causas*, ut ait S. Thomas Doctor: Nulla autem, aut ſaltem dubia est diſpositio eorum, qui vel in occasione pro-

 xima

xima peccandi, vel in criminis habitu versantur, qui scitu necessaria ignorant, illaque addiscere negligunt.

Quæres 4to: Quibus differenda est absolutio, propter ignorantiam rerum, quæ scitu omnino necessariæ sunt?

Resp: Neganda, & differenda est absolutio iis, qui præcipua fidei mysteria, Dei, & Ecclesiæ præcepta ignorant, atque illa addiscere negligunt. Et ideo damnata est ab Innocentio 11mo sequens propositio: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini Nostri.* Hinc S. Carolus Borro: in instruct: Confess: ita præclare docet: *Si Confessarius pœnitentem reperiat istorum omnium ignarum, nec ad ea quam primum discenda dispositum, non debet eum absolvere. Imo si ad ea discenda se paratum exhibuerit, si alias à Confessario suo, vel eodem, vel diverso, aut à suo Parocho sit admonitus, nec debitam diligentiam adhibuerat, ut ea secundum ingenii sui modum, captumque addisceret, differatur illi absolutio, donec huic obligationi aliqua saltem ex parte fecerit satis. Si vero ea de re nusquam antea monitus fuerit* (modo aliunde sufficienter dispositus sit) *absolvat, præmissa semper instructione de his rebus necessaria, ut sit in præsentiarum absolutionis capax.* Si tamen quis in periculo mortis constitutus, accuset se, quod primaria fidei Mysteria quæ necessario necessitate medii credenda sunt, addiscere neglexerit, ea hic & nunc edoceri nequeat, poterit quidem absolvi, quia pie credendum est, Spiritum S. qui ad hujus ignorantiæ confessionem, & detestationem moverat, id per se edocere, quod jam homo docere nequit, sed tamen absolutio dari debet sub conditione, si capax es, quia quorum fides necessaria est, ad salutem necessitate medii, sine eorum fide explicita nemo justificari potest, qui autem illa ignorat, fidem eorum non habet. Justificari ergo non potest. Ex hoc vero manifeste consequitur iterari Confessiones factas ab eo, qui præcipua fidei nostræ Mysteria, quæ necessitate medii sciri & credi debent, ignorat. Quodsi ignoraverit solum ea, quæ ex necessitate præcepti scienda, & credenda sunt. Videndum an ignorantia illa invincibilis & inculpabilis fuerit, an non? Si 1mum: necesse non erit ut iterentur præteritæ Confessiones. Si 2dum: iterandæ erunt factæ in tali statu confessiones, & accusandum præterea hujus ignorantiæ peccatum. Idem faciendum est, quando Confessarius pruden-

prudenter dubitat an ignorantia pænitentis graviter fuerit culpabilis, quod ſemper ſuſpicari debet, quando neglectæ fuerunt Conciones, Catechiſmi, propter incuriam ſalutis, atque desidiam.

Si pænitens adeo hebes sit, ut neceſsaria etiam neceſsitate medii addiscere non valeat, explorandum erit, an hebetudo illa oriatur ex prava cordis dispositione, quæ mentis oculum obscurat? an ex ingenii debilitate, & imbecillitate? Si *1mum*: quod ſæpe contingit, atque inde provenit, ut homo, dum etiam ſplendide de terrenis rebus discurrit, in iisque satis sit perspicax, in ſpiritualibus, & quæ ſalutem animæ ejus concernunt, plane sit cæcus, ſensim ergo debet excuti peſsimus ille animi affectus, atque torpor. Si *2dum*: Confeſsarius nulli labori parcere debet, ut hisce rudibus, fidem obtinendæ saluti, omnino neceſsariam, inculcet, scitu neceſsaria quoquomodo eos doceat. Quods post repetitas Catecheses, perseveret illa mentis hebetudo, & pænitens sincerum addiscendi neceſsaria demonstret studium, ac præterea christiane vivat, à vitiis declinet, quamvis fidei mysteria ſub consvetis locutionum formulis profiteri nequeat, non videtur omnino Sacramentis privandus, quia stabilis Christianæ vitæ profeſsio, interioris fidei signum est. Neque etiam iis, in quibus senium hebetudinem parit, ſubtrahenda eſse videntur Sacramenta, si constet quod congruam prius Mysteriorum habuerint notitiam, & Christiane conversentur. Nec est quod Confeſsarius moras faciat, ſpe futuri profectus, quia illa intellectus debilitas crescit cum tempore. Attamen senes, qui diu in oblivione Dei vixerunt, interrogari debent circa primaria fidei capita & articulos præcipuos, quia constat, eos non raro Catechismi prorsus eſse ignaros. Pariter neganda est absolutio iis, qui curam aliorum gerunt, quales ſunt Patres familias, ac Domini, permittunt tamen ut à ſuis famulis, filiis; filiabusque, â ſuis ſervis, domesticis, ignorentur ſcitu neceſsaria, neque satagunt, ut illa edoceantur, atque sciant. Ait enim Apostolus 1. Timoth: Cap: 8. *Si quis ſuorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Porro quemadmodum ſuorum curam non habet, qui iisdem corporis neceſsaria non providet, sic & ille, qui iisdem, animæ neceſsaria non procurat, ea scilicet, sine quibus salus obtineri nequit, non ſubministrat.

N2 Quæ-

Quæres 5to: Quibus præterea propter ignorantiam negari debet absolutio?

Resp: Iis quoque neganda est absolutio, qui necessaria ad suam professionem, munus, atque officium quod gerunt, ignorant, nisi vel officio, muneri cedere parati sint, aut scientiam, qua indigent, comparare sibi quam primum studuerint, & interim ab officio abstinuerint. Quia Judex exg. Medicus, Advocatus, qui illa ignorat quæ muneris, & officii sui sunt, maximum multis afferunt detrimentum, in continuo propter suam nescientiam versantur periculo graviter peccandi, absolvi ergo nequeunt. Neque satis est ut spondeant se debitam scientiam comparaturos, sed videndum est 1mo: an illius capaces sint? 2do: exigendum, ut, dum ad comparandam scientiam se accingunt, quod non unum postulat mensem, interim ab officio abstineant. 3tio: Curandum præterea ut per suam ignorantiam illata proximis damna resarciant, quod quidem etsi difficile, omnino tamen necessarium est.

Quæres 6to: An, & quando Confessarius tenetur monere Pænitentem suum, qui ex ignorantia facit aliquid illiciti?

Resp: Explorandum est 1mo: an pænitentis ignorantia vincibilis sit, an non? dum autem id ex tota pænitentis agendi ratione expenderit, cavere debet, ne prius quam oportet tollat bonam fidem, in qua est pænitens. 2do: Attendet Confessarius, an ignorantia illa, sit facti, vel juris? si juris: an juris naturalis, an divini, vel humani? 3tio: An ignorantiæ correctio fieri possit citra scandalum, aut grave damnum? 4to: An ex Confessarii monitis fructus aliquis speretur, an nullus? Itaque 1mo: Moneri debet pænitens quoties error ejus, vel ignorantia vincibilis est, etiamsi nullus hinc speretur fructus, sed potius scandalum pænitentis. Quia ignorantia hæc peccatum est, & causa peccati, utrumque vero à suo pænitente Confessarius pro viribus amovere debet. Nec obest, quod hinc non speretur fructus. Saltem enim monitio isthæc proderit, ut pænitens aliquando conscientiæ stimulis agitetur, & ut non conquæratur absolutionem sibi inique fuisse denegatam. A fortiori monendus est pænitens 1mo: cum ipse dubitat, an sua actio vacet à peccato, eaque de re Sacerdotem interrogat, quia tunc Confessarii taciturnitas, pænitentem in suo errore confirmaret. 2do: Cum error pænitentis eidem est perniciosus, puta cum pro gravi habet id, quod leve peccatum est, aut pro levi,

quod

quod reipsa grave est. Ut autem detegat Confeſsarius, an vincibilis sit pænitentis ignorantia, videndum, an is nullum ſcrupulum, vel dubium habeat? Id tamen erga eos ſolum locum habet, qui non obtusæ ſunt, aut eſse incipiunt conscientiæ. Fieri etiam potest, ut pænitens malæ olim fidei, nunc bonæ sit, puta quia quosdam ea de re doctos conſuluerit, qui conscientiam ejus ſedaverint. Quod si pænitens consultis duobus Theologis, deteriorem partem amplexus sic peccat, nisi hæc tradita sit à quopiam adeo gravi, ut ejus authoritas, authoritati alterius longe prævaleat.

2do: Pænitens quacunque juris, vel facti laboret ignorantia, erudiendus est. 1mo: Cum ex errore ejus ſequitur grave aliquod malum, vel ſcandalum publicum. 2do: Cum error illius vergit in damnum injustum proximi, si tamen damnum illud sine graviori incommodo averti poſsit. Quia bonum publicum, bono privato anteferri debet, & malum etiam privatum proximi avertere oportet. Quodsi pænitens admonitioni acquiescere noluerit, abſolvi à Confeſsario non potest, quia noluit intelligere, ut bene ageret.

Hæc tamen limitanda ſunt. *1mo*: Cum damnum proximi sine graviori detrimento averti nequit. Sic uxor, quæ à putatitio conjuge indigne vapulat, de matrimonii ſui nullitate moneri non debet, ne ab illo recedat cum gravi Parochiæ scandalo, aut diſpendio prolis. *2do*: Cum monitio quæ hic, & nunc omittitur, postea profutura judicatur. In his tamen habenda est ratio circumstantiarum, puta an qui hodie confitetur, reversurus sit, an proxime moriturus, an error ejus, ſpectato statu ipsius sit inculpabilis, vel culpabilis?

3tio: Cum ex invincibili etiam pænitentis errore, ſequitur malum aliquod, moneri debet, quoties monitio videtur citra ſcandalum, & grave proximi damnum profutura, alias non debet moneri. Quia ad actum inutilem, & gratis exitiosum nemo tenetur, & in tali casu monitio habet se veluti correptio fraterna, hæc autem ſublata ſpe fructus, & à fortiori dum mali quidpiam timetur, omitti debet. Unde qui matrimonii ſui nullitatem inculpate nescit, moneri debet, dum prævidetur futurum, ut dispensationem petat, & obtineat, interim abstineat ab ea, quam comperit non eſse ſuam legitimam uxorem. Secus non est monendus, ſed differenda erit in aliud tempus monitio. Imo si uxor deneget debitum conjugale ei, quem invin-

invincibiliter ignorat non eſse ſuum legitimum maritum; Confeſsarius eam adigere potest ad illud reddendum. Neque tunc mentietur Confeſsarius, quia ex errore invincibili ille maritus pro legitimo á ſua reputatur conjuge.

Quæres 7mo: Existentibus in proxima peccati mortalis occasione, potestne dari absolutio?

Resp: 1mo: Ordinarie abſolvi non debet, qui in proxima, simul & præsenti peccati mortalis permanet occasione, nisi eam dimiserit, cum actu dimitti potest. Is enim qui occasionem statim dimittere potest, si illam re ipsa non dimittit, satis testatur se habere cor peccato addictum. Hinc damnata est ab Innocentio XI. ſequens propositio: *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.* Hinc qui habet domi mulierem, cum qua graviter peccat, non ante absolvi debet, quam eam ejecerit, & quamvis ploret, promittat, juret, ſe statim, ac reverſus domum fuerit, concubinam ejecturum, non debet Confeſsarius abſolutionem dare, etsi de vero pænitentis proposito certus eſset, quia ſola concubinæ præsentia, vox, ſolæ lachrymæ, vel etiam Samsonis vim, ac virtutem in ictu oculi labefactare poſsunt. Aliquando tamen mors ita potest proxime imminere, ut abſolvi debeat, qui necdum amasiam ſuam ejecerat. Quodsi etiam tunc hanc statim eijcere valet, non ante erit abſolvendus, quam reipsa illam ejecerit. Poterit enim ſub honesto prætextu eliminari, atque debet, ut moribundus ab objecti periculosi intuitu liber reddatur.

2do: Si occasio sit proxima, & præsens, ſed physice dimitti non potest, ut cum duo, qui simul peccant, in eodem carcere detinentur, pænitens abſolvi nequit, nisi se vere & efficaciter corde, & animo ab occasione ſeparaverit, cum corpore ab ea ſejungi non valeat, tunc ergo cum ipsam occasionem auferre nequeat, proximitatem, atque vim illius tollere debet. Quare qui per habitum pravum exg. pollutionis, sibimetipsis facti ſunt proxima peccandi occasio, non ante ſunt abſolvendi, quam tempore notabili vim pravæ consvetudinis ſuperaverint, unde qui quotidie peccabat, & bis adhuc, aut ter in mense relabitur, non debet abſolvi, quia ad minimum dubium est ejus emendationis propositum.

Cum vero occasio proxima & præsens, nonnisi moraliter dimitti nequit, idest sine gravi difficultate, ſcandalo, murmure, damno, deseri non potest, veluti si fra-

ter cum ſorore peccet, aut filius familias cum ancilla quam eijcire non potest, aut famulus cum Domina ad cujus obſequium contractu obstrictus est, vel denique Chirurgus artem ſuam exercendo, hæc in praxi sequenda ſunt. *1mo*: Si promittat pænitens se post aliquod tempus oportunitatem habiturum recedendi ab occasione, illud expectandum est, ut abſolvatur. *2do:* Si pænitens in ipso permanentis occasionis tempore, post probationem vere ſufficientem, ſerio videatur emendatus, abſolvi quidem poterit, ſed omni conatu efficiendum erit, ut cum moraliter poſsibile erit, actu illam occasionem deserat, quia ſemper timendum est, ne illa occasio, ex remota, iterum fiat proxima. *3tio*: Si pænitens ob nimiam difficultatem recedere ab occasione non poſsit, cum eo agendum erit, ac cum iis, qui in occasione versantur, quam etiam physice deserere nequeunt, unde neganda est abſolutio, donec certa appareant veræ conversionis, & emendationis signa. *4to*: Demum attentatis, quæcunque ad hujus pænitentis emendationem, tentari poſsunt, is tamen aliquando ab occasione vincatur, absolute neganda est absolutio, donec, quidquid contingat, ab occasione reipsa receſserit.

3tio: Abſolvi non debet, qui non vult recedere ab occasione abſente, & extra quæsita, quales ſunt choreæ, domus luxuriæ, tabernæ, personarum periculosarum frequentatio. Qui enim hæc sibi funesta rursum invisere vult, amat periculum, & ruinam periculo annexam. Quodsi ſpondeat ab his ſe receſsurum eſse, videndum erit an non jam defuerit promiſsis, & tunc differenda erit abſolutio, donec satis probatus fuerit. Cum vero quis ea peccata primum confitetur, vel olim illa confeſsus, non satis de gravitate eorum monitus fuit, tunc si vera sinceri doloris signa exhibeat, poterit abſolvi. Quia tamen multi omnia in Confeſsione promittunt, & eadem facile retractant, aliquando consultius est, ad tempus abſolutionem differre, hujus autem diuturnitas ex variis circumstantiis æstimanda est.

A fortiori famulæ, ancillæ, quæ ad malum ſollicitantur, non modo mercedis partem, ſed & totam potius perdere debent, quam in proximo ruinæ periculo commorari. Imo: etsi auxiliante Deo, plenam sibi victoriam polliceantur, quam primum exire debent è domo, ubi licet invitæ, ſunt occasiones peccandi. Tunc tamen ne pacta mercede priventur, ad aliquod tempus expectare possunt, quia quod ex illis ſumitur ſcandalum, acceptum est, non

non datum. Sed vix, aut ne vix quidem unus qui mulieri secum cohabitanti aliquoties mortifere adhæsit, sive per ultimum crimen, sive per tactus impudicos, & oscula, emendatus est, nisi per separationem. Ipsa siquidem peccati memoria, objecti præsentia, naturalis ad peccatum propensio, ita cor emolliunt, ut non obstantibus omnibus cautelis, sæpius miserabiliter labatur.

Excipiendus autem est, tamquam in proxima occasione positus, qui semel in anno, sive negotii, sive hospitalitatis causa, ad aliquem locum pergens, ibidem cum vicina muliere sibi familiari peccat, quod si falso jam promiserat, se vel in illud oppidum nunquam jam profecturum esse, vel si ex urgentibus negotiis, causisque illuc proficiscatur, fæminam hanc ne raptim quidem invisurum esse, constanter probandus est, donec moraliter certo constet Confessario, eum à peccato toto corde abhorrere. Neque tamen semper toto anno expectandum erit, quia sincera conversio quandoque signis manifestis se prodit, ut omne excludat dubium.

Quæres 8vo: An etiam iis deneganda sit absolutio, qui aliis præbent peccandi occasionem?

Resp: Qui aliis occasionem peccandi præbent, non debent absolvi, nisi firmiter statuerint ab iis abstinere, quæ alios ad peccandum alliciunt. Unde absolvi non debent, qui componunt, imprimunt, vendunt libros amatorios, qui Comædias luxuriosas, & periculosas exhibent, statuas, imagines libidinem spirantes exponunt. Item absolvi non debent fæminæ quæ nudum pectus, habitum lascivium spirantem gerunt. Hæ enim misera sunt Diaboli instrumenta, quibus innumeros ad gravissima pertrahit peccata.

Quæres 9no: Quid de inhabituatis censendum sit?

Resp: Habitus peccati, est facilitas, atque promptitudo peccandi, seu propensio inclinatioque ad peccatum orta ex repetitis illius actibus. Multi tamen ex uno, alterove peccati actu, plus ad illud contrahunt propensionis, quam qui illud pluries admiserunt. In aliis vero repetita peccata nauseam pariunt, & fastidium, aut saltem tollunt novitatis illecebras, vanitatem, ac turpitudinem rei amatæ ostendunt. Unde nec semper habendus est pro consvetudinario, qui pluries in certo genere peccavit, nec semper pro non consvetudinario reputandus est, qui ter, aut quater idem commiserat peccatum. Pænitens ergo Confessario ignotus, cum grave aliquod peccatum confitetur,

tetur, interrogari debet, an illud ex habitu committat, ſolerterque inquirendum an non habeat inveteratam illius aſsvetudinem? Sine hoc enim debitum de statu pænitentis judicium ferre nequit. Neque enim eum, qui ſemel, aut iterum ex fragilitate aut malitia peccavit, eodem modo excipiet, ac illum qui ex pravo habitu, diuturna consvetudine peccando, iniquitatem veluti aquam bibit. Quare ab Innocentio XI. damnata est ſequens propositio. *Non tenemur Confeſsario interroganti fateri peccati alicujus consvetudinem.* Habitus siquidem peccandi est quædam circumstantia notabiliter peccatum aggravans. Circumstantiæ autem peccatum insigniter aggravantes, in Confeſsione aperiendæ ſunt. Ergo peccati habitus Confeſsario aperiendus est.

Quæres 10mo: Utrum inhabituatis absolutio neganda sit?

Resp: Ordinarie loquendo absolvi non debet, qui mortalis peccati consvetudinem habet, donec idonea emendationis signa exhibuerit. Quia Confeſsarius neminem absolvere debet, quin moraliter certus sit, pænitentem ſuum efficax habere propositum fugiendi ſuum peccatum. Porro moraliter certum est, consvetudinarios istiusmodi carere proposito, quod ex continuis eorum relapsibus manifestiſsimum est. Ergo absolvi non debent, nisi exhibeant manifesta ſuæ emendationis signa. Quare Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Pœnitenti habenti consvetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis ſpes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio dummodo ore proferat, ſe dolere, & emendationem proponere.* Etsi enim aliquandò inhabituati cum fletu, & lachrymis peccata ſua confiteantur, emendationem appromittant, cum stupenda tamen facilitate ad ſua revertuntur peccata. Hi ergo antequam absolvantur, juxta habitus gradum, nativam in illa vitia propensionem, probandi ſunt, & eo usque differenda est illis absolutio, donec vitiosum habitum sic vicerint, ut periculum peccandi proximum ac probabile ſublatum fuerit.

Quæres 11mo: An & quibus propter relapsum deneganda sit absolutio?

Resp: Ei qui ex gustu, & propensione in idem ſcelus relabitur absolutio communiter neganda est. Quia timendum est ne relapsus, præsertim facilis, ex inveterato habitu procedat, & signum sit, ut frequentiſsime eſse ſolet,

let, deficientiæ, in præcedenti Confeſsione, firmi propoſiti, qui enim facile in confeſsa relabitur peccata, oſtendit ſibi defuiſse firmum illa evitandi propoſitum, niſi forte relapſus ſit ex vi occaſionis, vel extraordinariæ tentationis, nec quæſitæ, nec prævisæ, & relapſum ſecutus ſit ſincerus cordis dolor. Sed etiamſi relapſus non procedat ex habitu, neque ex inveterata conſvetudine, quandoque abſolutio deneganda eſt, ut per hoc magis à peccato pœnitens retrahatur, & ne facilitas abſolvendi ſit incentivum denuo peccandi, quare præclare dixerat Bellarminus: *Non eſset tanta facilitas peccandi, si non eſset tanta facilitas abſolvendi.*

Quæres 2do: Quibus præterea denegari debet abſolutio?

Resp: Iis omnibus denegari debet abſolutio, quos moraliter certo conſtat, non eſse ad illam recte diſpoſitos, quia videlicet carent & vera cordis contritione, & ſincero emendationis propoſito. Atque tales ſunt. *1mo:* qui aliena retinent, cum ea reſtituere poſsint, vel etiam illatam in fama, honore, aliisque bonis proximo injuriam, pro viribus non reparant, & quamvis ſpondeant ſe ſatisfacturos, non ſunt abſolvendi, ſi jam moniti à Confeſsario, vel à ſua conſcientia, id perficere omiſerint. *2do:* qui cum proximo, quantum in ſe eſt, reconciliari nolunt, quive illum alloqui, ſalutare, cum eo Chriſtiane converſari nolunt, maxime quando hinc ſequitur ſcandalum aliorum, vel majus utriusque odium, & ſpes affulget adverſarium aliquo benevolentiæ ſigno placari. Illi quoque, qui cum priores proximum læſerint, eum tamen priores inviſere, eique ſatisfacere nolunt. *3tio:* hi quoque, qui publicum dederunt ſcandalum, nec illud hucusque reparare ſtuduerunt. Litigantes, qui cum poſsint, nullam pacis viam ſequi volunt, partem adverſam dicteriis, injuriis defatigant. *4to:* qui illicita commercia, artes prohibitas exercent, officia ſua negligunt, deſidioſi, & inertes, ſuis obligationibus minime reſpondent, nimio veſtium, ſupellectilium, dapumve apparatu, debita viribus ſuis majora contrahunt. His omnibus cum deſit ipſis & verus cordis de commiſsis peccatis dolor, & ſincerum emendationis propoſitum, abſolutio ſacramentalis juſte denegatur.

Quæres 3tio: Quando adigendus eſt pœnitens ad iterandas præteritas Confeſsiones?

Resp: Pœnitens adigendus eſt ad iterandas confeſsiones. *1mo:* quando voluntarie, & ex defectu legitimi examinis,

minis, vel ex imperitia notabiliter culpabili, peccata quædam mortalia occultavit. *2do:* quando in eadem peccata prolapsus est, valde siquidem ſuspecta est illorum pænitentia, qui facile ad vomitum ſuorum peccatorum redeunt. Proinde iterare confeſsiones ſuas debent, qui relapsi ſunt, quia ab occasionibus sibi funestis non receſserunt, & præscripta sibi à Confeſsario, adversum peccata, remedia, neglexerunt. *3tio:* quando quis ex prava consvetudine, inveterato habitu eadem perpetrabat, & perpetrata confitebatur peccata, longa siquidem consvetudine implicati, ſemper corde & animo ſuis adhærent peccatis, & quamvis ſe de ſuis peccatis dolere, illa detestari profiteantur, mentitur tamen iniquitas sibi. Quod vero eos attinet, qui ad aliquod tempus à peccatis abstinuerunt, & aliquatenus emendati ſunt, videndum est, quoto tempore in bono proposito perstiterunt, an ſuperatis variis tentationibus, inopinatæ ceſserint, an sibi vim aliquam in declinandis peccatis fecerint? Quo enim quis minus in bono proposito perseveravit, quo remedia ad præcavendum peccatum præscripta, quæ neglexit, erant observatu faciliora, quo magis ordinaria & ſuperatu facilis fuit tentatio, cui quis ſuccubuit, eo magis ſuspecta pænitentia, magis dubiæ confeſsiones erunt.

Quibus autem iterandæ ſunt præteritæ Confeſsiones, illis Confeſsio generalis injungenda est, utpote omnino tunc neceſsaria, cum priores invalidæ fuerint.

Quæres 14to: An ſemper & statim Confeſsarius debeat injungere ſuo pœnitenti Confeſsionem generalem, cum ei judicat eſse neceſsariam?

Resp: Aliquando Confeſsarius non debet confeſsionem ſuo pænitenti injungere, etiamsi ſentiat illam ei eſse neceſsariam, quando ſcilicet, pænitens modo christiane vivit, & circa præteritas Confeſsiones in bona versatur fide, pacatusque manet, atque ex olim tentatis prævidetur pænitens, si generalem confeſsionem faciat, pluries ex recordatione præteritorum, mortaliter peccaturus. Tunc enim in bona fide relinquendus est, cum ab errore ſuo, sine gravis mali periculo educi nequeat. Omnino autem à Confeſsione generali prohibendi ſunt illi, qui pie viventes eam tantum ex ſcrupulo, & vanis anxietatibus facere volunt, ipsis enim Confeſsio generalis, & inutilis, & ſæpe nociva eſse ſolet.

Sed etiam cum Confeſsarius ex prima, quam excipit Confeſsione, judicat ſuo pænitenti Confeſsionem generalem

lem esse necessariam, ab eoque fieri illam posse advertit, non continuo illam ei injungere tenetur, sed potest ipsam ad tempus differre. Quia qui primo convertitur huic oneri portando insufficiens est, ab inchoata pænitentia facile posset deterreri, & aliquando etiam necdum plene devictis pravis habitibus, posset inutilis esse. Ergo per aliquod tempus in operibus pænitentiæ exercendus est, detestatio peccatorum modis omnibus inspiranda, ut tactus cordis dolore intrinsecus, totus ad Deum convertatur. Aliter agendum cum plene jam conversis, illis, cum necessaria judicatur, confessio generalis, injungenda est, modusque quo fieri debeat porrigendus. Cui autem injuncta est Confessio generalis, satius est ut eam perficiat apud Sacerdotem, cui ordinarie confiteri solebat, nisi aliquid obstet.

Quæres 15to: Ad quid tenetur Confessarius propter aliquem defectum in Confessione admissum?

Resp: Confessarius qui pænitentem suum, in aliquem errorem etiam inculpate induxit, ex quo sequitur alicujus præcepti violatio, tenetur errorem illum revocare, quia quisque tenetur auferre mali etiam inculpate à se positam causam. Hinc Confessarius qui etiam inculpate pænitentem à restitutione debita deobligavit, vel ad indebitam obstrinxit, jure charitatis & justitiæ tenetur eum errorem dedocere. Nam quisque ex charitate, & justitia tenetur impedire ne sua actione, etiam inculpabili, pariat alteri damnum, alioquin cognito errore, si eum non revocaverit, tenetur de damno subsecuto. Magis autem ad id ex justitia tenetur Confessarius, cum ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi advertendi negligentia, positive à restitutione debita avertit, vel ad indebitam coegit, quia tunc culpabiliter est causa alterius damni. Imo si ex ignorantia vel negligentia culpabili prætermisit tantum injungere faciendam restitutionem, quæ fieri debebat, & pænitentem ea de re non præmonuit, plures Theologi putant Confessarium ad restituendum parti læsæ obligari. Quia sola etiam omissione injungendæ restitutionis Confessarius fit causa damni alterius, quod proinde resarcire tenetur. Siquidem unusquisque pænitentium ex eo putat se esse à restitutione liberum, quod re tota Confessario exposita, injunctam sibi non habuerit restitutionem. Alii tamen licet numero pauciores affirmant, admonendum quidem esse pænitentem de facienda restitutione, quod in Confessione prætermissum est, sed ipsum

Con-

Confefsarium dicunt ad restituendum non teneri, nisi ex Officio, quemadmodum Parochus, Confefsiones excipiat. Quia Confefsarius præcise qua Confefsarius, non censetur ex justitia obligatus efse ad avertendum omni modo damnum illius, cui debetur restitutio. Qui vero ex officio Confefsiones excipit, quemadmodum Parochus, cum sit Superior, ex munere fuo tenetur impedire, ne sibi fubditi aliis inferant damnum, & ut illatum resarciant procurare. Verum si pænitenti interroganti, an debeat restituere, nihil Confefsarius respondeat? tenetur pro fuo pænitente restituere, quia fua taciturnitate fit causa quadantenus positiva, cur pænitens non restituat.

ARTICULUS 3tius

De Sigillo Confefsionis.

Quæres 1mo: Quid sit sigillum Confefsionis?

Resp: Est religiosa obligatio fervandi fecretum circa ea, quæ per Sacramentalem Confefsionem, vel occasione illius quocunque modo cognita funt. Et ad istjusmodi Sigillum Confefsarius omni jure naturali, divino & Ecclesiastico strictifsime obligatur, unde gravifsime peccat Sacerdos, qui etiam minimum peccatum in Confefsione auditum revelat. Parvitas ergo materiæ hic à peccato mortali non excusat, fed fola tantum inadvertentia excusare potest, ut cum quis, quæ in Confefsione audivit, fe vidisse ratus, aliis narrat. Verum ei usquam, certe cum de Pænitentium defectibus agitur, vigili opus est attentione.

Quæres 2do: Quæ sigillo Confefsionis fubjaceant?

Resp: Sigillo Confefsionis fubsunt, non folum gravia, aut venialia peccata, fed & illa, quæ ad eorum objecta, circumstantias, expositiva quædam fpectant, ea demum omnia, quæ etiam indirecte pænitentem, aut alium infamarent. Præterea ad sigillum Confefsionis pertinent ea omnia, quæ statim ab absolutione dicuntur, veluti præcedentium appendices. Quia nihil horum revelari potest, quin Confefsio pænitenti, & aliis reddatur odiosa, & quidquid statim post absolutionem dicitur Confefsario, ut tali narratur, & moraliter ad Confefsionem pertinere censetur. Igitur non licet Confefsario 1mo: ullum pænitentis grave aut leve delictum revelare, exg. quod is, vel illa mendacium commiserint. Sed neque tentationes,

quas

quas quis patitur, peccata imaginaria, quæ in ſe peccata licet non sint, ſed à ſcrupuloso pro peccatis habita & confeſsa ſunt. Imo & illi Confeſsarii improbandi ſunt, qui dicunt ab hoc ſuas aures perpetuo inutilibus ſcrupulis, & vanis obrui narrantiunculis. *2do*: neque circumstantias peccati, quamvis gravitatem peccati quodammodo diminuere videantur, ut exg. quod Petrus Paulum quidem occiderit, ſed cum eſset inculpabiliter ebrius, quia facilius credetur homicidium, quam inculpabilis ebrietas, quæ ad excusationem ficta reputabitur. *3tio*: ea, quæ pænitentem quoquomodo infamare, aut ludibrio apud alios exponere poſsunt, vg. quod sit eunuchus, ſpurius, in arte ſua rudis, ſcrupulosus, à Judæis oriundus. *4to*: neque illa quæ alium â pænitente denigrare valent, ut quod Joannes uxorem percuſserit turpiter inventam, quod Paulus inutiliter Annæ pudicitiam labefactare conatus sit. Certe auro æstimari debet hæc regula: *Confeſsarium nunquam silentii, ſæpe ſermonis pœnitebit.* Attamen sigillo Confeſsionis non ſubjacent, defectus pænitentis naturales, qui in argumentum mali trahere nequeunt, ut quod ſurdus sit, aut balbus.

Quæres 3tio: An Confeſsionis sigillum etiam erga mortuos obliget?

Resp: Obligat quam strictiſsime, quia æternum Confeſsarius circa audita in confeſsione observare debet silentium. Hinc qui ex ſola Confeſsione didicit puellam eſse gravidam, non potest sine consensu ejus, id, ea defuncta propalare, ut per baptismum proli in utero degenti ſuccurratur. Illi tamen, nisi hoc vel à Confeſsario declarari permittat, vel quod melius est, alteri extra confeſsionem manifestet, absolutio impendi nequit, quia temporale famæ ſuæ bonum, æternæ ſaluti infantis anteponit. Quodsi puella hæc in extremis Confeſsarium revocari juſsiſset, & eam is reperiſset omni ſensu destitutam, non poſset ejus ſecretum prodere, nec enim ubi agitur de sigillo Confessionis, ſufficere potest licentia pænitentis præsumpta, ſed requiritur expreſsa. Ei tamen tunc danda foret absolutio, quia in extremis ad illam tribuendam ſufficit aliqua contritionis præsumptio.

Quæres 4to: Ex quali confeſsione oritur obligatio sigilli?

Resp: Nascitur ex omni & ſola confeſsione Sacramentali, ſeu ex ea quæ fit apud Sacerdotem animo obtinendæ absolutionis, sive hanc statim obtineat, sive judicio Confeſsarii ad aliquod tempus differatur. Hinc generatim

sigil-

sigillo non ſubjacet Confeſsio ad illudendum, vel ſubornandum Confeſsarium facta, licet ei quædam vera, vel ficta admisceantur peccata, ut confeſsionis ſpeciem præferens, Confeſsarium ſecreti sigillo obstringat. In his tamen occasionibus caute procedendum est, & videndum an pænitens pravum consilium ſuum fixum aperiat, tantumque Confeſsarium ſeducere velit, an non gravem ſuam tentationem revelet, cui medelam à Confeſsario quærat? tunc enim non desineret Confeſsio eſse Sacramentalis, etiamsi postea crimen à pænitente perficeretur. Quodsi Confeſsio prorsus eſset illusoria, & nonnisi ad ſubornandum Sacerdotem instituta, si ageretur de gravi aliquo publico, vel privato damno avertendo, utendum eſset monitione generali, ut quantum fieri potest auctor mali non detegatur. Verum etiam ex Confeſsione non Sacramentali, naſcitur nonnunquam ſecreti naturalis obligatio. Unde confeſsio facta existimato tantum Sacerdoti, qui verus Sacerdos non est, eum stricte ad ſecretum ſervandum jure naturali & divino obligat. Rariſsime etiam utendum est ſcientia ex confeſsione, quamvis minime Sacramentali, parta, quare extra casus, vel conspirationis adversus Principem, aut hæresis, quæ in populo ſpargi incipit, quæ immane multitudini damnum afferre poſsunt, alto premendum est ſecreto crimen privatum in Confeſsione auditum, licetsi illa foret ad ſubornandum tantummodo Sacerdotem instituta.

Quæres 5to: Præter Confeſsarium, an etiam alii ad Confeſsionis sigillum teneantur?

Resp: Tenentur, & quidem *1mo:* Episcopus, sive alius quivis Superior, ad quem sive ipse pænitens, sive illius Confeſsarius recurrit, pro casu reservato, ut ab eo absolvi, aut absolvere poſsit. Si enim ipse pænitens pro casu reservato recurrat, est inchoata confeſsio, si Confeſsarius, à Confeſsione inchoata promanat notitia. *2do*: consiliarius, ſeu ii omnes, quos Confeſsarius, sive ex licentia pænitentis, sive sine illa consulit. Hic autem notandum est, nusquam declarandum eſse pænitentem sive Superiori, à quo pro reservato casu absolvendi petitur facultas; sive ei, à quo petitur consilium sine expreſsa, & minime extorta licentia. Si vero ex consilii petitione, quod sine ſcitu pænitentis exquiritur, delictum ipsius innotescere poſsit uni, ad alium virum, imo etiam ad alium locum recurrendum est, cum vero tempus urget, periculum mortis instat, res tota divinæ misericordiæ committenda est, agendumque

est,

est, quod melius, & utilius videbitur. Neque etiam duo Confeſsarii, qui eandem ejusdem pænitentis confeſsionem exceperant, de eâ consilii capiendi gratia colloqui poſsunt, nisi in id libere pænitens consenserit. Alioqui uterque fracti sigilli reus erit.

Quæres 6to: Qui præterea sigillo Confeſsionis obligantur?

Resp: Sequentes *1mo*: qui alterum, in Confeſsione ſua peccata Sacerdoti enarrantem audit, sive fortuito, sive de industria, quod grave est ſacrilegium, vel etiam ex verbis, aut gestibus Sacerdotis intellexit. Idem est de iis quibus eadem audita peccata ab iis, qui illa audierunt, revelarentur, etiamsi innumeris revelata fuerint, quia res transit cum onere ſuo. Pariter qui reperit chartam ubi deſcripta est confeſsio peccatorum ſeu facta, ſeu facienda. Quia licet ſcriptio hæc non sit confeſsio actualis, est tamen illius internuntia, & ipsius inchoatio, unde istiusmodi ſcripturam legens non ſolum ad naturale ſecretum gravifsime tenetur, ſed etiam ad Sacramentale obstringitur sigillum. *3tio*: pænitentis interpres, pariter qui amici, aut rudis hominis ſcribit confeſsionem, quia tota, quam habent peccatorum notitia, est Sacramentalis, cum ad Sacramentalem confeſsionem ordinetur. *4to:* Judex, aut quivis Superior, statim ac vident delictum ad ſe delatum, ex ſola confeſsione innotuiſse, tenentur reum, ejusque complices intactos relinquere, nisi aliunde horum facinus ipsis innotuerit.

Quæres 7mo: An Confeſsarius de auditis in confessione cum ſuo pænitente loqui poſsit?

Resp: Non est redarguendus Sacerdos, qui simpliciter dicit pænitenti, se abſolutionem ex oblivione non dediſse, aut datam non fuiſse validam, quia comperit, ſuam approbationem effluxiſse, in hoc enim nulla est delicti manifestatio. Et extra hunc casum, non licet, nisi petita, & obtenta venia extra tribunal Pænitentiæ cum pænitente loqui de iis, quæ ſub sigillum Confeſsionis cadunt, quia Sacerdos qui extra Confeſsionem ſuo pænitenti peccata in memoriam revocat, Confeſsionem ipsi reddit odiosam. Certe qui vix in angulo peccata ſua confitetur, eadem sibi exprobrari, & recantari nimis ægre feret. Unde hac in parte peccant qui è ſacro ſuggestu in Concione, sive Catechismo delicta quædam tot circumstantiis delineant, ut pænitens ſua sibi peccata exprobrari non imprudenter existimet. Conſultiſsimum autem est, ut nusquam, ne in

genere

genere quidem, coram ſæcularibus, misceantur ſermones de auditis in Confeſsione. Hinc enim ipsi inferunt peccata ſua à Sacerdotibus memoria retineri, & propterea ſe contemni. Quare etiam si Sacerdos peccatum ſuum confiteri non poſsit, nisi aperiat peccatum, quod in Confeſsione audivit, & cujus author à Confeſsario intelligendus est, neque alium Confeſsarium invenire poſsit, debet peccatum illud hic & nunc reticere, quia fortius est, vinculum sigilli confeſsionalis, quam integritas confeſsionis.

Quæres 8vo: An etiam ipse pœnitens teneatur sigillo confeſsionis?

Resp: Non tenetur, quia aliquando potest ſua peccata humilitatis causa propalare, licet frivole; & id sine discretione facere non debet, & Confeſsarius tantummodo pænitenti obligatur ad ſervandum Confeſsionis ſecretum, quia in gratiam ipsius est institutum, non vero pænitens Confeſsario. Verum tamen pænitens gravi ſecreto illa præmere tenetur, quæ sine damno Confeſsarii, aut Sacramenti præjudicio revelari nequeunt. Unde peccant qui in Confeſsione prudenter sibi factas quæstiones, monita pie data, satisfactiones impositas, quæ graviores apparent, quia nescitur quibus de causis impositæ ſunt, ut plurimum deridendo, propalant. Quod si Confeſsarius errorem doceat, ab usu Sacramentorum avertat, ad turpia ſollicitet, denuntiandus est ſuo Prælato, si malum aliter certo averti nequeat.

Quæres 9no; Quotupliciter violetur Confeſsionis sigillum?

Resp: Violatur dupliciter, *directe* cum expreſsis verbis de aliquo etiam mortuo, vel ejus complice, per solam confeſsionem cognito, dicitur, quod tale peccatum sive mortale, sive veniale commiserit, *indirecte* ut *1mo:* cum Confeſsarius, etsi generatim, iis pænitentem depingit coloribus, qui etsi certam peccati notitiam non præbent, at ſuspicionem illius inducunt. *2do:* Cum auditis paucorum confeſsionibus, dicit, tacito etiam nomine personæ, se tale peccatum audiviſse, tunc enim singuli, ex indiscreta hujusmodi locutione, aliquid patiuntur ſuspicionis. *3tio:* Cum non nominando personam, ſed certum Ordinem designando, refert commiſsum crimen, quod in Confeſsione intellexit. Hinc enim fluit ignominia totius Ordinis. *4to:* Cum in loco præsertim angusto ubi Confeſsiones excepit, dicit Sacerdos vigere, furta, in juvenibus mollitiem, in conjugatis adulteria. Hæc enim, nisi aliunde publica sint,

 gra-

gravem toti communitati illius loci aspergunt notam, quæ in singula illius defluit membra. Imo quamvis hæc nota essent per publicum rumorem, non debent referri ut nota per Confessionem, hujus enim testimonium longe gravius est, quam publici rumoris, qui sæpe fallit. *5to:* Cum Confessarius verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodit aliquatenus peccatum, etsi aliunde iis cognitum coram quibus loquitur. Quare graviter delinquunt, qui tanto cum æstu loquitur in Confessionali, ut adstantes suspicentur grave quid à pænitente confessum fuisse, pariter, qui pænitentem, cum quo ante Confessionem amice tractabat, tristi, & acerbo aspicit occulo. *6to:* Cum Confessarius ait se huic ad certum tempus absolutionem distulisse, vel talem pænitentiam imposuisse, quæ gravis peccati suspicionem jure, aut etiam immerito inducunt. *7mo:* Cum Confessarius refert è pænitentibus unum, aut unam, impense, celebrat, quod tantum venialia confiteatur, sic enim alii graviora deposuisse intelliguntur. Sed etiamsi solerter taceantur, persona, & locus, qui peccata præcise, ut in confessione audita refert, non est sine peccato, & id semper apud Laicos male audit, eos offendit, & scandalisat atque fieri potest, ut ex variis, quæ secum invicem, contra spem omnium, conferunt, circumstantiis, detegatur reus peccati generatim tantum expressi.

Quæres 10mo: Quid respondere debeat Confessarius cum interrogatur, an ipsius pænitens tale crimen commiserit, an ipsi absolutionem dederit?

Resp: Generatim cuicunque de auditis, & factis in Sacramentali Confessione interroganti, sive an pænitens tale crimen commiserit, sive an absolutio ipsi data fuerit, hoc unum semper respondere debet Confessarius, se de auditis & peractis in Confessione nihil omnino loqui posse, sed tacere prorsus debere. Et istiusmodi responsio, quocunque modo Sacerdos interrogatur, sive ut Sacramenti Minister, sive ut privatus homo, danda est. Verum Sacerdos qui vidit scelus perpetrari, vel à testibus fide dignis illud rescivit, quod postea ipsi confessum est, hac sua exterius comparata notitia uti potest, ita tamen, ut notitiæ extra Confessionis tribunal acquisitæ, limites non excedat, seu quidquam addendo, quod ex sola confessione novit, seu firmiter asserendo, quod ante Confessionem, nonnisi dubium habebat.

Quæres 11mo: An Confessarius possit uti scientia in

Confeſsione parta, ad avertendum grave ſui, vel alterius damnum?

Resp: Nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licet in aliquo casu, quantumvis Ecclesiæ, vel Reipublicæ damnoso, revelare Confeſsionem. Quia quod juris divini est, nullam patitur exceptionem, nisi hæc in eodem jure apposita fuerit. Porro sigillum Confeſsionis Sacramentalis jure divino est constitutum, nullaque apposita est exceptio, Ergo in omni casu, sine ulla exceptione servari debet. Certe non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, præsertim cum bona hæc longe minora sint malis. Jam vero bonum quod per revelationem Confeſsionis aliquando obtineri poſset, longe minus est ipso malo fractionis sacramentalis sigilli, quia & ingens sacrilegium est, & ipsum per hoc ſubverteretur Sacramentum, quo semel ſublato innumera hominum in æternum perirent millia, quod sane malum omne ſuperat bonum, quodcunque ex revelatione Confeſsionis ſperari, aut etiam consequi poſsit. Hinc neque ad ſervandam ipsam vitam, licet uti Confeſsionis notitia vg. abstinere à celebrando ne ex venenato vino Sacerdos moriatur, tunc enim etiam indirecta eſset Confeſsionis revelatio, quæ nunquam licita eſse potest. Potest tamen Sacerdos fugere, cum ipsi mors ob denegatam absolutionem intentatur, quia hæc mortis comminatio, non subjicitur Confeſsioni ut culpa ipsius deleatur, ſed est peccatum quod in ipsa Confeſsione animo obstinato perpetratur, quemadmodum ergo effugere potest Sacerdos, cui pænitens in Confeſsione evaginato gladio mortem inferre attentat, ita pariter effugere potest cum inferendam comminatur. Si etiam pænitens ob negatam sibi absolutionem gravem Confeſsario impingeret calumniam, omni via tueri, & famæ ſuæ providere Sacerdos potest, ſed nunquam impactæ calumniæ causam, negatam scilicet absolutionem manifestare potest. Neque etiam Sacerdos recusare potest audire Confeſsionem pænitentis, quem novit tempus in Confeſsione inutiliter terere, quia insulsa multa congerit sine ullo emendationis fructu. Quia indirecta & tunc eſset Confeſsionis revelatio, atque tunc Sacerdos notitia in Confeſsione acquisita abuteretur. Vocatus ergo ire tenetur.

Quæres 22mo: An saltem occulte poſsit Sacerdos uti notitia in Confeſsione, acquisita?

Resp: In certis casibus quæ externum regimen non respiciunt, neque alios, nisi solum attingant Confeſsarium,

 potest

potest ille uti scientia in Confeſsione acquisita. Sic potest *1mo;* pro pænitente Deum orare. *2do*: In dubiis, virum doctum consulere, secluso ſemper quocunque manifestandi ſuum pænitentem periculo. *3tio*: Ex unius confessione alium circa quædam necesſaria, & utilia interrogare, modo is non intelligat unde Confeſsarius ad istiusmodi interrogata moveatur. *4to*: Propriam ſuam emendare agendi rationem, cum ex duritie ſua, vel quodam deridendi modo murmura, & aliquod scandalum enasci animadvertit. *5to*: Poterit rebus ſuis diligentius invigilare, non quidem quoad hanc ancillam, aut hunc in particulari famulum, qui furtum ſuum confeſsi ſunt, ac illi eo animadverterent illud sibi tacite exprobrari, ſed quoad alios nebulones, quibus ex Confeſsione multorum, locum impleri intelligit. Quia in his, ut jacet, nihil est, quod ſpeciem revelationis factæ confeſsionis habeat, nihil, quod Sacramento Pænitentiæ injuriosum sit.

In iis vero quæ ſpectant exterius regimen, nullatenus licet uti scientia in Confeſsione acquisita, sive hic Confeſsionis usus poſsit à pænitente adverti, ut si confessus se noctu è domo egredi, præter morem inveniat januas clausas, sive non poſsit adverti, & à nemine intelligi queat, ut si Superior non conferat Pænitenti officium, quod ei mente jam destinaverit, in utroque ergo casu nullatenus licet uti notitia in Confeſsione acquisita, quia alias homines â Confeſsione averterentur, & data pænitenti fides violaretur, qui ſua Confeſsario pandit interiora, quia scit eum ad secretum, quam strictiſsime obligari, & hæc censentur ſuis pænitentibus tacite ſpondere qui Confeſsionibus audiendis se accingunt. Unde damnata est ſequens propositio: *Scientia ex Confeſsione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Hinc non potest Sacerdos eijcere famulum aut observare curiosius, quem ex Confeſsione scit furem eſse, neque in Confeſsione præcipere potest, ut clavem reddat, aut ſponte discedat, quia hoc eſset fractio sigilli. Pariter non poſset Parochus eijcere ancillam, quam ex propria ipsius Confeſsione resciret, Nepotis, aut ſui Vicarii pudicitiæ insidiari. Neque etiam Monasterii Superior ad coercendos ſuorum abusus, quos in Confeſsione cognovit, solito attentius invigilare poſset, ut peccantes deprehendat.

Quæ-

Quœres 13tio: *Utrum Confeſsarius exigere potest à pœnitente ut sibi peccati complices revelentur?*

Resp: Nusquam exigenda est â pænitente revelatio complicis peccati, cum nec ſubest periculum relapsus, nec ab eo cuiquam impendet damnum, vel ruina ſpiritualis. Neque in casu impendentis damni exigere debet Confeſsarius ut sibi ſceleris complex manifestetur, si gravi alicui viro, maxime Superiori id fieri poſsit, qui securius, & efficacius malo mederi poſsunt, etsi periculum sit in mora, quia exg. ſequenti nocte virgo rapienda est, ad id pænitens urgeri debet. Quod si pænitens declaraverit, se neminem noſse, qui malo efficacius mederi poſsit, præter Confeſsarium, quærendum est, ex pænitente, an ſperare licet reum prudenti correctioni ceſsurum eſse, an non? Si pænitens aſserat reum certiora quoque negare paratum eſse, imposturam conclamare, Sacerdotem insequi, hærendum est protinus. Si vero complex ex iis sit, qui blandæ correctioni cedunt, nihil est cur Confeſsarius hoc onus non suscipiat. Cavere tamen debet, ne cuivis ſpiritui credat, & multo minus muliebri. Unde Confeſsarius non facile pænitenti alios accusanti, præsertim fæminis, credet, nec onus monendi in se ſuscipiet, sine gravi neceſsitate. Quodsi neceſsitas expostulet, expedit, ut complicis, aut alterius commonendi licentia, extra Confeſsionem à pænitente Sacerdoti detur, quatenus liberius, & tutius procedat.

TRACTA-

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS, & EXTREMÆ UNCTIONIS.

Sacramento Ordinis Ministri Christi, & Dispensatores divinorum Mysteriorum constituuntur. Extrema unctione infirmis in ultimo vitæ agone constitutis salubriter succurritur. Ecclesiæ ergo & Christi fidelibus maxime necessaria hæc duo Sacramenta.

CAPUT PRIMUM

De Sacramento Ordinis.

Quœres. Quid sit Sacramentum Ordinis?

Res: Est Sacramentum novœ legis â Christo institutum, quo specialis quœdam, ac spiritualis traditur potestas, ad divina, & Ecclesiastica munia exercenda, & gratia per illud confertur. Quibus effectus, & finis hujus Sacramenti designatur. Quilibet siquidem Ordo maxime sacer, & specialem spiritualem tribuit potestatem, & singularia habet sibi annexa munia, ad quæ rite peragenda specialis etiam confertur gratia. Ordinem autem esse verum novæ legis Sacramentum, Concilium Tridentinum Ses: 23. Can: 3. his verbis definivit: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum à Christo institutum, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit*, & Cap: 3. hanc doctrinam explicans ait: *Cum Scripturœ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quœ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo potest, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem Sanctœ Ecclesiœ Sacramentis.*

ARTI-

ARTICULUS 1mus

De materia, forma, Ministro, subjecto & effectu Sacramenti Ordinis.

Quæres 1mo: Quæ est materia ac forma Sacramenti Ordinis?

Resp: Materia essentialis Sacramenti Ordinis est manuum impositio, forma vero oratio, quæ ei adjungitur. Universa siquidem Ecclesia Latina, & Græca semper in Sacris Ordinibus conferendis, manuum impositione, & oratione in libris Ritualium præscriptis usa est, & hucusque utitur. Verum tamen porrectio quoque instrumentorum cum adjunctis verbis accurate observanda, & omnino retinenda est, & ne quis circa suam Ordinationem anxius sit, necesse est, ut ea omnia sedulo observentur quæ præscribit Pontificale, & Ecclesiæ usus habet, ac si quid omissum fuerit caute supleatur.

Quæres 2do: Quis est Sacramenti Ordinis Minister?

Resp: Soli Episcopi jure divino sunt Ministri Sacrarum Ordinationum. Simplex tamen Sacerdos ex Romani Pontificis concessione, aut Ecclesiæ dispensatione, potest conferre primam tonsuram, minores Ordines, & aliquando Subdiaconatum etiam, non vero ceteros sacros Ordines.

Quæres 3tio: An â quolibet Episcopo liceat ordines percipere?

Resp: Non à quocunque Episcopo Ordines suscipi possunt, sed â proprio tantum Episcopo. Sic enim disposuit Concil: Trident: Ses: 23. de Refor: Cap: 8. *Unusquisque â proprio Episcopo ordinetur, quodsi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans â collatione Ordinum per annum, & ordinatus â susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Porro in jure triplex proprius distingvitur Episcopus, originis scilicet, Beneficii, & domicilii Episcopus. *Originis* est ille, in cujus Diæcesi quis natus est. *Dummodo*, ut inquit Innocentius 12. Constit: *Speculatores ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanen-*

tiæ

tiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda. Episcopus *domicilii* ille est, in cujus Diæcesi aliquis ita commoratur, ut perpetuo manendi, nec in locum originis ſuæ remeandi gerat voluntatem. Unde qui studiorum causa in aliqua Academia commorantur, inde absoluto studiorum cursu discefsuri, pariter, qui ad aliquod tempus Reipublicæ causa alibi versantur, proprie his in locis domicilii jus non habent. Episcopus *Beneficii* ille est, in cujus Diæcesi aliquis Beneficium obtinet, etiam simplex, & modicum. Cavendum tamen ne per fraudem Beneficium conferatur, vel obtineatur, si enim Episcopus alieno Clerico conferat Beneficium, animo sibi illum addicendi, vel ipse Clericus ut proprii Episcopi examini ſe ſubducat, in aliena Diæcesi Beneficium adipiscatur, tam Ordinans, quam ordinatus incurrunt pænas â jure statutas. Potest etiam Episcopus ordinare familiarem ſuum, etiam sibi non ſubditum, modo id non fiat in fraudem proprii Episcopi, ac per triennium familiaris ille apud Episcopum commoratus sit, & Beneficium ab eo habeat. Ita Concil: Trident: Ses: 23. de Refor: Cap: 9.

Quæres 4to: Quos, & ubi Episcopus ordinare potest?

Resp: Episcopus non potest ordinare nisi sibi ſubditum, aut ſuum familiarem. Porro ex triplici capite quis censetur eſse alicujus Episcopi ſubditus, ſcilicet ratione originis, domicilii, ac Beneficii. In aliena tamen Diæcesi, neque ſuos ſubditos Episcopus valet ordinare, absque licentia Episcopi illius loci, in quo ordinare vult, quia non potest Pontificalia exercere in aliena Diæcesi, sine licentia illius Episcopi. Alienos quoque ſubditos, in propria Diæcesi ordinare potest, si habeant litteras dimiſsorias, aut ſpeciale ad id privilegium.

Quæres 5to: Quid sint litteræ dimiſsoriæ, & à quibus concedi poſsint?

Resp: Litteræ dimiſsoriæ illæ dicuntur, per quas Clericus à ſuo proprio Episcopo dimittitur, ac libera ipsi datur facultas Ordines ſuscipiendi à quocunque Episcopo. Porro istiusmodi litteras dimiſsorias dare, ad ipsum Episcopum pertinet, quemadmodum id constituit Concil: Trident: Ses: 23. de Refor: Cap: 3. Idem potest Vicarius generalis, modo tamen ſpecialem ad id ab Episcopo concessam sibi habeat facultatem. At Capitulum ſede vacante, litteras dimiſsorias dare non potest infra annum à die vacan-

cantis ſedis, si ſecus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico ſubjacet interdicto, & sic ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali gaudeant, in majoribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint ipso jure ſuspensi. Anno autem elapso à die obitus Episcopi, id facere potest Capitulum, ſed & iis litteras dimiſsorias dare valet, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, vel recipiendi occasione coarctantur. Ita decrevit Concil: Trident: Ses: 7ma Cap: 10. Ceterum litteræ dimiſsoriales non extingvuntur per mortem Episcopi qui illas conceſsit, quia quæ ſunt gratiæ, non ceſsant per mortem concedentis.

Quæres 6to: Quas pœnas jus constituit adversus eos, qui vel alienos ſubditos ordinant sine licentia proprii eorum Episcopi, vel ab alieno Episcopo ordinantur?

Resp: Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 2. sic statuit: *Nemo Episcoporum qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis, etiam exempto resederint, aut moram traxerint, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ, commensalitatis ſuæ, absque ſui proprii Prælati expreſso consensu, aut litteris dimiſseriis, ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam tonsuram promovere, aut ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus, ab executione Ordinum sic ſusceptorum, donec ſuo Prælato visum fuerit, ipso jure sint ſuspensi.* Quæ autem hujus censuræ sit vis, patet ex Bulla Pii 5. quæ incipit: *Cum ex Sacrorum*: ubi hæc habentur: *Ordinamus quod omnes & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora à jure statuta, sive ante legitimam ætatem, vel absque dimiſsoriis litteris, ad aliquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, à ſuorum Ordinum executione ipso jure ſuspensi sint, & si hujusmodi ſuspensione durante, in iisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.*

Quæres 7mo: Quæ requiruntur ad Ordines rite ſuscipiendos?

Resp: Sex præcipue requiruntur. 1mo: vocatio ad Clericalem statum, morum pietas, ac vitæ innocentia sive diligenter custodita, sive congrue reparata. 2do: certa ætas. Pro Minoribus Ordinibus nulla ætas à jure statuitur. Ad majores vero Ordines ex decreto Concilii Trident: Ses: 23. Cap: 12. certa ætas omnino prærequiritur, nullus enim ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diacona-

conatus ante 23. ad Præsbyteratus ante 25. ætatis ſuæ annum promoveri poteſt, quare pro Subdiaconatu requiruntur anni 22. pro Diaconatu anni 23. pro Præsbyteratu 25. ex uſu tamen ubique recepto, ſufficit ut hi anni sint inchoati. *3tio:* ſæcularis Clericus non poteſt licite ordinari, niſi titulum habeat congruæ ſuſtentationis sive ex beneficio, sive ex proprio patrimonio. *4to:* neceſse eſt, ut ſerventur interſtitia, hoc eſt ut certum temporis intervallum inter unum & alterum Ordinem decurrat, qua de re sic ſtatuit Concil: Trident: Ses: 23. Cap: 11. *Minores ordines iis, qui ſaltem linguam latinam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur, atque ita de gradu in gradum aſcendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accreſcat, quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia Miniſterium, atque major erga Præsbyteros, & ſuperiores ordines reverentia, & crebrior quam ante corporis Chriſti communio, maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes majoribus ordinibus dignum oſtendat. Hi vero nonniſi post annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum, ad ſacros ordines promoveantur, niſi neceſſitas, & Eccleſiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud expoſcat.* Igitur inter ultimum minorem Ordinem & Subdiaconatum, annus integer effluere debet, à Subdiaconatu pariter ad Diaconatum, & ab hoc ad Præsbyteratum similiter annos decurrere debet, ut præſcribit idem Concilium Cap: 13. & 14. Ses: 23. de Reformatione. Jam vero circa hæc interſtitia Episcopus diſpenſare poteſt propter Eccleſiæ neceſſitatem, aut utilitatem. *5to:* nequeunt autem eodem die duo simul ſacri Ordines ſuſcipi, sic enim habet Concilium Trident: eadem Ses: 23. Cap: 13. *Duo ſacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, privilegiis ac indultis, quibusvis conceſſis, non obſtantibus.* Neque in hoc Episcopus diſpenſare poteſt, ſed ſolus tantummodo Papa concedere poteſt, ut uno die duo simul ſacri Ordines alicui conferantur. Sacra etiam Congregatio Concilii Trident: interpres declaravit, Ordines Minores, & Subdiaconatum eodem die non eſse conferendos. Neque etiam licet ſuperiorem ordinem ſuſcipere prætermiſso inferiore, & qui sic, per ſaltum, ut communiter dicitur, ordinatus fuerit, & graviter peccat, & manet ſuſpenſus ab exercitio Ordinis sic ſuſcepti. Ex Cap: unico *de Clerico per ſaltum promoto.* Si

tamen

tamen in illo Ordine non ministraverat, potest Episcopus ex legitima causa cum eo dispensare. Ita Concil: Trid: Ses: 23. Cap: 14. Porro Minores Ordines conferri posſunt omnibus Dominicis, & aliis festivis diebus, ſed de præcepto, ut habetur in Pontificali Romano. Tonsura autem clericalis quocunque die, & hora. Sacri vero Ordines ſolum quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto vel Sabbato ante Dominicam Paſsionis. Quodsi ex dispensatione extra prædicta. Tempora, Sacri Ordines conferantur, conferri debent diebus Dominicis & aliis festivis diebus de præcepto.

Quæres 8vo: Qui ſunt effectus Sacramenti Ordinis?

Resp: Effectus Sacramenti Ordinis varii ſunt, ac multiplices. Et quidem *1mo:* inprimit characterem, unde ſemel rite facta ordinatio iterari nequit. *2do:* confert gratiam ſanctificantem iis qui hoc Sacramentum digne ſuscipiunt. *3tio:* tribuit jus ad opportuna gratiæ auxilia in exequendis ſusceptorum Ordinum officiis maxime necessaria.

ARTICULUS 2dus

De variis Ordinis ſpeciebus.

Quæres 1mo: Quot & quotuplices ſunt ordines?

Resp: Ordines generatim dividuntur in majores ſeu ſacros, & minores ſeu non ſacros, & sic tres ſunt majores ac ſacri Ordines, ſcilicet Præsbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. Minores ſeu non ſacri quatuor videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. Prima tonsura Clericalis est præparatio ad Ordines, Episcopatus quamvis & ipse verus sit Ordo, ſed quia est culmen omnium Ordinum, atque illorum perfectio, & ideo inter Ordines non numeratur.

Quæres 2do: Utrum Episcopatus sit verus Ordo, Sacramentumque á Presbyteratu distinctum?

Resp: Episcopatus est verus Ordo verumque Sacramentum, natura & charactere à Præsbyteratu distinctum. Siquidem per Episcopatum longe major & excellentior potestas confertur, quam per Presbyteratum, cum Episcopi etiam Sacerdotes valent consecrare, quod non possunt Presbyteri, ipsaque divina institutione in omnibus majores ſunt simplicibus Præsbyteris, unde etiam ordinati

Epi-

Episcoporum aliis perficitur ritibus, atque cæremoniis ac Præsbyterorum. Ex his ergo manifestum efficitur, Episcopatum eſse Ordinem ac Sacramentum natura, & charactere distinctum à Præsbyteratu.

Quæres 3tio: Quæ sit materia, & forma Episcopatus?

Resp: Plura in Ordinatione Episcoporum observantur. *1mo:* enim Evangeliorum liber ſuper cervicem & ſcapulas in Episcopum electi imponitur, nihil dicentibus Episcopis consecrationem perficientibus. *2do:* Episcopus consecrator; & ejus Aſsistentes, caput consecrandi ambabus manibus tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum ſanctum: 3tio:* Episcopus Consecrator extensis manibus duplicem recitat orationem, qua consecrando gratiam Spiritus ſancti apprecatur, ut digne Episcopali officio fungatur. *4to:* postea caput, & ambæ manus consecrandi à Consecratore chrismate inunguntur. *5to:* tandem Consecrator tradit consecrato cum ſuis formulis baculum benedictum, annulum, ac librum Evangeliorum. Cum vero ab Ecclesia non sit decisum, quid ex his pro materia, quid pro forma eſsentiali Ordinis Episcopalis haberi debeat, neque hic constans ac uniformis est Theologorum ſensus, ideo quæcunque in Pontificali Romano pro Episcoporum consecratione præscripta ſunt, quam accuratiſsime observari debent.

Quæres 4to: Quis sit Episcopalis ordinis Minister?

Resp: Soli Episcopi. Et hoc etiam ex continua Ecclesiæ praxi apertiſsime constat, nunquam enim Episcopos ordinarunt, nisi Episcopi. Tres porro in Pontificali Romano exiguntur Episcopi, verum an plures ita ad consecrationem Episcopi sint neceſsarii, ut Episcopatus aliter collatus, nullus sit, disputant inter ſe Theologi. Alii affirmant, alii negant. In hac vero ſententiarum varietate, pars tutior in praxi tenenda est.

Quæres 5to: Quis in Episcopum consecrari potest?

Resp: Ut quis legitime in Episcopum consecretur, debet eſse Sacerdos rite ordinatus. Etsi enim in aliis Ordinibus, inferior gradus non sit neceſsarius, ut ſuperior valide recipiatur ac poſsit exg. eſse verus Præsbyter, qui prius Diaconus non fuit ordinatus, irrita tamen foret ordinatio Diaconi in Episcopum. Quia cum Episcopus ex ſuo officio Corpus Christi consecrare debeat, neceſse est eum illa prius ordinatione eſse donatum, per quam confertur potestas consecrandi Corpus Christi, hæc autem potestas quoniam in Ordinatione Præsbyteri datur, non vero

vo in ordinatione Episcopi. Ut igitur valide ac legitime quis in Episcopum consecretur, necefse est, ut sit prius rite ordinatus Sacerdos.

Quæres 6to: Præsbyteratus, & Diaconatus ſuntne vera Sacramenta?

Resp: Sunt vera Sacramenta. Cum enim Ordo ſacer sit veri nominis Sacramentum, & Præsbyteratus ac Diaconatus sint præcipui ſacri ordines, divinæque institionis. Sequitur Præsbyteratum, & Diaconatum efse quoque vera Sacramenta.

Materia vero tum Præsbyteratus, tum Diaconatus, est impositio manuum, forma vero, adjuncta oratio. Omnia tamen quæ pro Ordinatione Præsbyterorum, aut Diaconorum in Romano Pontificali præscribuntur, diligentiſsime observanda, & adimplenda ſunt.

Quæres 7mo: Quid de Subdiaconatu ſentiendum sit?

Resp: Verisimilius est Subdiaconatum non efse Sacramentum, quia non est institutionis divinæ, ſed Ecclesiasticæ tantum, attamen à multis jam ſæculis inter ſacros Ordines refertur, & majoribus annumeratur. Subdiaconatui vero annexum efse perpetuum cælibatum, sive ex voto castitatis implicito, sive etiam ex præcepto Ecclesiæ, notiſsimum est. De Subdiaconi, & Diaconi ordinatione hæc statuit Concilium Trident: Ses: 23 Cap: 13. *Subdiaconi & Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, & in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris, & iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi, qui ſperent Deo auctore, ſe continere poſse.*

Quæres 8vo: Quæ requiruntur ad Minores Ordines ſuscipiendos?

Resp: Concilium Tridentinum Ses: 23. de Refor: ad Ordines Minores recipiendos requirit, ut ii, qui ad dicto Ordines promovendi ſunt, bonum à Parocho, & à Magistro Scholæ in qua educati ſunt, habeant testimonium. Et ſaltem linguam latinam intelligant.

CA-

CAPUT SECUNDUM

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Cum multæ in Ecclesia catholica usitatæ sint unctiones, hæc quæ infirmis traditur, estque veri nominis Sacramentum, extrema dicitur, ut ab aliis unctionibus ipso nomine ſecernatur, atque etiam significetur, illam nonnisi in extremo vitæ agone dari consveviſse.

ARTICULUS 1mus

De materia ac forma Extremæ unctionis.

Quæres 1mo: Quid sit Extrema unctio?

Resp: Est Sacramentum à Christo Domino institutum ad ſanitatem mentis & corporis infirmis, precibus Sacerdotum conferendam, per infusionem gratiæ ſanctificantis & ſanationem morborum, quando ſaluti animarum expedierit. Est itaque Extrema unctio verum Sacramentum á Christo Domino institutum, prout definierat Concil: Trident: Ses: 14. Can: 1. quæ quidem ſacra unctio apud S. Marcum Cap: 6. insinuata est, per Sanctum autem Jacobum Apostolum in Epistola ejus Cap: 5. commendata, ubi sic ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Quæres 2do: Quæ sit materia Sacramenti Extremæ unctionis?

Resp: Cum cujuslibet Sacramenti materia duplex sit, remota ſcilicet, & proxima, Sacramenti Extremæ unctionis materia remota est oleum. Ita docet Concil: Trident: Ses: 14. Cap: 1. his verbis: *Ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, materiam hujus Sacramenti eſse oleum ab Episcopo benedictum, nam unctio aptiſsime Spiritus gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur repræsentat.*

Porro

Porro istud oleum debet eſse ex olivis expreſsum, quia tale ſolum, proprie oleum nuncupatur. Debet quoque eſse simplex absque ulla admixtione. Duplex ergo oleum est in usu in Ecclesia, aliud *mixtum*, cui balsamum admiscetur, & vocatur *Chrisma*, quo ſolent inungi in vertice illi, qui baptisantur, & in fronte ii, qui confirmantur, atque in manibus, qui ordinantur, aliud est purum ex olivis expreſsum, cui nihil quidquam admiscetur, quo unguntur baptisandi in pectore, & ſcapulis, & ægroti in quinque ſensibus.

Quæres 3tio: Debetne istud oleum eſse benedictum?

Resp: Ex omnium Theologorum ſententia, jure ſaltem Ecclesiastico neceſse est, ut istud oleum infirmorum sit ab Episcopo consecratum, atque benedictum. Ita quippe docet constans Traditio. Unde & Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 1. Materiam Sacramenti Extremæ unctionis docet eſse *oleum ab Episcopo benedictum.* Si usus, & consvetudo Ecclesiæ Latinæ attendatur, certum est hoc oleum ab Episcopo debere eſse benedictum, quia ſolis Episcopis reservata est facultas oleum infirmorum benedicendi, & simplicibus Præsbyteris nunquam conceſsa fuit. Apud Græcos autem simplices Præsbyteri, oleum infirmorum benedicunt toties, quoties Extremæ unctionis Sacramentum administrant, qui Præsbyterorum Græcorum usus ab Ecclesia Latina non improbatur.

Sed præterea istud oleum debet eſse hoc anno benedictum, unde ut præscribit Rituale Rom: Tit: 5. Cap: 1. de Sacr: Extr: Unct. singulis annis, veteri combusto, renovandum est.

Si deficit oleum infirmorum ab Episcopo benedictum, propter frequentem hujus Sacramenti administrationem, & aliud benedictum haberi nequeat, potest Sacerdos oleum non consecratum miscere cum consecrato, modo in minore quantitate, quemadmodum præscribit Rituale Romanum. Tit: 5. Cap: de Sacram: Extremæ Unct: ex illa enim unione quod non fuit consecratum, quamdam contrahit consecrationem.

Quæres 4to: Quæ sit materia proxima Extremæ Unctionis?

Resp: Est ipsa unctio. In omnibus siquidem Sacramentis, quæ in actu transeunte posita ſunt, materia proxima, est applicatio materiæ remotæ. Jam vero juxta præscriptum Ritualis Romani: *Quinque corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti ſensuum instrumenta*

homi-

homini natura tribuit, veluti occuli, aures, nares, os, & manus, attamen pedes etiam, & renes ungendi ſunt, ſed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, ſemper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars, pro renibus ungi non debet. Manus vero, quæ in reliquis infirmis, interius ungi debent, Præsbyteris exterius ungantur. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loci illi proxima, inungatur, eadem verborum forma.

An vero istiusmodi plures unctiones sint ad hujus Sacramenti ſubstantiam neceſsariæ, disputant Theologi. Illorum magis placet ſententia, qui putant perinde eſse ad eſsentiam hujus Sacramenti, sive una, sive plures unctiones adhibeantur, attamen quinque ſensuum unctiones, ad integritatem Sacramenti, atque ad majorem illius effectus expreſsionem pertinere. Unde Rituale Romanum disponit: *Si quis laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat, antequam unctiones finiantur, cito ungatur, incipiendo ab eo loco, per istam ſanctam unctionem, & ſuam piiſsimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, sive per auditum ettc. deliquisti.* Quare in casu urgentis neceſsitatis, unico peruncto ſensu, dicendum est breviter: *Per istam ſanctam unctionem, & ſuam piiſsimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per ſensus deliquisti.* Sed extra casum gravis neceſsitatis nusquam licet istiusmodi unctiones prætermittere. Imo præcipit Rituale Rom: ut si instante periculo, unica tantum cum generali forma adhibita fuerit unctio, & adhuc infirmus ſupervivat, dicantur Orationes prætermiſsæ.

Si autem accidat, ut infirmus dum inungitur, decedat, Præsbyter ultro non procedat, & reliqua omittat. Quodsi dubitet, an infirmus adhuc vivat, unctionem prosequatur ſub conditione pronuntiando formam dicens: *Si vivis, per istam ſanctam unctionem ettc.* Ita Rituale Rom: Tit: 5. Cap: 1. de Sacram: Extr: Uunct:

Quæres 5to: Quæ sit forma Sacramenti Extremæ Unctionis?

Resp: Forma Sacramenti Extremæ Unctionis, ut inquit Rituale Romanum, *ſolemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet*, quia ſcilicet illa Sancta Romana Ecclesia ubique utitur. Monet autem idem Rituale. *Dum occulos, aures, & alia corporis membra, quæ paria ſunt, ſacerdos ungit, caveat ne alterum ipso-*

ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.

Verum tamen verba formæ hujus Sacramenti eſsentialia ſunt ista: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti.* Quia per hæc exprimuntur actus Sacramentalis, causa Sacramenti principalis, nempe Deus, ſubjectum cui Sacramentum applicatur, & effectus illius. Cavere tamen ſummopere debet Sacerdos, ne omittat cetera verba, quæ in Rituali Romano præscripta ſunt.

ARTICULUS 2dus

De Ministro, ſubjecto, & effectibus Sacramenti Extremæ Unctionis:

Quæres 1mo: Quis sit Minister Sacramenti Extremæ Unctionis?

Resp: Est Sacerdos. Ex constanti namque Ecclesiæ praxi, simplex Sacerdos potest hoc Sacramentum conficere. Quilibet ergo Sacerdos Sacramentum Extremæ Unctionis potest valide administrare, quia ad hoc ſufficit potestas Ordinis, quam quilibet habet Sacerdos. Verum ut etiam licite hoc Sacramentum administretur, requiritur potestas jurisdictionis, sive ordinaria, sive delegata. Si vero desit Sacerdos qui tali jurisdictione præditus sit, in casu extremæ neceſsitatis hoc Sacramentum à quolibet Sacerdote, sive Regulari, sive ſæculari licite administrari potest. Jam autem extra casum extremæ neceſsitatis, id Religiosis prohibitum est, ne ſcilicet jura Parochorum violentur.

Quæres 2do: Quibus administranda est Extrema Unctio?

Resp: Extrema Unctio administranda est. 1mo. ſolis infirmis. Et id persvasum habuit, ſuaque praxi confirmavit Ecclesia. Quare ſanis, & bene valentibus hoc Sacramentum administrari non debet, etsi probabile, aut certum mortis periculum ſubeant. Hinc Rituale Rom: ita præscribit Tit: 5. Cap: 1. de Sacramento Extremæ Unct: *Non ministretur prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula ſubituris, aut reis ultimo ſupplicio mox afficiendis*, quamvis enim hi omnes egeant præparatione ad mortem, non tamen pro illis ſed pro ſolis ægrotantibus hoc Sacramentum est à Chri-

sto institutum. Non est etiam dandum Sacramentum istud iis infirmis, qui levi aliqua laborant infirmitate, ex qua probabiliter mors timeri non potest, quia iis ſolum ægris administrari debet, qui graviter decumbunt, adeo ut ex illorum infirmitate prudenter, & probabiliter mors timeri debeat.

2do: Administranda est Unctio extrema iis, qui in exitu vitæ positi ſunt, ac vere moribundi censentur, & de quorum morte prudenter timetur, licetsi non ita proxima sit, quia ex Conciliis Florentino, & Tridenti: Sacramentum Extremæ unctionis administrari debet periculose decumbentibus, qui in exitu vitæ eſse videntur, & infirmis de quorum morte merito timetur. Unde Rituale Romanum sic habet de Extrema Unctione. *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cum ad rationis usum pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.* Quare graviter peccant, qui illud tempus ad inungendum ægrotum expectant, cum jam omnis ſpes vitæ amiſsa fuerit, cum jam ægrotus vita, & ſensibus carere incipiet. Ad dandam igitur Extremam unctionem, non est expectanda ultima illa vitæ periodus, qua homo extremum agit ſpiritum, ſed illud observandum est tempus, cum infirmus integris adhuc est ſensibus.

3tio: Danda est Extrema unctio ſenibus, qui propter decrepitam ætatem, quamvis nulla urgente infirmitate, in dies morituri creduntur, quia & Rituale Romanum ita disponit, ut mox vidimus Tit: 5. Cap: 1. de Sacram: Extremæ Unct: & ipsa gravis, atque annosa ſenectus infirmitas est morti proxima. Merito itaque Concil: Mediol: 4. ſub S. Carolo sic constituit: *Parochus Extr: Unctionis Sacramentum sicut his ministrare debet, adultis ſcilicet, periculose ægrotantibus, propeque moribundis, ſenio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris, ita istis non ministret, nempe pueris rationis usu carentibus mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis, qui mox ultimo ſupplicio mulctandi ſint.* Unum his addendum est, quod Rituale Romanum de hoc Sacramento præterea constituerat, nimirum: Impænitentibus. & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, atque excommunicatis, penitus eſse illud denegandum.

Quæ-

Quæres 3tio: Infantibus, amentibus, estne dandum Sacramentum Extremæ unctionis?

Resp: Infantibus baptisatis, in quibus nullum est peccatum, Sacramentum Extremæ unctionis dari non debet, quia illud ad delenda peccata est à Christo institutum. Amentibus vero furiosis, abreptitiis, qui dum ſana mente erant, signa sinceræ pænitentiæ, & veræ ad Deum conversionis ostenderint, maxime si antea Sacramenta exoptaverint, non debet illis hoc Sacramentum denegari. Si tamen istiusmodi homines nulla haberent lucida intervalla, aut etiam non poſsit ipsis Extrema unctio administrari, sine periculo irreverentiæ, ſatius foret, eo in casu illos non inungi, quia hoc Sacramentum non est omnino ad ſalutem neceſsarium. Unde Rituale Rom: ita statuit: *Infirmis, qui dum ſana mente & integris ſensibus eſsent, illud petierunt, ſeu verisimiliter petiiſsent, ſeu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effect sint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur ipsis hoc Sacramentum. Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter poſset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.* Non est ergo deneganda Extrema unctio iis qui ſubito vi mortis oppreſsi omni ſensu destituuntur, nec ſuum de peccatis dolorem, ac Sacramenti desiderium significare poſsunt, eorum quippe perspecta Christiana fides, videtur non obscurum eſse argumentum eorum voluntatis, ac desiderii ſuscipiendi hoc Sacramentum, quod demonstrarent si poſsent.

Quæres 4to: Qui ſunt effectus Sacramenti Extremæ Unctionis?

Resp: Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis, sic deſcripsit Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 2. *Res & effectus hujus Sacramenti, gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, consequitur.* Ex quo liquet primarium & directum hujus Sacramenti effectum eſse gratiam ſanctificantem, prout ipsa ordinatur ad fines ejusdem Sacramenti proprios, quos eſse quatuor ex prædictis Concilii Tridentini verbis colligimus, nempe remiſsionem pecca-

 torum,

torum, abstersionem reliquiarum peccati, infirmi levamen contra tædium, torporem, atque infirmitatis incommoda, denique ſanitatis corporeæ restitutionem.

Quæres 5to: Quænam peccata per Sacramentum Extremæ Unctionis delentur?

Resp. Ea omnia delentur, sive mortalia sint, sive venialia, quæ interdum remanent post alia ſuscepta Sacramenta, & ab infirmo ignorantur. Fieri enim potest ut quis post peractam in infirmitate Confeſsionem, Communionemque, in peccatum mortale incidat, & ignoret ſe eo peccato detineri, potest etiam accidere ut Confeſsionem, Communionemque infirmus non rite peregerit, & hoc ipse nesciat. Ista ergo peccata, quæ expianda ſupersunt, ut loquitur Concilium Trident: sive mortalia sint, sive venialia, Sacramentum Extremæ Unctionis nisi quis obicem ponat, & male dispositus sit, vere delet, & remittit, unde in unctionibus dicitur, *quidquid per visum, auditum, tactum, odoratum deliquisti.* Fieri ergo facile potest, ut infirmus per hoc Sacramentum ſalvetur, qui alioquin sine ipso damnaretur, quemadmodum docet S. Carolus Borromæus.

Dices. Extrema unctio datur post Confeſsionem, & absolutionem. Ergo ſupponit jam remiſsa peccata, non illa remittit.

Resp: Si vere per Sacramentalem absolutionem remiſsa ſunt, illa non remittit, & alios tantummodo parit effectus, si vero propter occultum aliquem defectum remiſsa non ſunt, aut nova ſupervenerint peccata, quæ ab infirmo ignorantur, illa remittit, dummodo infirmus recte dispositus sit, maxime de peccatis ſuis vere contritus inveniatur. Quare infirmus, qui vel in præcedenti Confeſsione aliquod mortale ex oblivione confiteri prætermisit, aut peracta Confeſsione novum aliquod peccatum mortale admisit, & illorum sibi conscius est, debet prius confiteri, & absolvi, antequam ungatur.

Quæres 6to: Quis est ſecundus Extremæ unctionis effectus?

Resp: Secundum effectum Extremæ unctionis Concilium Trident: hunc ponit, quod abstergat reliquias peccati, id est pænam temporalem peccatis debitam, pravas animi ad peccatum dispositiones, ac denique torporem ex peccatis provenientem. Ceterum Extrema unctio istas peccati reliquias non ita tollit, ut nullæ remaneant, ſed ſaltem id efficit, ut istiusmodi animi torpor, ignavia de-

pres-

preſsæ ac debilitatæ, minus ægrotum impediant, ab illarum rerum cogitatione, & operatione, quæ ad ipsius pertinent ſalutem.

Quæres 7mo: Qui ſunt reliqui Extremæ unctionis effectus?

Resp: Duo ſunt adhuc reliqui, ſcilicet: *Alleviatio animæ ægrotantis*, ex qua magnam illa concipit divinæ misericordiæ fiduciam, morbi incommoda levius tollerat, ac tandem in ſpem melioris vitæ quadam interna consolatione erigitur, & diaboli tentationibus facilius resistit. *Sanitas corporis*, si tamen illa ſaluti animæ expedierit, unde hic ultimus effectus conditionatus est, & facile intelligitur, cur virtute hujus Sacramenti non ſemper convalescant infirmi.

Quæres 8vo: An & quomodo Sacramentum Extremæ Unctionis, sit ad ſalutem neceſsarium?

Resp: Sacramentum Extremæ unctionis non est quidem ad ſalutem neceſsarium neceſsitate medii, quia ordinarie ſupponit remiſsa eſse peccata per Sacramentum Pænitentiæ, cujus perfectio est, & consummatio. Jure tamen divino præcepta est, atque Ecclesiastico. Unde qui periculosa præmuntur infirmitate, tenentur tum ex præcepto divino, tum ex mandato Ecclesiæ, hoc Sacramentum recipere. Sæpius autem in vita ab eodem homine, in alia & alia infirmitate recipi potest, unde Concilium Trident: Ses: 14. Cap: 3. de Extrema Unctione sic habet: *Infirmi si post eam ſusceptam convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubsidio juvari poſsunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Rituale vero Romanum Tit: 5. Cap: 1. de Sacramento Extr: Unct: sic disponit: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.*

Quæres 9no: Quæ requiruntur dispositiones, ut digne & fructuose Extrema Unctio percipiatur?

Resp: Requiritur *1mo*: prævia Confeſsio, & absolutio, unde qui reum mortalis peccati ſe eſse ſentit, prius confiteri, & absolvi debet, antequam ſacro oleo inungatur. *2do*: devotio actualis, quare ſemper danda est Extrema unctio, cum infirmus est adhuc integris ſensibus, non expectandum ultimum vitæ momentum, cum jam homo ad omnia fere ineptus efficitur.

TRA-

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO MATRIMONII,

Matrimonium adhuc in Paradiso Deus instituit, quando ex Adæ costa formatam mulierem ad illum adduxit, quam ipse intuitus dixit: Genesis Cap: 2. *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro, de carne mea. hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta est. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Christus vero illud confirmavit, indiſsolubilitatemque ipsius corroboravit, dicens Math: Cap: 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet:* ſuaque præsentia Nuptias in Cana Galileæ non solum cohonestavit, ſed & sanctificavit.

CAPUT PRIMUM

De Matrimonii natura, institutione, causisque ipsius.

ARTICULUS 1mus

De natura, eſsentia Matrimonii, illiusque institutione.

Quæres 1mo: Quid sit Matrimonium?

Resp: Matrimonium ſpectari potest vel ut est contractus naturalis ac civilis, in officium naturæ ad propagandum genus humanum, à Deo institutus, & juxta proprias locorum leges initus, vel etiam ut est Sacramentum. Matrimonium ut est contractus civilis ac naturalis: *Est maritalis conjunctio viri & fœminæ, individuam vitæ pariens societatem.* Requiruntur autem personæ ad istiusmodi maritalem conjunctionem, habiles, ut neque â natura, neque à locorum legibus ad eam impediantur. Parit autem individuam vitæ societatem, ad ipsamque strictiſsime obligat, unde solo partium consensu, sicuti

ti ceteri contractus dissolvi nequit. Matrimonium vero ut Sacramentum definiri solet: *Sacramentum novæ legis, à Christo Domino institutum, quo vir & mulier baptisati, secum stricto fœdere conjunguntur, ad prolem procreandam, atque pie & Christiane instituendam.* Matrimonium itaque consistit in mutua pactione, qua vir & mulier individuam vitæ societatem sibi spondent, & appromittunt, ex hac vero pactione oritur vinculum, quo vir & mulier sibi mutuo obstringuntur.

Triplex autem secernitur Matrimonium, nimirum *Legitimum* tantum, & est illud quod mutuo consensu inter personas habiles juxta locorum leges contrahitur, tale est Matrimonium inter Gentiles, & Judæos contractum. *Ratum* quod inter baptisatos contrahitur, & ideo majorem habet firmitatem, quia illi ratio Sacramenti supervenit: *Consummatum* denique, quod per carnalem copulam completur.

Quæres 2do: Utrum Matrimonium sit vere Sacramentum à Christo Domino institutum?

Resp: Matrimonium est verum Sacramentum à Christo Domino institutum. Ita definivit Concilium Trident: Sess: 24. Can: 1. his verbis: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum, ex septem Legis Evangelicæ Sacramentum, à Christo Jesu institutum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Et revera SS. Patres, & Concilia maxime Lateranense 3. Constantiense, & Eugenius 4. in suo decreto Matrimonium verum esse novæ legis Sacramentum tradiderunt, & hoc semper universa Orientalis, & Occidentalis Ecclesia tenuit, & docuit, contrarie sentientes, tamquam hæreticos anathematizavit.

Quæres 3tio: Matrimonia inter Infideles, seu non baptisatos contracta, suntne valida?

Resp: Matrimonia inter Infideles, seu non baptisatos, secundum justas loci leges contracta, valida sunt, quia nullo jure irritantur. Non Divino, cum nullum tale extat jus à Deo latum, imo Apostolus Paulus 1. Corinth: Cap: 7. statuit: *ut si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Non jure Ecclesiastico, quia Ecclesia nihil potestatis habet, in non baptisatos.

Debent tamen hæc matrimonia contrahi juxta Patriæ leges, quia Principes etiam Ethnici jus habent constituendi leges, juxta quas Matrimonia contrahantur, & si aliter contrahantur, invalida sint, his vero subditi obtemperare

porare tenentur, si igitur illas violent invalide contrahunt. Contracta nihilominus etiam legitime ab Infidelibus Matrimonia, non ſunt tam firma, sicut Matrimonia baptisatorum, quia hæc postquam consummata fuerint, nullo modo solvi poſsunt, illa vero aliquando solvi poſsunt.

Quæres 4to: Quid de Matrimoniis Fidelium cum Infidelibus, aut Catholicorum cum Hæreticis contractis sentiendum est?

Resp: Matrimonia Fidelium cum Infidelibus contracta nulla, & irrita ſunt, quia jam pridem cultus disparitas est impedimentum Matrimonium dirimens. At matrimonia Catholicorum cum Hæreticis inita valida quidem ſunt, ſed illicita, quia graviter, & justiſsimis de causis ab Ecclesia prohibita ſunt. Istiusmodi namque Matrimonia peccandi periculo exponunt Catholicum qui ducit hæreticam mulierem, & magis adhuc catholicam, quæ nubit hæretico. Et nempe periculum ne ex irrisione avertatur à Pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis, â jejuniis, cultu Sanctorum, ne prolem pariat hæresi, non Christo, ne demum à recta fide abducatur ab Hæretico viro, cujus ſermo ut cancer serpit.

Aliquando tamen ex conceſsione & dispensatione Ecclesiæ, potest inter Catholicos, & Hæreticos licite contrahi Matrimonium, quia & sæpius id ex dispensatione Romanorum Pontificum, & Episcoporum factum est, & non raro istiusmodi Matrimonia nihil, vel parum habent periculi, ut cum conjux hæreticus, parum de sua Religione solicitus est, & magis exterius, quam cordis affectu illi adhæret. Igitur poterunt Catholici Matrimonium contrahere cum Hæreticis *1mo:* cum illi conversionem serio promittunt, ſed raro habenda est fides ejusmodi promiſsionibus, quas fervens amor facile elicit, refrigescens vero eludit. *2do:* Quando graves causæ istiusmodi conjugia exigunt, puta ſpes certa ſopiendi graves inimicitias inter familias, flectendi animum alicujus Domini, Principis in gratiam Catholicorum. *3tio.* Cum præsto est legitima Superioris conceſsio, ac dispensatio. *4to:* Cum pars Catholica habitura est facultatem ac libertatem omnia ſuæ Religionis officia adimplendi, infantes utriusque sexus catholice instituendi, nec ullum vereri est ſubversionis periculum. Dispensatio vero ac conceſsio ad contrahendum Matrimonium cum hæretica parte, si agatur de magnis Principibus, quorum Conjugia insigniter Religionem tangunt, illa concedi debet vel à Romano Pontifice, vel ab Episcopis, si vero

agatur

agatur de inferioris conditionis hominibus, curandum est, ut id non fiat inconsulto Parocho, qui utriusque partis ingenium, veræ fidei in uno, errori in altero adhæsionem, ac futuri matrimonialis contractus clausulas, maxime educationem prolis ſpectantes, diligenter examinabit, & si quod fidei, vel moribus imminere periculum præsentiat, ministerium denegabit, & rem totam ad Episcopum deferet, imo nunquam istiusmodi aſsistet matrimoniis nisi sciente, & consentiente Episcopo.

Quæres 5to: Utrum Matrimonia valeant per Procuratorem inita?

Resp: Valent. Quia omnis contractus per Procuratorem constitui potest. Cum igitur Matrimonium verus sit contractus, qui inter virum & mulierem constituitur, poſsunt Matrimonia per Procuratorem constitui, & reipsa Matrimonia sic contracta, Ecclesia approbat, & rata habet, non est itaque dubium, quod ipsa valeant.

Ut vero per Procuratorem Matrimonium valide contrahatur, neceſse est. *1mo*: Ut Procurator speciale habeat mandatum non modo in genere ad Matrimonium contrahendum, ſed ad Matrimonium contrahendum, cum tali persona. *2do*: Ut mandatum istud per se, non per alium exequatur, nisi hoc ei ſpecialiter sit commiſsum, neque etiam mandati ſui limites excedat, atque ritu ab Ecclesia præscripto contrahat. *3tio:* Maxime autem & præcipue, ut mandatum non sit revocatum. Porro valet revocatio mandati, etiamsi quis juraverit se mandatum non revocaturum. Valet quoque revocatio etiamsi mere interna foret, quia tollit internum consensum, qui ad Matrimonium omnino neceſsarius est, licetsi in foro exteriori talis pure interna revocatio nihil prosit, nisi probetur. Magis autem valet revocatio tacita, hoc est non quidem verbis, ſed facto declarata, ut si quis aliud det mandatum ad contrahendum cum altera, qui enim secundam ducere vult, primam abjcit, & illam ducendi habitam immutat voluntatem. Curandum vero semper est, ut Matrimonium per Procuratorem contractum, deinceps inter præsentes Conjuges renovetur, & benedicatur, & id habet communis usus.

Quæres 6to: Quæ sit materia ac forma Sacramenti Matrimonii?

Resp: Materia Sacramenti Matrimonii ſunt actus contrahentium conjugum quibus consensum ſuum ad sesum perpetuo convivendum exprimunt, fidemque maritalem

talem sibi mutuo appromittunt. Forma vero ſunt verba in Rituali Romano præscripta, quibus Sacerdos nomine Ecclesiæ contractum matrimonialem ratihabendo benedicit.

Quæres 7mo: Ad validitatem Matrimonii, estne omnino neceſsarius Conjugum consensus?

Resp: Ad valorem Matrimonii omnino neceſsarius est utriusque Conjugis consensus, quia Matrimonium est contractus, jam vero contractus ſubsistere nequit sine mutuo contrahentium consensu, ubi autem deest matrimonialis contractus, ibi etiam Matrimonii Sacramentum ſubsistere nequit, cum hoc in illo fundetur ipsumque neceſsario præsupponat. Sive ergo Matrimonium ſpectetur ut purus contractus, sive ut Sacramentum, ſemper ad illud mutuus Conjugum consensus est omnino neceſsarius. Quoniam vero Matrimonium est duorum in idem conspirantium conventio, ideoque mutuus utriusque Conjugis requiritur consensus, unde si unus tantummodo Conjugum consentiat, alter vero vel nullatenus, vel nonnisi ficte, & fraudulenter, non stabit matrimonium. Consensus autem istiusmodi, debet eſse utriusque Conjugis simultaneus non quidem physice, ut eodem temporis momento ponatur, ſed moraliter, scilicet ut dum unius Conjugis consensus ponitur, alterius jam prius positus, ac præstitus, moraliter perseveret, nec revocatus sit sive implicite, sive explicite, alioquin non eſset mutuus utriusque Conjugis consensus, prout omnino eſse debet. Sufficit autem ut consensui unius prius præstito, nec revocato, ſed virtualiter perseveranti, accedat alterius consensus licet interposito intervallo, id enim in omni contractu satis est.

Quæres 8vo: Qualis debeat eſse consensus ad Matrimonium requisitus?

Resp: Debet eſse *1mo*: liber ac proinde immunis tum ab errore circa ea quæ ſubstantiam Matrimonii ſpectant, tum à metu gravi injuste incuſso, unde error & vis, ſunt impedimenta Matrimonium dirimentia.

2do: Debet eſse verus, ac sincerus, unde Matrimonium nullum est, si aut uterque Conjunx, aut unus eorum ficte, & exterius solum consentit, interius diſsentiendo.

3tio: Debet eſse exterior. Consensus enim unius Conjugis debet ab altero acceptari. Acceptari autem nequit nisi exterius manifestetur. Debet ergo consensus matrimonialis eſse exterior. Sed ut sit exterior, non debet omnino verbis exprimi, ſed ſufficit ut quibuscunque signis

exterio-

exterioribus declaretur, unde muti Nuptiarum capaces sunt. Cavendum tamen, ne qui verbis posunt, signis contrahant, quia à trito Ecclesiæ usu non est recedendum.

Quæres 9no: Ad quid tenetur qui ficte solum consensit?

Resp: Qui ficte consensit, huic nihil eorum licitum est, quæ veris Conjugibus permissa sunt, quia cum defuerit consensus unius Conjugis, nullum, ac irritum est Matrimonium. Qui itaque ficte tantummodo consensit, nisi obstet vis, metus inique incussus, aliaque gravis causa, qualis est, magna conditionis inæqualitas, capitales inimicitiæ ex tali Matrimonio oriundæ, tenetur de novo vere & interius consentire ac contrahere, quia aliter factam comparti injuriam resarcire non poterit, neque ad alias Nuptias convolare potest, quia semel in facie Ecclesiæ contractæ, pro validis exterius habentur. Dum vero post contractum Matrimonium una pars affirmat se nonnisi ficte consensisse, altera pars non tenetur ei credere. Ita statuit Innoc: 3. Cap: 10. de probat: quia verisimilius est quod nunc mentiatur, quam tunc cum Matrimonium contraxit. Unde ei nequidem juranti fides adhibenda est, nisi id speciales exigant circumstantiæ, ut si puella metum sibi incussum fuisse probet.

Quæres 10mo: An posit verus consistere consensus cum scientia juris, & errore facti, exg. Petrus duxit in uxorem Mæviam quam ex errore credebat esse sibi affinem in eo gradu, in quo sciebat se illam ducere non posse?

Resp: Multo probilius es, istiusmodi Matrimonium nullum esse, propter defectum consensus in Petro, quia vix fieri potest, ut vere & sincere velit Mæviam habere uxorem suam, quam credit, & plene persvasus est, suam uxoram esse non posse, nunquam enim voluntas in id inclinari potest, quod intellectus judicat fieri non posse. Res ergo plena dubii est, utrum sic contractum Matrimonium valeat, quare qui cum tali errore contraxit, deposito errore consensum renovare debet.

Quæres 11mo: Utrum valeat Matrimonium sub conditione contractum?

Resp. 1mo: Valet Matrimonium si conditio sit de præsenti, & extet, vel de præterito & extiterit, quia posita conditione, cui alligatur consensus, ille ex conditionato, transit in absolutum. Secus si conditio non subsistat, nam tunc deest consensus contrahentis, siquidem non vult tunc consentire in matrimonium nisi posita conditio-

ditione. Si ergo hæc non ſubsistat, non ſubsistit etiam consensus, quo deficiente deficit Matrimonium.

2do: Matrimonium contractum ſub conditione honesta, vel indifferenti de futuro contingente, valet quidem, ſed non abſolute, donec impleatur conditio. Quia ea est generatim natura conditionis contractui adjectæ, ut contractus valorem ſub illa initi, usque ad illius eventum ſuspendat. Quare post sic contractum Matrimonium, nihil permiſsum est Conjugibus, quod alias ipsis licitum foret, si absolute Nuptias contraxiſsent. Inest tamen certus huic Matrimonio valor, quare post ipsum neutra pars resilire potest alia invita, usque ad eventum conditionis. Si vero partes quæ sic contraxerunt, ante conditionis eventum vel revocent consensum ſuum, vel alias contrahant nuptias, ilico corruit Matrimonium.

3tio: Si conditio apposita repugnet naturæ Matrimonii, atque ipsius fini, & scopo, irritum est Matrimonium. Ita statuit Gregorius 9. Cap: ultimo de Conditionibus, ubi sic habetur: *Si conditiones contra ſubstantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.* Quod si vero conditio adjecta non adversetur fini, & ſubstantiæ Matrimonii, licetsi sit turpis, vel etiam absolute impoſsibilis, non irritat Matrimonium, ut ibidem in jure sancitur his adjectis: *Licet aliæ appositæ conditiones in Matrimonio, si turpes, aut impoſsibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Et merito conditio turpis, & impoſsibilis eodem in gradu habetur, id enim solum poſsumus, quod jure, & licite poſsumus, quare pari jure conditio turpis, ac impoſsibilis Matrimonio apposita, pro non adjecta habetur. Si tamen ex circumstantiis appareret conditionem impoſsibilem, aut turpem serio adjectam fuiſse, & contrahens vere affirmet se non habuiſse voluntatem contrahendi, nisi ſub ista conditione, irritum erit Matrimonium propter defectum consensus in sic contrahente.

Quotiescunque autem Matrimonium conditionate contractum, irritum redditur, nunquam ab eo Conjuges resilire poſsunt, & ad alias convolare nuptias, sine Judicis Ecclesiastici declaratoria ſententia. Semel enim in facie Ecclesiæ contractum Matrimonium, rescindi nequit nisi Ecclesiæ judicio.

Quæ-

Quæres 12mo: An peccent qui ſub conditione Matrimonium contrahunt?

Resp: Qui ſub conditione quacunque etiam honesta Matrimonium contrahunt, & qui ipsis aſsistunt peccant, maxime autem si conditio de futuro apponatur. Quia mortaliter peccat qui Sacramenta ſub conditione de futuro contingente absque gravi neceſsitate conficit, aut iis cooperatur. Vix autem unquam ſubeſse potest justa neceſsitas Matrimonium conditionale contrahendi, cum ſuo potiori effectu careat, ante conditionis eventum, & ante eum rescindi poſsit. Et vero Matrimonia ſub conditione inita, mille anxietatibus ſubjacent. Ergo cum ille avertende sint, talia Matrimonia non ſunt permittenda. Cum vero Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum fuerit, etiam adjecta conditione, licetsi apposita conditio non verificetur, nunquam ab eo resilire licet sine Judicis Ecclesiastici ſententia, ne iniquis effugiis & fraudibus, ac Sacramenti profanationibus janua pateat.

Quæres 13tio: An, & quomodo renovari debeat Matrimonialis consensus?

Resp: 1mo: Quando Matrimonium ex defectu veri in utraque contrahentium parte consensus, invalidum fuit, ut si ex metu, aut ficte contraxerint, debet utraque pars novum præbere consensum, & quidem non interius solum, ſed & exterius etiam idque si fieri potest coram legitimo Sacerdote. Quia Matrimonium verum eſse nequit, nisi utriusque contrahentis ponatur, & acceptetur consensus. Cum igitur prius defuit, nunc dum renovandum, & convalidandum est Matrimonium, poni debet. Et quia omnibus modis curandum est, ut Matrimonium rationem Sacramenti habeat & Sacramentum eſse nequit, sine benedictione Sacerdotali, ideo ſatagendum est, ut iste matrimonialis consensus coram legitimo Sacerdote renovetur. Si vero deeſset Sacerdos, vel ab omni coitu abstinendum est, vel renovato utrinque consensu, hærendum intra fines contractus civilis. Quodsi Matrimonium invalidum sit, ex defectu consensus unius nonnisi partis, quamquam probabile sit ſufficere, ut ab ea ſolum renovetur consensus, dum alterius partis perseverat, quæ compartem constanter pro ſua reputat conjuge, eaque maritaliter utitur, attamen tutius est, ut utraque pars contractum matrimonialem renovet coram Sacerdote, nisi grave quidpiam obstet. Sic enim valori Sacramenti optime consulitur.

2do: Cum matrimonium fuit clandestinum, & propter

defe-

defectum præsentiæ Parochi, & Testium nullum, necefsum est, ut coram iis iteretur. Suppleri enim debet illa solemnitas à Concilio Tridentino præscripta, quæ illi defuit. Si vero Matrimonium nullum fuit, propter aliud dirimens impedimentum, ante omnia curandum est, ut pars nullitatis Matrimonii conscia, nec debitum conjugale exigat, neque illud exigenti reddat, alioqui scienter fornicaretur. Ut autem illud Matrimonium convalescat, primo obtinenda est dispensatio, deinde uterque Conjugum novum exterius consensum præstare debet, quare matrimonii nullitas comparti hoc ignoranti, quam cautifsime, detegenda est. Quia prior consensus, propter interveniens dirimens impedimentum, nullus fuit, novus ergo ponendus est, atque ideo pars, quæ matrimonii nullitatem ignorat, hac de re admoneri debet, alioqui proprie non ponit consensum novum, fed priorem, qui fuit reipsa invalidus, ex errore putans efse validum, renovat. Jam vero consensus in se invalidi, renovatio, Matrimonium invalidum non convalidat. Verum quando Confefsarius advertit Conjuges cum impedimento dirimente, quod invincibiliter ignorant, contraxifse, sedulo illi cavendum est, ne de ipso eos prius admoneat quam perspexerit an, & quale ex fua monitione commodum, vel incommodum fubsequi posit. Unde ei pensandum est istud Innocencii 3. Cap: 6. de Consang: præscriptum: *Difsimulare poteris ut remaneant in copula sic contracta, cum ex feparatione grave videas scandalum imminere.*

3tio: Matrimonium ex impedimento dirimente invalidum, post dispensationem, publice iterari debet, cum nullitas illius notoria est, aut verisimiliter manifestanda, unde tunc coram Parocho & testibus de novo celebrandum est Matrimonium. Et tunc tamen nova Bannorum promulgatione non est opus, si paulo ante factæ sint, pro priori contracto conjugio, vel conjugii illius invaliditas necdum publice innotuerit. Imo femper in talibus casibus expedit, ut ab Episcopo petatur Bannorum dispensatio, & afsumptis pro testibus iis, qui impedimentum noverant, fecreto Matrimonium renovetur, & convalidetur.

Occulte autem tantum renovari debet Matrimonium, quando cum impedimento dirimente nunc & in futurum occulto celebratum fuit, & ita declaravit Pius 5. Papa, neque Decretum Concilii Trident: quo clandestinæ prohibentur nuptiæ, ad hunc fe extendit casum. Cum enim Matrimonium primo contractum, licet à parte rei propter

pter occultum defectum, nullum sit, nihilominus in facie Ecclesiæ cum debitis ſolemnitatibus contractum sit, & in exteriori foro, validum reputetur, non est neceſse, ut iterum cum iisdem ſolemnitatibus renovetur.

4to: Tandem cum Matrimonium conditionate juxta formam Concilii Trident: coram Parocho & testibus contractum est, non videtur neceſsarium eſse, ut post conditionis eventum, coram iisdem renovetur, quia contractus conditionate initus, statim ac impleta est conditio, absque novo Partium consensu perficitur, & completur. Practice tamen curandum est, ut post conditionis eventum istud Matrimonium coram Parocho renovetur, ut hoc modo rationem etiam Sacramenti ex illius benedictione habeat.

Quæres 14to: Utrum ad valide contrahendum Matrimonium à filiis, filiabusque, neceſsario requiratur consensus illorum Parentum?

Resp: Non requiritur. Unde Matrimonium filiorum, filiarumque sine consensu ſuorum Parentum contractum, validum est. Quia ut Matrimonia, sine ſcitu, & consensu Parentum ab illorum liberis contracta valeant, ſufficit ut nullo obstante impedimento libere contrahantur. Repugnantia autem Parentum, & difsensus eorum, nullibi statuitur pro impedimento, quod valori Matrimonii obeſse poſsit. Ergo sine ſcitu, & consensu Parentum, imo ipsis repugnantibus, ab eorum Liberis contracta Matrimonia valida ſunt. Hinc Concilium Trident: Ses: 24. Cap: 1. eos: *anathemate damnat, qui falso affirmant Matrimonia à filiisfamilias, sine Parentum consensu contracta, irrita eſse, & parentes ea rata, vel irrita facere poſse.* Verum graviter peccant filii, filiæque, quæ sine ſcitu, consensuque ſuorum Parentum, Matrimonium contrahunt. Exigit siquidem reverentia Parentibus debita, ut in re, qua gravior nulla eſse potest, filii filiæque ſuorum Parentum & consilium exquirant, & contra eorum voluntatem nihil agant. Quare Concilium Tridentinum, licet definierat Matrimonia filiorumfamilias sine consensu Parentum contracta valida eſse, adjecit tamen, quod *Sancta Dei Ecclesia ex justiſsimis causis illa ſemper detestata sit, & prohibuit.*

Cum autem valeant Matrimonia à filiis, filiabusfamilias sine ſcitu & consensu ſuorum Parentum inita, magis valent Sponsalia ab illis sic contracta, cum hæc nonnisi quædam sint ad Matrimonium præparatio, strictiusque sit Matrimonii vinculum quam Sponsalium obligatio.

Sed

Sed quemadmodum filii, filiæque non debent sine ſcitu & consensu ſuorum Parentum Matrimonia inire, ita neque Sponsalia iis invitis, & inconsultis contrahere.

ARTICULUS 2dus

De causis Sacramenti Matrimonii.

Quæres 1mo: Quæ, & quot ſunt Sacramenti Matrimonii causæ?

Resp: Sacramenti Matrimonii causæ aliæ ſunt efficientes, qualis est Sacerdos Matrimonium benedicens, qui hujus Sacramenti verus est Minister, aliæ prævie ad illud disponentes, ut ſunt Sponsalia & Bannorum promulgatio.

Quæres 2do: Utrum Sacerdos sit reipsa Minister Sacramenti Matrimonii?

Resp: Sacerdos est verus Sacramenti Matrimonii Minister, quia ſemper à primis Ecclesiæ Sæculis Sacerdos Matrimonium benedicebat, & benedictione ſua gratiam Sacramentalem Conjugibus conferebat, ut constat ex antiquiſsimis SS. Patribus, unde Concil: Trident: Ses: 24. Cap: 1. sic statuit: *Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris ettc. vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Certe ille est Minister Matrimonii qui Conjuges in Matrimonium conjungit. Porro Sacerdos Conjuges in Matrimonium conjungit. Est ergo verus hujus Sacramenti Minister. Quare in Rituali Nostrarum Provinciarum, postquam Conjuges mutuam sibi datam fidem juramento confirmaverint, Sacerdos eos alloquens sic dicit: *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet. Et ideo Matrimonium inter vos contractum, ego authoritate Ecclesiæ Catholicæ confirmo, & benedico. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Quæres 3tio: Desponsandi ſuntne etiam causa Matrimonii?

Resp: Si Matrimonium ſpectetur ut est contractus, illius causa ſunt desponsati, quia Matrimonialem contractum in præsentia Sacerdotis constituunt, dum juxta præscriptum Ritualis nostri uterque Sponsorum dicit: *Ja ci bie biorę &c.* hunc vero Matrimonialem contractum sic inter

Spon-

Sponsos constitutum, Sacerdos confirmando, ſua benedictione Sacramentum eſse facit, dum ait: *M atrimoniu inter vos contractum, confirmo, & benedico.*

Quæres 4to: Quid, & quotuplicia ſunt Sponsalia?

Resp: Sponsalia nihil aliud ſunt, quam: *Promiſsio mutua, & deliberata futuri Matrimonii, ſufficientibus verbis, aut signis declarata, inter personas ad contrahendum Matrimonium habiles, atque idoneas.* Ut igitur vera sint ſponsalia, debet eſse. *1mo:* promiſsio. Neque enim ſufficit simplex propositum, etiam verbis expreſsum exg. *Volo te ducere in uxorem.* Propositum enim stat sine animo ſe vere obligandi, jam vero animus ſe vere, & sincere ad contrahendum Matrimonium obligandi, ad ſponsalia neceſsario prærequiritur. Hinc qui ficte futurum Matrimonium promittit, aut expreſse obligare ſe non vult, licet ob deceptionem in re gravi peccet mortaliter, & damnum ex fraude ſua exurgens reparare teneatur, reipsa tamen Sponsalia non contrahit, quia non ex animo, ſed ſpecie tenus Matrimonium promisit.

2do: Debet eſse promiſsio mutua, quia Sponsalia pariunt obligationem onerosam, & una pars non censetur velle ſe obligare, nisi altera repromittat, & viciſsim ſe obliget. Unde Sponsalia dicuntur reciproca promiſsio. Quapropter promiſsio futuri Matrimonii etiam jurata non obligat, nisi fuerit acceptata. Non tamen promiſsio hæc, donec acceptata sit, pro libitu revocari potest, quia graviter læderetur Puella, cum facta ei publice, Matrimonii ſponsio, sine ulla, quæ ſupervenerit causa, rescinderetur. Et hoc à fortiori verum est, si promiſsio juramento confirmata fuerit. Potest tamen constitui tempus, quo elapso, corruat facta promiſsio, cum necdum acceptata fuerit. Imo si longior sit deliberatio, poterit non acceptatio pro repulsa haberi. Interim qui promiſsionem necdum acceptatam revoca. vera Sponsalia non contraxit. Debet autem ista promiſsionis factæ acceptatio, eſse personalis, quare, licet in multis Contractibus Pater pro filia stipulari poſsit, non tamen in ſponsalibus, sicut enim ad conjugium, ita ad Sponsalia, quæ ad illud ordinantur, maxime personalis requiritur consensus. Si tamen Pater pro filia, cui optime vult, præsente, & tacente, factam futuri Matrimonii promiſsionem, acceptet, erit hoc illius silentium ſufficiens acceptatio. Stricte etiam loquendo non exurgunt Sponsalia ex ſola promiſsionis acceptatione, donec accedat repromiſsio, quæ obligationem

repromittentis inducat. Potest enim Johanna promiſsionem Filii sibi factam acceptare, ne consilium mutet, & interea expendere an sibi expediat, ut mutuam Filio fidem præstet. Si tamen agatur de Sponsalibus jam pridem optatis, industrie quæsitis, silentium ipsum habebit repromiſsionis rationem. Si autem promiſsio futuri Matrimonii facta sit absenti, & hæc ei intimetur, per aliquem, qui ad id deputatus non erat, repromiſsio illi facta non inducet Sponsalia, quia nemo alterius personam aſsumere potest, & Procuratorem ipsius gerere, sine illius licentia, & consensu.

3tio: Ut Sponsalia sint vera, debet eſse promiſsio deliberata, hoc est fieri debet cum ea advertentia, quæ ad mortale peccatum prærequiritur. Sponsalia namque inducunt obligationem ſub mortali, hæc autem per actum vel nullatenus, vel non ſatis deliberatum, induci nequit. Quare Sponsalia contrahere nequeunt ebrii, phrænetici, amentes, nisi lucida habeant intervalla, vel in aliis materiis delirantes, in ista ſapiant. Aliud est de mutis, & ſurdis, cum ex iis plures sint ingenii adeo perspicacis & multa difficillima intelligant. Nec Sponsalia valide contrahunt, qui circa personam, aut circa conditionem illius ſervilem errant, quia talis error etiam Matrimonium dirimit. Probabilius etiam non valent Sponsalia ex gravi metu inique extorta, quia Sponsalia, & Matrimonium ſunt ſecum connexa. Porro Matrimonium si gravi metu extorqueatur invalidum est. Ergo & Sponsalia gravi metu inique extorta invalida eſse debent. Sed quia contrarium tenent graves Theologi, consultius est, ut pars metum gravem inique paſsa, cum opus fuerit, dispensationem petat in impedimento publicæ honestatis, si nempe Matrimonium contrahendum sit cum consangvineo, vel consangvinea illius persona, cui ex gravi metu facta est futuri Matrimonii promiſsio.

4to: Debet istiusmodi promiſsio verbis, vel aliis signis declarari, quia Sponsalia ſunt contractus qui mutuo constitui, & acceptari debet. Non potest vero alter alterius fidem, promiſsionemque acceptare, nisi sibi manifestetur. Non omnino autem verba requiruntur, quia alia etiam signa ſufficiunt, unde & per nutus Sponsalia contrahi poſsunt.

5to: Tandem hæc futuri Matrimonii promiſsio debet eſse inter personas ad contrahendum Matrimonium habiles,

les, ſcilicet tales, quæ Matrimonium inter ſe contrahere nullo jure prohibeantur.

Duplicia autem ſunt Sponsalia, Ecclesiastica ſcilicet, & civilia. *Ecclesiastica,* quæ coram Parocho, & testibus celebrantur, qui mos in quibusdam Regionibus viget. *Civilia,* quæ sine Parocho, per mutuam nonnisi Partium appromiſsionem, perficiuntur, & talia in nostris Regionibus ſunt in usu, quæ etiam pariunt impedimentum publicæ honestatis. Sunt etiam alia. *Conditionata,* quæ nonnisi adjecta aliqua conditione ineuntur, & *absoluta* quæ absolute, & sine ulla adjecta conditione perficiuntur.

Quæres 5to: In qua ætate Sponsalia contrahi possint?

Resp: Expleto ſeptennio. Unde ante completum ſeptennium contracta Sponsalia nulla ſunt. Ita constituit Alexander 3. Cap: 13. de Sponsal: his verbis: *Pronuntiavimus inter juvenem & puellam nec Matrimonium, nec Sponsalia fuiſse contracta, cum constet puellam nondum ad ſeptennium perveniſse,* quia ſeptennio completo communiter incipit usus rationis, & libertatis, quæ ad Sponsalia contrahenda omnino neceſsaria ſunt. Poſsunt autem Parentes loco Liberorum ſuorum, qui impuberes ſunt, Sponsalia contrahere, at si ipsi sint ſeptennio minores, nulla ex his Sponsalibus nascitur obligatio, nisi Liberi ſeptennio majores eadem Sponsalia rata habeant. Quodsi post adeptum ſeptennium illa ratihabeant, non poſsunt resilire ante pubertatem, bene vero post illam, modo statim contradicant. Ita disponit jus Cap: unico de Despons: impuberum in 6to. Jam vero tunc qui primo fit pubes, non tenetur expectare donec alter pubescat, ſed potest statim à Sponsalibus resilire. Si vero pubes cum impubere Sponsalia contraxit, pubes resilire nequit, bene vero impubes, non quidem ante, ſed post adeptam pubertatem. Illico autem post adeptam pubertatem, contra Spansalia, reclamandum est. Illico vero fieri censetur, quod intra triduum fit. Ergo vel reclamandum est sine mora, vel ad minus declaranda est reclamandi intentio, nisi quis ignoret, ſe jam attigiſse pubertatem, vel sibi competere jus resiliendi, quia non currit tempus ignoranti. Ceterum sicut verbis, ita & factis rata haberi poſsunt Sponsalia, ut si quis munera Sponsæ mittat, vel recipiat.

Multi Theologorum docent, poſse post adeptam pubertatem â Sponsalibus resilire, quæ quis impubes contraxit, & juramento ſuo confirmavit. Quia cum

 ea

ea sit hujusmodi Sponsalium natura, ut post adeptam pubertatem dissolvi possint, idque in commune bonum à jure constitutum sit. juramentum hanc eorum conditionem sequi debet. Etsi vero propter imbecillitatem ætatis, cui succurrendum est, minores causæ ad dissolutionem hujusmodi Sponsalium requirantur, quam alias necessariæ essent, non est tamen æquum, ut promissio gravis, & communiter de Parentum consensu facta, sine ulla causa dissolvatur.

Tutor vero, Socer, aut Frater impuberum, pro illis Sponsalia contrahere nequeunt. Quia hoc solis Parentibus à jure conceditur. Ergo ad alios extendi, istud non debet.

Quæres 6to: An valeant Sponsalia contracta inter Personas habentes impedimentum aut dirimens, aut impediens futurum Matrimonium?

Resp: Sponsalia contracta inter Personas habentes impedimentum, etiam solum futurum Matrimonium prohibens, quamvis fuerint jurata, irrita sunt, si istiusmodi impedimentum perpetuum sit, quia talia Sponsalia sunt promissio rei vel impossibilis, vel illicitæ. Porro promissio rei impossibilis, aut illicitæ nulla & irrita est. Unde tritum illud axioma: *Omne impedimentum perpetuum Matrimonii, etiam impediens tantum, respectu Sponsalium fit dirimens.* Si vero impedimentum futuri Matrimonii temporale sit, aut per dispensationem auferri valeat, & Sponsalia respiciant Matrimonium tunc contrahendum, quando id liberum ac licitum erit, valida illa, ac rata erunt, quia tunc non includunt promissionem rei impossibilis, aut illicitæ, quemadmodum in priori casu. Quare qui ad duos menses voto castitatis ligatus, spondet Matrimonium elapsis duobus Mensibus contrahendum, Sponsalia ejus tenent. Et qui habentes impedimentum futuri, quod cogitant, Matrimonii, Sponsalia ineunt sub ista conditione, si Papa vel Episcopus dispensaverit in illo impedimento, debent expectare donec cum ipsis dispensetur, & neutri ante recusatam dispensationem, à Sponsalibus resilire licet, obtenta vero dispensatione, Sponsalia, quæ erant conditionata, transeunt in absoluta.

Quæres 7mo: Quot modis Sponsalia contrahi possunt, & utrum quoquomodo inita valeant?

Resp: Multis modis Sponsalia contrahi possunt, scilicet vel *absolute*, sive simpliciter, sive cum juramento, vel *conditionate*. Conditio autem vel est de præterito, vel

de

de præsenti, vel de futuro, sive necessario sive contingente. Rursum conditio vel est honesta, ut si Petrus dicat Bartæ, *ducam te in uxorem, si aureos mille in dotem attuleris*: vel turpis, eaque aut Matrimonii substantiæ adversatur, ut cum dicit Paulus Annæ, *ducam te in uxorem, si prolis generationem evites:* vel bonis moribus, non autem Matrimonii substantiæ contrariatur, ut si Petrus dicat Johannæ, *ducam et in uxorem, si me in furto adjuves*; vel tandem est impossibilis, ut si dicat Paulus Annæ, *accipiam te in uxorem, si digito cœlum attigeris.* Itaque *1mo:* Sponsalia tum absoluta, tum ea, quæ fiunt sub conditione vel necessario futura, vel præsenti, quæ actu existat, vel præterita, quæ extiterit, statim valent, quia nec ullo jure irritantur, nec per appositionem conditionis, quæ jam impleta est, aut necessario implenda, suspenduntur. *2do:* Sponsalia contracta sub conditione de futuro possibili, & honesta, vim suam habent statim ac impleta fuerit conditio, quia tunc transeunt in absoluta. Qui ergo sic Sponsalia sub conditione futura possibili, & honesta contraxerunt, tenentur conditionis eventum expectare. Quodsi una pars consensum revocaverit, novo opus erit consensu, & ad id tenebitur, nisi etiam altera resilire malit. Imo si altera pars in suo proposito perseveret, hæc quæ suum consensum revocavit, eum de novo dare tenetur, etiamsi cum alia sive absolute, sive conditionaliter Sponsalia contraxerit, & quamvis secundorum Sponsalium conditio citius quam priorum impleta esset, quia secunda Sponsalia jus prioris Sponsæ legitime partum subvertunt, vi enim priorum Sponsalium, conditionis eventum expectare tenebatur, cum ergo hæc iniqua sint, priora tenent. Contracta autem sub conditione impossibili, sunt irrita, invalida, quia contractus omnes, præter Matrimonium, & testamenta, per appositionem conditionis, ex natura, aut facto impossibilis, nulli sunt, ita statuit jus, Inst: de inutilit: stipul: *Si impossibilis conditio obligationibus adjciatur, nihil valet stipulatio.* Ergo eodem jure irrita quoque sunt Sponsalia, quibus adjecta est conditio impossibilis. *3tio:* Sponsalia, quibus adijcitur conditio de futuro turpis, si sit substantiæ, fini, ac scopo Matrimonii contraria, ipso jure nulla sunt, si vero adjecta conditio non sit substantiæ ac fini Matrimonii contraria, impleta conditione valent Sponsalia. Unde si Petrus dicat Annæ, *ducam te in uxorem, si mecum fornieeris*, sic à se Virginem sub spe futuri Matrimonii corruptam ducere obligatur.

Quæ-

Quæres 8vo: An Sponsalibus addi possit, ut qui à Sponsalibus resilit, vel aliquid amittat, vel aliquid solvat?

Resp: Appositio pænæ positivæ, qua quis aliqua boni sui parte privatur, generatim & indistinctim facta, & imposita, sive juste quis à Sponsalibus resiliat, sive injuste, illicita est, & in foro conscientiæ non tenet. Quia talis appositio pænæ in jure Canonico reprobatur Cap: 29. de Sponsal: ubi sic statuitur: *Cum libera Matrimonia esse debeant, ideo talis stipulatio, propter pœnæ interpositionem merito improbanda est.* Et merito sic statutum est, quia multi, ne pænam, præcipue gravem, subirent, coacta, & intus ob supervenientes causas detestata contraherent Matrimonia. Ex his autem quot inter familias jurgia, inter sponsos dissidia, nemo non videt. Et hoc verum est sive istiusmodi pæna Sponsalibus adijciatur ab ipsis Sponsis, sive ab eorum Parentibus, consangvineis, amicis, semper enim talis pænæ adjectio, Matrimonii libertati obest. Neque hac in re factam stipulationem juramentum firmabit, quia juris dispositioni adversatur, satius tamen erit, ob divini nominis reverentiam dispensationem juramenti petere.

Quodsi apposita pæna, non tam pæna sit, quam damni, ex iniqua Sponsi mutatione emergentis, compensatio, hæc juste exigi potest. Unde si Petrus cum Bathilde Sponsalia cum adjuncta pæna contrahat, ea lege, ut per plures annos expectet, donec illam in uxorem ducat, poterit illa titulo compensationis rem sibi traditam retinere. Idem est si graves ad Matrimonium, quo inique frustratur, sumptus quis fecerit, aut si ex Petri agendi ratione, futurum sit, ut Anna, ejusque familia probrum & suspiciones incurrant. Licitum quoque est pacisci in contrahendis Sponsalibus de pæna ab eo solvenda, qui ab iis injuste resilierit, quia is etiam Censuris Ecclesiasticis, quæ gravius aliquid sunt, quam apposita pæna, plecti potest, quod à contractis Sponsalibus injuste resiliat. Qui ergo à contractis Sponsalibus primus injuste resilit, in conscientia tenetur pænam constitutam ferre, quia alteri parti infert injuriam, propter quam, ex pacto pænam promissione fundatam subire debet. Verum & illi, qui sine justa causa à Sponsalibus recedit, pæna constituta, æqua ratione, moderanda est, ne ipse adigatur ad contrahendas Nuptias, à quibus jam forte animo alienus est. Si vero juste à Sponsalibus resiliat, pænam appositam ferre non tenetur. Quodsi quis nihilominus eam pænam solverit,

tunc

tunc videndum est, an solverit ex errore, quia licetsi justa de causa à Sponsalibus recesserit, tamen ad solvendam pænam iis ánnexam putabat se teneri, vel solvit sciens se ad solvendum non esse obligatum, suumque pactum nullum esse. Si *1mum:* quod solutum est non potest retineri, quia ex errore facta donatio nullum jus tribuit ad rem donatam. Si *2dum:* potest tuta conscientia id retineri, quod datum est, quia donans sciens & volens juri suo cedit, ac forte mærorem partis alterius ex sua agendi ratione conceptum lenire voluit. Quæ autem rationes ad dandum impulerint, ex circumstantiis personæ dijudicandum est. Facilius enim præsumentur munificentia, & æquitas in homine divite, liberali, non imperito, quam in rudi, avaro, ignobili. In dubio res per amicos tractanda est, & mulcta pro ratione dubii partienda.

Quæres 9no: Utrum Sponsi suos sibi defectus mutuo aperire teneantur?

Resp: Ex defectibus, quibus Sponsi laborare possunt, alii tales sunt, ut verisimiliter post contractum Matrimonium detegendi sint, & tunc cedent seu in opprobrium, seu in detrimentum alterius Sponsi, ut si Puella ex alieno facinore uterum gerat, si Sponsus lue venerea infectus sit, si ære alieno gravatus sit, si ab infimo plebis fæce ortus, gerat se pro nobili, & qua talis ambiat conjugium puellæ nobilis, si sit ex genere, vel delicto infamis. Alii vero defectus tales sunt, ut vel nunquam foras erumpere valeant, ut si quæ creditur Virgo à quopiam vitiata sit, qui jam mortuus est, vel etiam tales defectus sunt, qui licet post contractum Matrimonium necessario detegendi sunt, sed vel á comparte leniter, corrigi, vel patienter tollerari possunt, ut si quæ mitis, & lenis habebatur iræ impatiens, & proterva sit. Igitur *1mo:* defectus primi generis, ab una parte, alteri detegi debent, quod si fieri nequeat, desistendum à Sponsalibus, & magis à Nuptiis, atque tali à Confessario, nisi hæc præstet, denneganda est in Sacramento Pænitentiæ, absolutio. Nemini siquidem licet commodum suum quærere, cum gravi alterius detrimento. Ergo sicut volenti emere ligna occulte cariosa in fabricam domus, tenetur venditor vitium hoc aperire, sic & magis quidem certis laborans defectibus, qui Matrimonium in societate conjugali, in susceptione, atque educatione prolis, denique in ipso convictu, periculosum efficiunt, eosdem defectus aperire tenetur. Quodsi una pars occultet suos defectus, & altera

pari-

paribus, aut æquivalentibus laborat, tunc aliquando valere hic potest compensatio, ut si ignobilis, ignobili nubat, ſed non ſemper valet, ob ſpeciales personarum circumstantias. Unde si Sponsus & Sponsa cum aliis peccaverint, & futurum sit, ut Sponsus detecto Sponsæ ſcelere, in immania quæque erumpat, non modo à Sponsalibus, ſed & his etiam contractis, à Matrimonio abstinendum est, quia licet aliqua forte sit compensatio in rebus, non tamen in rerum consectariis.

2do: Si Sponsorum alter, occulto vitio laboret, quod alteri grave incommodum parere nequeat, & tamen justam si cognosceretur à Sponsalibus resiliendi præberet causam, ut si Sponsa ante, vel alteruter post Sponsalia cum alio peccaverit, ordinarie non tenetur illud ſuum vitium aperire. Quia onus turpitudinem ſuam revelandi, tam durum est, tam humanæ naturæ adversum, ut nemo illud erga ſe exequi teneatur, quando nulla hinc alteri probri, aut injustitiæ labes inuritur, prout fit, cum de occulto defectu celando agitur. Hæc tamen in duplici ad minus casu limitanda sunt, *1mo*: cum periculum est, ne vitium, quod actu latet, postmodum foras erumpat, & graves pariat rixas, tunc enim aut aperiri debet, si apertum, vel nihil vel parum infamet, aut à Sponsalibus, qua meliori poterit via est recedendum. *2do*: cum Puella ex alio concepit, etsi à Sponso, cujus etiam libidini obsecuta est, concepiſse præsumi potest. Nam vel deteget Sponsus, ipsam ex alio concepiſse, quia nimirum inter unam & alteram fornicationem multum effluxerat temporis, & tunc inter utrumque Sponsum æterna odia, rixæque, & exprobrationes nascentur, vel id non deteget, & Sponsus ſese prolis patrem, licet falso, arbitrabitur, & tunc quamvis non ſuborientur rixæ inter Sponsos, ſed alia graviſsima ſubsequentur mala, videlicet quod futurus maritus prolem alterius alere & ſustinere debebit, & quod ſpuria proles hæriditatis partem, sibi minime competentem consequetur. Tunc ergo vel admiſsum crimen confitendum, Parocho, aut alteri discreto viro, si Sponsus Matrimonium urgeat, vel à Sponsalibus, & iis contractis à Nuptiis etiam recedendum est.

Quæres 10mo: Quos effectus Sponsalia pariunt?

Resp: Præcipuus Sponsalium effectus est obligatio quam inducit ad Matrimonium contrahendum. Et hæc obligatio gravis est. Quia promiſsio in Sponsalibus est mutua in re gravi, utrinque onerosa, gravem ergo parit

rit justitiæ obligationem. Est itaque Matrimonium contrahendum, si nihil obstet, tempore inter Sponsos constituto. Sicuti enim in ceteris contractibus, ita etiam in contractu Sponsalitio servari debet tempus de quo inter partes contrahentes conventum est. Excusat tamen saltem à gravi, dilatio ad breve tempus. Unde dilatio ad unum, & alterum diem, vacat à mortali. An idem dicendum sit, si post præfixum tempus differatur Matrimonium ad unam, duasve hebdomadas, ex circumstantiis judicari debet, quia hæc mora quæ apponitur, aliquando nocere potest comparti, eamque incontinentiæ periculo exponere. Si vero in Sponsalibus, nullum sit ad contrahendum Matrimonium præfixum tempus, tunc Matrimonium contrahendum est, quam primum commode id fieri potest, quia in omnibus obligationibus in quibus dies non apponitur, quam primum illa impleri debet.

Hinc etiam vir nobilis, qui cum puella, conditionis longe inferioris, sibi bene nota, Sponsalia contraxit, eandem ſub gravi ducere tenetur, etiamsi copulam ab ea injecta spe Matrimonii non extorserit, quia scienti, & volenti non fit injuria. Nisi tamen ex dispari conjugio merito timeantur rixæ, scandala, pænitudo gravis ipsius mariti. Nemo quippe ad illiciti quidpiam obligari potest. Porro illicitum est, quod absque tantis malis adimpleri nequit. Si quid tamen sponsa hæc paſsa fuerit damni, erit ipsi refundendum. Porro quicunque sine justa causa recusat datam in Sponsalibus adimplere fidem, ille in conscientiæ foro, per denegationem Sacramentalis absolutionis compelli debet, ut stet ſuis promiſsis, quia absolvi nequit, qui gravis injustitiæ reus, eidem cum potest satisfacere, renuit. Potest etiam per legitima juris media, ad instantiam alterius partis à judice, post adhibita exhortationis remedia, ad Matrimonium compelli, nisi gravia hinc timeri debeant incommoda, veluti diſsensiones capitales, fictus in Matrimonium consensus, & alia quam plurima mala.

Sed & is qui virginem, ſub mendaci futuri Matritrimonii promiſsione, ſeduxit, eamque constupravit, illam ducere tenetur, posito quod ablatus ei honor alio modo resarciri non poſsit, quia alias de mendacio ſuo, & alterius ſeductione fructum reportaret. Nisi tamen quæ ſeducta est, intelligere potuerit, nuptiarum promiſsionem, dolose, & mendaciter ad obtinendum crimen sibi factam eſse, tunc enim nihil plus illi debetur, quam quod debe-

tur

tur libenter in crimen consentienti. Sed plerumque qui parum, aut nihil debet puellæ, debet multum ejus Parentibus, qui ut virum ei paris conditionis procurent, dotem augere coguntur.

Potest etiam unus Sponsorum de certa pecuniæ summa pacisci, ut ex Sponsalibus acquisitum jus, alteri remittat. Quia sine causa à Sponsalibus resiliens, gravem eamque prætio æstimabilem comparti innocenti infert injuriam, hæc ergo pecunia redimi potest. Et id verum est, non solum cum ex dissolutione Sponsalium damni aliquid una pars patitur, sive ob expensas, quas fecit, sive quia jam pares nuptias nonnisi ægre invenire potest, sed licetsi etiam nihil subeat damni. Si tamen pars innocens nihil, præter mærorem & quandam infamiam, detrimenti patitur, compensatio hæc moderata esse debet, non conquærentis, sed viri prudentis judicio, pro circumstantiarum, ac personarum diversitate taxanda.

Quæres 11mo: Quid præterea Sponsalia efficiunt?

Resp: Per Sponsalia corpora Sponsorum obligata & debita ad invicem manent, ut quamvis iis ante contractum Matrimonium uti nequeant, jus tamen ad illa reciprocum per contracta Sponsalia acquirunt, adeo ut si vel Sponsus cum alia, vel Sponsa cum alio fornicetur, vere non solum contra castitatem, sed etiam contra justitiam graviter peccent, quare in peccato carnis, circumstantia contractorum Sponsalium in Confessione est necessario aperienda. Et hoc verum est etiamsi cum extranea persona tactus solum, & obscena, ac liberiora oscula admissa à Sponsis fuerint.

Quæres 12mo: An, & quæ fornicatio dissolvit Sponsalia?

Resp: 1mo: Fornicatio Sponsæ, Sponsalia præcedens quæ fuit Sponso ignota, & nonnisi post Sponsalia innotuit, justa est ea dissolvendi causa. Quia Sponsa cujus turpitudo tandem revelatur, & crimen detegitur, notabiliter vilior efficitur, & juste Sponsus vereri potest, ne quæ innupta transiliit pudoris limites, ex Matrimonii velo, quod crimen tegit, facilius delinquat. Probabilius autem est, quod Sponsa propter præcedentem Sponsi fornicationem, quam prius nesciebat, à Sponsalibus resilire nequeat, quia juxta communem opinionem, non ita est turpe, aut exitiosum fæminæ si nubat viro, qui aliam jam prius cognoverat, quam si vir mulierem jam ab alio corruptam ducat. Fatentur tamen omnes Theologi, posse

Spon-

Sponsam resilire. 1mo: Si Sponsus ante Sponsalia rem carnalem cum pluribus habuiſse detegatur, ita ut prudenter coniici poſsit, eum libidini mancipatum eſse. Mitius tamen agendum est, si Sponsus serio resipiscens, Sponsam præ ceteris mulieribus inhians, vere piam, ſpem melioris vitæ inijciat. 2do: si Sponsus licet ſemel tantum reus, prolem ex crimine habuerit. Id enim Matrimonii futuri consortium facit longe difficilius, præsertim ob prolis alimenta, ac graves inter Conjugatos discordias, quæ facile ſuboriri poſsent. 3tio: fornicatio Sponsalia ſubsequens tam Sponsæ, quam etiam Sponso justa est causa ab iis resiliendi. Et quidem de Sponso id certum est, ex Cap: 25. de jurejur: ubi Sponsalibus etiam juratis dicitur ſubintelligenda talis conditio, si nimirum ſponsa *contra regulam desponsationis non venerit*, hoc est datam fidem non fregerit. Idem constat de Sponsa, quia de ea, non ſecus ac de Sponso verum est, quod frangenti fidem, non est ſervanda fides. Hæc tamen à Sponsalibus resiliendi libertas, ſoli competit innocenti, non reo, quia ex trita juris regula. *Nemo ex delicto meliorem conditionem ſuam facere potest.* Meliorem vero conditionem ſuam ex ſuo ſcelere faceret, si ei propter perpetratam à ſe fornicationem à Sponsalibus invita comparte resilire liceret. Quare si Sponsa, infidelem etiam Sponsum ad Nuptias urgeat, tenebitur obsequi ejus petitioni, aut damnum, si quod patitur, compensare.

Imo liberiores etiam amplexus extranei, si à Sponsa non illubenter admittantur ad diſsolutionem Sponsalium ſufficiunt, quia Puella in his casibus liberior, justum ſui horrorem injicit, & merito censetur impudica, ac libidinosa. Non poterit tamen Sponsus à Sponsalibus resilire ideo, quia sibi desponsatam facilem erga ſe expertus sit, quia ſuum, & ſuæ ſponsæ lapsum sibi unice imputare debet. Resilire vero Sponsus à Sponsalibus poterit, si Sponsa ipsius ab extraneo etiam per vim oppreſsa fuerit. Quia mulier etiam per vim oppreſsa, longe vilior facta est, & raro tanta vis infertur mulieri, quin ejus ſaltim aliqualis non interveniat consensus, & adsit debita minor circumſpectio, ac resistentia. Quodsi prorsus invita oppreſsa fuerit, aliter statuendum est, quia non est addenda afflictæ, & immeritæ, nova afflictio. Non est tamen Sponsus omnino ad contrahendas nuptias urgendus, quia non facile abjici potest horror mulieris etiam per vim defædatæ.

Si vero & Sponsus, & Sponsa cum extraneis fornicati ſunt, probabilius est, tunc Sponso licitum eſse resilire, non autem Sponsæ, quia ex communi ſensu, non est par utriusque crimen, ſed longe gravius, & exitiosius Sponsæ, quam Sponsi, non ergo tunc compensatione delicta tolluntur. Unde licetsi in hoc casu Sponso resilire liceat, non tamen Sponsæ.

Et quia Apostasia à vera fide, atque hæresis, ſpiritualis est fornicatio, ideo propter Apostasiam ac hæresim partis alterius, licet à Sponsalibus resilire. Et certe gravis ſuperveniens mutatio, ſufficit ad dirimenda Sponsalia. Porro gravior nulla fingi potest mutatio, quam cum pars altera in hæresim, vel apostasiam prolabitur. Ergo propter illam á Sponsalibus resilire licitum erit.

Quæres 2tio: Utriusque partis consensu, poſsuntne diſsolvi Sponsalia?

Resp: Ad diſsolvenda Sponsalia ſufficit utriusque partis consensus, licetsi sine causa à Sponsalibus resiliant, quia per quas causas res nascitur, per easdem diſsolvitur. Verum cavendum est ne omnino sine causa resiliatur, quia id levitatis indicium est, & ſæpe multarum oblocutionum causa, quæ vitari debent. Satius tamen est, resilire, dum per tempus licet, quam pænitenda conjugia inire. Impuberes tamen, si antequam ad annos Matrimonio aptos pervenerint, etsi velint à contractis Sponsalibus resilire, non ſunt tunc audiendi, ſed anni pubertatis expectari debent, ne ætas inconstans frequentius consilium mutet. Quin si carnaliter ſecum coierint, non datur resiliendi locus, quia qui potest coire, in jure non reputatur impubes.

Istiusmodi autem utriusque partis ad diſsolvenda Sponsalia consensus, debet eſse liber, proindeque à dolo & metu utrinque immunis, quia obligationis remiſsio, est ſpecies donationis, quæ libera eſse debet. Unde non est in Conscientia tutus, qui consensum Sponsæ ad rescindenda Sponsalia per minas extorquet.

Quæres 24to: Quibus de causis potest una pars altera etiam invita, á Sponsalibus resilire?

Resp: Ad id ſufficere mutationem rerum notabilem, quæ si ante Sponsalia extitiſset, vel fuiſset cognita, partem aliam à contrahendis Sponsalibus deteruiſset, aut quæ Matrimonium longe difficilius, & magis injucundum efficere potest. Quia qui Sponsalia contrahunt, & futurum Matrimonium sibi appromittunt, id non aliter faciunt, quam

quam ſub hac tacita conditione, *si res notabiliter non fuerint immutatæ*. Ergo si ipso facto res notabiliter immutentur, licitum erit à Sponſalibus resilire etiam invita altera parte. Et hæc regula locum habet *1mo*: in Sponſalibus etiam juratis, quia juramentum includit omnes conditiones contractus cui adijcitur. *2do:* licet intervenerit inter Sponsos copula, hæc enim per ſe nullam addit vim Sponsalibus, quamquam efficit, ut non ita facile resiliri poſsit. *3tio*: etiamsi notabilis illa mutatio contigerit, postquam Sponsus in mora fuerit Matrimonium cum sibi deſponsata contrahendi. Unde qui intra annum Mæviam in uxorem ducere appromiserat, & toto biennio nuptias distulit, eamdem, si post parum tempus fornicata sit, ducere non tenetur, etsi ad compensanda, quæ moram hanc ſubsecuta ſunt damna, obligetur.

Porro mutatio contingere potest, in bonis animi, corporis, & fortunæ. Et primo contigit mutatio in bonis animi. *1mo*: ratione erroris, & profeſsionis impiæ, ut si Sponsus hæresim, aut aliquam impiam artem amplectatur. *2do:* ratione infamiæ juris, vel facti, ut si deprehendatur in furto, aut gravis criminis publice incusetur, si ſcortator, aleæ mancipatus, færox moribus, prolis ſpuriæ parens, vel ipse ſpurius eſse detegatur. Si puella quæ honestis moribus eſse credebatur, ut corrupta diffametur. *3tio:* cum inter Sponsorum Parentes nascuntur rixæ, & jurgia, aut cum Sponsus cor à Sponsa induit penitus alienum, ita ut vix quidpiam, præter funestos ſucceſsus è Matrimonio ſperare liceat.

Etsi vero Sponsis in tali statu constitutis, exponere debeat Confeſsarius, quam periculosum sit mutare fidem libere datam, si tamen advertat mentem à promiſso conjugio ita alienam, ut flecti nequeat, absolutionis beneficium iis largiri non gravabitur, quia prudenter timebit, ne Matrimonium istud infaustos exitus ſortiatur. Quin & ſæpe minus delinquunt Sponsi, quam Parentes, qui Sponsalibus authoritate ſua formatis, filios stare non patiuntur, quia ditior offertur puella, & cognatione illustrior, cum tamen istas exceptiones non admittant Sponsalia.

Secundo: Mutatio contingit in bonis corporis per gravem quæ alterutri ſupervenit deformitatem sive habitualem morbum, exg. lepram, veneream luem. Item si Sponsa ab oriſ venustate exciderit, præsertim si Sponsus, ex personæ elegantia mediocritatem fortunæ ejus compensare voluerit, quia vereri est, ne compars horrore de

Spon-

Sponsa concepto, in alienis fæminis inquirat, quod in ſua non inveniet.

Tertio: Mutatio ſuboritur in bonis fortunæ. *1mo:* cum Sponsa pactam dotem non offert, imo si dos fuerit Sponsalium conditio, illa deficiente, & hæc simul deficient. *2do*: cum Sponsus etiam sine culpa vergit in gravem inopiam, aut graviſsimam bonorum jacturam ſubit. Hic tamen multa ex parte Confeſsariorum opus est cautela, præsertim cum Sponsi nec disparis ſunt prosapiæ, nec multum disparis fortunæ. Duo enim certa ſunt, ſcilicet licitum non eſse Parentibus æqua filiorum conjugia prohibere, & graves, quæ ſæpe injiciuntur minæ, paulatim mitescere.

Tria hic inquiruntur *1mo:* quid juris si dum ſponsa in ſuo statu permanet, ex inopinata hæreditate insigniter crevit Sponsi fortuna. *2do:* an detur compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius, ita ut si ambo è commoda fortuna ad gravem inopiam devenerint, neutri resilire licitum sit. *3tio:* an ſponsus resilire poſsit eo, quod Sponsa non affert dotem, cum hujus nulla in contractu Sponsalitio facta fuerit mentio.

Resp: ad 1mum: Si par sit utriusque Sponsi conditio, & unius fortuna, licet jam alterius ſortem ſuperet, non tamen ingenti intervallo, hortanda, & urgenda est pars illa, ut stet promiſsis, at ubi mens ejus immota persistit, recordandum est, quod ut dicitur Cap: 17. de Sponsal: *Cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere, monendus est potius quam cogendus*, qui in talibus circumstantiis à Sponsalibus vult resilire, interim hic certus compensationis modus est præſcribendus.

Ad 2dum: communior docet opinio, tunc temporis licitum eſse utrique resilire, quia per utriusque inopiam, longe durius redditur Matrimonii jugum, quam si eorum alter in calamitatem ſolus incideret. Ergo cum unius paupertas ad diſsolvenda Sponsalia ſufficiat, utriusque etiam ſufficere debet. Si tamen Sponsus etiam æque pauperem ducere voluerit, jam primæ, cui per Sponsalia fidem fecit, adhærere tenebitur.

Ad 3tium: Vel Sponsa pro paupere habebatur á Sponso, vel non. Si *1mum*: non potest ob dotis defectum resilire, quia dotem non expectabat. Si *2dum:* tunc potest resilire, quia in omni Sponsalitia pactione, includitur dotis promiſsio, etsi non fuerit expreſsa, nisi aliud locali lege ſancitum sit.

Quæ-

Quæres 15to: Utrum extra propositos casus, contra Sponsalia reclamare liceat?

Resp: Præter jam exprefsos casus, funt & alii, in quibus contra Sponsalia reclamare licet, & quidem. 1mo: cum pars una ex metu gravi Sponsalia contraxit, aut contraxit ex dolo dante contractui causam, feu cum contrahendo Sponsalia ita erat affecta, ut si novifset hunc, vel illum alterius partis defectum, minime contraxifset. Quod si illa pars dubitet, qualiter dum contrexerat, fuerat affecta, potest in fui partem judicare, quando causa adeo gravis est, ut ejusdem conditionis homines à Matrimonio retrahere foleat. Secus si levis sit, nec ad resiliendum â Sponsalibus inducere foleat. Quodsi quis post cognitam resiliendi à Sponsalibus causam, illa ratificet, feu verbis, feu factis, & præcipue per carnalem copulam, jam ea rescindere non potest, quia juri fuo renuntiafse censetur. Secus si rescifsis jam Sponsalibus copulam carnalem habuerit cum ea, quæ ipsi desponsata erat, quia jus extinctum non ratihabetur per admifsum fcelus.

Quæres 16to: An Sponsalia difsolvantur per moram, vel discefsionem alterius partis?

Resp: Quæcunque mora, aut per discefsum absentia Sponsi, fufficiunt Sponsæ ad difsolvenda Sponsalia, eadem quoque mora, & absentia Sponsæ, fatis funt Sponso, ut contra Sponsalia reclamet, quia correlativorum eadem est ratio. Sponsus vero & Sponsa funt correlativa.

Itaque 1mo: si Sponsus sine Sponsæ afsensu domicilium in aliam Civitatem transferat, aut in Regionem dissitam commigret, potest Sponsa alteri fidem dare, nisi fpes fubsit eum brevi reversurum efse, quia Sponsus fponsam proprio marte dimittens, & alio feu intra feu extra Provinciam fe transferens censetur amicitiam illius fpernere, ac juri fuo in eam per Sponsalia acquisito renuntiare. Et hæc responsio vera est. 1mo: cum etiam Sponsus animum habet revertendi fed nonnisi post longum tempus, quia dum Sponsa tamdiu, & in incertum expectabit, excidere potest occasio commodi Matrimonii, quæ forte nunquam redibit, & incontinentiæ periculum iis femper gravius incumbit, qui mentem fpe proximi Matrimonii, & illius ideis refertam habent. 2do: cum Sponsus vel ex causa necefsaria, vel ex causa voluntaria, licetsi utili diutius abefse cogitur, quia idem & hic fubest incontinentiæ atque commodi Matrimonii amittendi periculum, quod & in fuperiori casu. Si tamen fpes sit Sponsum brevi reditu-

diturum, tunc vel expectandus est, vel illi præfigendum tempus, ultra quod si permaneat, ſponsa sibi aliter providebit.

2do: Si ſponsalia absque termini præfixione contracta sint, neutra ex parte diſsolvuntur, per communem temporis lapsum, quia Sponsalia sine temporis præfixione contracta, vim suam in omne tempus conservant, modo extraordinarie non prorogentur. Sed cum pars una, præsertim Sponsus, nimium differt Matrimonium contrahere, non erit à peccato immunis, imo si sit in mora longiori, censebitur juri ſuo renuntiare. Si vero una pars executionem Sponsalium urgeat, ei, altera recusante, liberum est confestim resilire. Quia qui, cum potest non stat ſuis promiſsis, quæ quam primum moraliter fieri potest, implere debet, iis renuntiare censetur, ac proinde ad minus tacite permittit alteri, ut sibi provideat. Non tamen id ex parte ſua potest, qui moras nectit, quia mora ſua cuique, non vero alteri nociva eſse potest, & aliunde is ex dolo ſuo, qui in his casibus faciliter accidere potest, lucrum reportaret.

3tio: Si certum tempus per ſponsalia determinatum sit, non ad finiendam obligationem ex Sponsalibus contractam, ſed ad urgendam illius executionem, lapsu illius temporis non diſsolvuntur Sponsalia. Quia in tali casu duplex est obligatio, altera adimplendi promiſsum, altera, tali tempore illud adimplendi. Ubi vero duplex adest obligatio, non desinit una, quia neglecta est altera. Unde si tempore præfixo non est contractum Matrimonium, quam primum contrahi debet. Si tamen pars altera nimium differat, ceſsat obligatio ex Sponsalibus contracta. Quia qui nimium est in mora, non ſolum juri ſuo renuntiare censetur, ſed & fidem frangit, ad quam adimplendam, tempore jam completo, quod præfixum erat, ſollicitabatur. Sed & in hoc casu non ille liber est ab obligatione Sponsalibus contracta, qui moram facit, quia mora, forte etiam de industria quæsita, ei prodeſse non debet; verum ille, cui mora injicitur, cui enim fides jam multum infringitur, is à data fide liber censeri debet.

Quodsi vero in Sponsalibus tempus præfixum sit, ad finiendam etiam obligationem contrahendi Matrimonii, tunc eo exacto, licitum est resilire ei, per quem non stat, quominus Conjugium celebretur, quia ubi sic contractus initus est, ut licitum sit post certum tempus à contractu resilire, non peccat qui jure ſuo utendo resilit. Non potest

test autem & tunc is resilire, qui est in mora, quia è delicto suo lucrum reportare non debet, Ergo si urgeat altera pars, datam fidem servare debet.

An vero resilire liceat, si mora sit plane inculpabilis? Res est ex circumstantiis definienda. Non enim resilire poterit Sponsa ideo, quia Sponsus ea die, qua Matrimonium erat contrahendum, Patrem morientem invisit. Neque etiam resilire poterit Sponsus, quia Sponsa Matrem suam, ut nuptiali cæremoniæ intersit, ad dies aliquot expectat. In his ergo ac similibus casibus non est permittendum ut partes resiliant, nisi persvasum sit, Sponsos mentem gerere à se invicem aversam, & ideo datam resiliendi occasionem, vel potius prætextum avide arripere.

Quæres 27mo: An Sponsalia per Religionis ingressum, aut Ordinis susceptionem dissolvantur?

Resp: Certum est Sponsalia dirimi per Religiosam professionem, quia hæc etiam contractum, & nondum consummatum, dirimit Matrimonium. Si autem habitus nonnisi Religiosus susceptus sit, ille qui in Sæculo remanet, liber à Sponsalibus efficitur, quia Novitiatum ingrediens palam declarat se juri suo cedere, & partem in Sæculo manentem ab obligatione sibi data dimitti, Religionis etiam susceptio, & desertio, non minimam inducit mutationem & personam dehonestat, neque enim decorum est fæminæ, si Monacho, ut aiunt exuto, nubat, aut Viro, si nubat expulsæ Moniali. Jlle vero, qui Religionem ingressus est, si non profiteatur, debet petente altera parte, datam fidem servare, quia jus Canonicum soli professioni Religiosæ hoc tribuit, quod Sponsalia, & Matrimonia etiam rata dirimat. Et vero si sola susceptio Religiosi habitus à Sponsalibus Novitium liberum faceret, aditus fraudibus pateret, cum cuicunque, ut à Sponsalium jugo liber efficeretur satis foret Religionis habitum induere, paulo post egredi, & cui voluerit nubere.

Quod vero attinet Ordines, tria certa sunt. *1mo:* Non solvuntur Sponsalia ex parte viri per Minorum Ordinum susceptionem. Quia id nullo jure constitutum est, & facilitas suscipiendi minores Ordines, qui non ligant, facilem fraudi, ac dolo aditum, præberet *2do:* Potest tamen Sponsa, si Sponsus ipsa invita vel inscia minores suscepit Ordines, à Sponsalibus resilire, quia qui minores suscipit, censetur, ut fieri solet, ad Majores tendere ordines, sicque statum Matrimonio repugnantem eligere. *3tio:*

Majorum vero Ordinum fusceptio, Sponsalia dirimit, quia Ordines sacri ad continentiam obligant, quæ cum Matrimonio incompatibilis est.

An vero simplex votum sive Religionem ingrediendi, sive facros fuscipiendi Ordines, Sponsalia dirimat, difputant inter fe Theologi. Alii negant, atque ejusmodi vota pro invalidis habent, quia funt in præjudicium tertii facta, alii affirmant, quia in Sponsalibus fubintelligitur hæc conditio: *Nisi contingat notabilis mutatio vitæ in melius*. Porro qui vovet vel ingredi Religionem, vel sacros fuscipere Ordines, castitatemque servare, mutatur in melius. Ergo à Sponsalibus abfolvitur. Verum licet prima opinio vero proximior sit, & gravioribus fuffulta argumentis, atque in foro exteriore, dum res ad Judicium delata fuerit, fequenda, ne per istiusmodi vota, fraudibus & dolo via pandatur, nisi contrarium fpeciales quædam fvadeant circumstantiæ, fecunda tamen sententia in foro interno teneri ac sequi potest, ac proinde non debet ad Nuptias urgeri, qui post Sponsalia, interiori Dei voce sese ad castitatem in Religione profitendam, vel ad sacros Ordines trahi, non ore solum, fed & factis comprobat. Is tamen inconsulto Episcopo non pofset ordinari, quia toto titulo de obligatis ad ratiocinia non ordinandis, prohibetur, ne quis obligatione aliqua adstrictus, in alterius præjudicium ordinetur.

Quæres 18vo: An Sponsalia priora solvantur per posteriora?

Resp. Certum est, Sponsalia priora, per sola posteriora non dirimi, quia fides posterius data, in præjudicium prioris, plane irrita est. Si tamen Sponsalibus secundis accedat coitus carnalis cum consangvinea in primo gradu prioris Sponsi, tunc neutra duci poterit. Non prior propter impedimentum affinitatis ex tali coitu exurgens. Non posterior ratione impedimenti publicæ honestatis, quæ ex prioribus validis Sponsalibus orta est.

At dubitatur 1mo: An si priora Sponsalia difsolvantur exg. per prioris Sponsæ mortem, teneatur Sponsus posteriora exequi. 2do: An si idem Sponsus cum posteriore Sponsa peccaverit, eam ducere teneatur. 3tio: Quid juris si posteriora Sponsalia, non vero priora, juramento confirmata fuerint.

Resp. ad 1mum: Qui fecunda Sponsalia contraxit, his, post priorum difsolutionem, non tenetur, quia fecunda Sponsalia, & in illis facta promifsio, non valuerunt, cum

cum promiſsio hæc fuerit rei illicitæ, quare etiam quî voto Castitatis ligatus Sponsalia contraxit, etiamsi postea à voto dispensetur, ad ea adimplenda non tenetur, quia propter voti impedimentum nulla erant. Imo neque Sponsus posteriorem Sponsam ducere tenebitur, etsî prior ſponte, juri ſuo in gratiam ipsius ceſserit. Quia quod de jure nullum est, nullam parit obligationem. Unde quî ante ætatem invalide profeſsus est, adepta ætate non tenetur denuo profiteri. Si quæ igitur hic ſubsit ſecundorum Sponsalium obligatio, hæc ex neceſsitate vitandi scandali, vel damnum resarciendi proveniet.

Ad 2dum: Qui posteriorem Sponsam corrupit, si priorum Sponsalium conscia fuit non tenetur eam ducere, quia jus prioris Sponsæ non potuit auferri per injuriam quam ei altera intulerat, & cum ipsa priora Sponsalia sciret, vere potius decepit, quam decepta est, unde si quod patitur damnum, sibi imputare debet. Si vero priora Sponsalia nesciebat, Sponsus eam ex charitate ducere tenetur, cum prior juri ſuo cedit, ſed an juri ſuo cedere teneatur, ex circumstantiis judicandum est. Si enim puella à crimine aliena, quæ à Noverca inhumaniter tractata, & incerta quo se vertat, tradiderit se amico, qui renitenti tandem persvaserit, unicum eſse remedium has evadendi calamitates, si Petri libidini, Nuptias promittenti cedat. Certe miseratione quadam digna est, quæ in his casibus dolo ceſsit. Supponatur rursus priorem ſponsam à pluribus ad Nuptias quæri, posteriorem vero, nisi à corruptore ducatur, à tota familia deserendam eſse, ita ut se crimini dare cogatur. An non exiget charitas, ut prior Sponsa, cum mediocri ſuo detrimento, juri ſuo cedat, ut tanta mala avertat? Etsî igitur amasium ſuum stricto jure posteriori Sponsæ dimittere non teneatur, at jure charitatis in hisce circumstantiis illum dimittere consultius est. Hæc tamen hujus resolutionis moderatio non proderit iis, quæ non decipiuntur à Proco, quam à propria ſeducuntur libidine, unde his non ita indulgendum est, ut legitima ſponsa à jure acquisito dimoveatur, imo aliquando charitas exigit, ut illæ iniquitatis ſuæ pondus ſentiant, ad aliarum terrorem.

Ad 3tium: Sponsalia juramento non vestita, non dissolvuntur per posteriora etiam jurata. Quia juramentum illud, utpote in præjudicium tertii, fuit de re iniqua. Porro juramentum vinculum iniquitatis eſse nequit. Prior

tamen Sponsa, quoniam contra fidem ipsi datam hæc posteriora Sponsalia inita ſunt, resilire potest, quia frangenti fidem, fides non est ſervanda. Si tamen tunc, quando posteriora contracta fuerant, justa aderat causa à prioribus resiliendi, quia tunc, quo volebat ſua desideria, convertere poterat, ſecunda Sponsalia contrahere voluit, ac proinde, si præterea illa juramento confirmaverat, illa tenent.

Quæres 19no: Utrum ſubsequens Matrimonium actu contractum priora Sponsalia pro semper diſsolvat?

Resp: 1mo: Si Matrimonium valide contrahatur, priora Sponsalia diſsolvit, unde pars quæ Matrimonio fraudata est, ad alia vota convolare potest. Quia Matrimonium etiam ſolum ratum, est vinculum, quacunque simplici deſponsatione fortius. Graviter attamen peccat, qui post contracta Sponsalia cum una, cum alia Matrimonium contrahit. Si tamen hoc Matrimonium ſubsequens nullum sit, diſsolvit Sponsalia ex parte illius, qui deseritur, quia Sponsus qui etiam Matrimonio invalido alteri conjungitur, â prius deſponsata animo & corde recedit. Ergo ei etiam licitum est alio se convertere.

2do: Probabilius est priora Sponsalia non omnino ſolvi ex parte contrahentis Matrimonium, ſed ſolum ſuspendi, quamdiu manet idem Matrimonium. Qui enim ſemel obligationem justitiæ contraxit, tamdiu ligatus manet; quamdiu eam aliquando adimplere potest, licetsi hic & nunc implere illam nequeat. Porro qui Sponsalia iniit, obligationem justitiæ contraxit, qua obstrictus est Matrimonium cum rite sibi desponsata contrahere. Ergo licet modo hoc adimplere nequeat, quia jam cum alia Matrimonium iniit, priori tamen obligationi satisfacere tenetur, cum id præstare poterit. Ac proinde quocunque modo diſsoluto Matrimonio, priorem Sponsam in uxorem ducere debebit. Si tamen hæc juri ſuo renuntiavit verbo, vel facto, puta alii nubendo, nihil jam in priorem Sponsum juris habet.

Quæres 20mo: Quæ ſunt aliæ diſsolvendi Sponsalia causæ?

Resp: Variæ præterea ſunt: *1mo:* ſuperveniens impedimentum Matrimonium dirimens, exg. ex affinitate, quia jam inter tales, quoniam Matrimonium consistere nequeat, facta illius promiſsio tenere non potest. Qui tamen ſua culpa tale impedimentum contraxit, dispensationem procurare tenetur, si pars innocens id exigat,

non

non modo ratione imminentis damni, ut cum Virginem, aut honestam viduam, fub fpe Matrimonii corrupit, aut utrique timenda est, boni, quod habent, nominis jactura, fed præscifso etiam partis alterius damno, & ea folum de causa, quod fua culpa impedimentum contraxerit. Quia qui culpa fua ponit Matrimonii impedimentum, jus alterius graviter violat, illud ergo resarcire tenetur, dispensationem petendo.

2do: Diffamatio alterius Sponsi, feu ab ipsis Sponsis, feu à voce publica facta, est justa causa à Sponsalibus resiliendi. Unde si palam sive falso, sive vere jactet se Sponsus, cum desponsata concubuifse, poterit virum hunc impudentem, ac imprudentem abijcere. Idem erit si fama publica renuntiet Sponsum impedimento dirimente adstrictum efse. Cavendum tamen ne vagi, & incerti rumores, ac malevolo animo fparsi, pro fama publica habeantur, vix enim ullum consistet Matrimonium, si rumoribus, vel potius calumniis, impiæ plebeculæ fides habeatur.

3tio: Sufficit etiam contradictio Parentum serio apposita, maxime si ex illa gravia mala, & infausti timeantur exitus. Verum peccant Parentes, quando legitime & juste contractis Sponsalibus, sine legitima, & justa causa resistunt.

Quæres 21mo: Qua authoritate contracta Sponsalia difsolvenda sint?

Resp: Cum in nostris Regionibus Sponsalia privatim, & sine Ecclesiasticis sollemnitatibus contrahantur, privatim etiam, sine Judicis Ecclesiastici fententia difsolvuntur. Si tamen publice contracta sint, & ex illorum rescifsione aliquod timeatur scandalum, competens est, ut Episcopus consulatur. Cum etiam dubium occurrit, de fufficientia causæ ad illa difsolvenda, convenientifsimum est, ut proprii Parochi requiratur judicium, aliquando etiam ad forum contentiosum causæ Sponsalium devolvuntur, ubi per fententiam Judicis Ecclesiastici Sponsalia aut difsolvuntur, aut corroborantur.

ARTICULUS 3tius

De Bannorum promulgatione.

Quæres 1mo: Quid sit Bannorum promulgatio?

Resp:

Resp: Bannorum promulgatio, est denuntiatio futuri, inter certas & nominatas personas, Matrimonii, coram frequenti populo, intra Misſarum ſollemnia facta, ut qui aliquod impedimentum inter prædictas personas eſse cognoverit, illud Parocho quam primum denuntiet. Istiusmodi Bannorum promulgatio graviter est ab Ecclesia præcepta, ut patet ex Concilio Trident: Ses: 25. de Refor: Matrim: Cap: 1. ubi Sancta Synodus, *præcipit ut antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Miſsarum Solemnia publice denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* Et huic legi à Concilio Tridentino præscriptæ, omnes cujuscunque status, qualitatis, & conditionis existant, ſubeſse debent, eximuntur tantum ſupremi Principes, quia eorum genus omnibus notum est. Quacunque autem urgente neceſsitate, etiamsi difficilis eſset ad Episcopum recursus, non potest Parochus vel unius Banni promulgationem prætermittere.

Quæres 2do: Quo tempore Banna promulgari debeant?

Resp. Juxta præscriptum Concilii Tridentini. *1mo:* tribus continuis diebus festivis, quod non ita accipiendum est, ut Banna promulgentur tribus, quæ proxime ſe contingunt diebus festis, prout olim erant festa Paschatis, & Pentecostes, quia è contra dies plena, sive inter primam & ſecundam, sive inter ſecundam & tertiam promulgationem, effluere debet, ne ſcilicet brevitate temporis eludantur, qui aliquod impedimentum denuntiare volunt. Dies autem festiva stricte hic ſumi debet, pro illa die, quæ ex præcepto Ecclesiæ celebratur, unde Banna promulgari nequeunt iis diebus, in quibus ex devotione, aliqua ſolemnitas cum populi concursu peragitur, quia non ſunt proprie dies festivi.

2do: Banna promulgari debent diebus festivis distinctis, ita ut uno die festivo bis Banna promulgari nequeant, quia Concilium Tridentinum ter, & tribus diebus Banna promulgari disponit, quare male faciunt, qui mane intra Misſarum ſollemnia facta ſecunda promulgatione, eodem die post vesperas tertiam faciunt, & Matrimonium benedicunt.

3tio: promulgari debent Banna intra Misſarum ſolle-

lemnia, hoc est tempore Miſsæ Parochialis. Unde Bannorum promulgationes non ſunt faciendæ mane antequam populus convenerit ad Miſsam audiendam, neque tempore vesperarum, quia Concil: Trident: dicit: *inter Miſsarum ſolemnia*, id etiam habet Rituale Nostrum titulo de Sacram: Matrimonii, *intra Miſsarum ſolemnia publice denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum.*

4to: Banna promulgari debent in Ecclesia, & id statuit Concilium Tridentinum, atque Rituale Romanum præscribit, quare extra Ecclesiam post celebrata Miſsarum ſolemnia, sive in aliqua Capella, aut Oratorio, Banna promulgari non debent, ſed in Ecclesia, & intra Miſsarum ſolemnia Bannorum denuntiationes fieri debent.

Quæres 3tio: Ubi, & à quo facienda sit Bannorum promulgatio?

Resp: Debet fieri in Ecclesia Parochiali, & à proprio Matrimonium contrahentium Parocho, sive ipsius Vicario. Ita habet Concilium Trident: & Rituale Romanum, *ter â proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia.* At non ſemper ſufficit, ut in una tantum Parochia fiant Bannorum promulgationes. *1mo:* enim si contrahentes sint è duplici Parochia, vel licet ex eadem sint, uterque Sponsus, vel alter, ſufficienti caret domicilio, in utraque Parochia, Sponsi ſcilicet, & Sponsæ, ac pariter in prioris, & posterioris domicilii Paræcia Banna promulgari debent. Ita Rituale Romanum titulo I. Cap: I. de Sacram: Matrim: *Si vir & mulier Parochiæ sint diversæ, in utraque Parochia fiant denuntiationes.* *2do:* si Sponsi æquale in duobus locis domicilium habent, Banna in utroque domicilio denuntianda ſunt nisi ſat diu manserint in eo loco, ubi modo conjungendi ſunt. *3tio:* Domesticorum conjugia in Parochia Domini, cui ab uno ſaltem anno famulantur denuntiari debent. Imo, nisi aliunde noti sint, percunctandum tum in loco eorum originis, tum in eo, quem ante actualem famulatum incolebant, an liberi sint, sive à Sponsalium, sive â Matrimonii vinculo. *4to:* Vagi, & alienigenæ denuntiari debent, non tantum in loco actualis domicilii, ſed in loco nativitatis, aut ut minimum, ubi moram traxerunt longiorem. Conjugia quoque militum, in locis ubi ab anno degunt, atque in ipso nativitatis ſuæ loco denuntiari debent, qui etiam Præfecti ſui afferre debent testimonium, quo de eorum constet libertate.

Non

Non longo autem intervallo Matrimonium à promulgatione Bannorum ſejungi debet, ne novum aliquod inter Sponsos ſuboriatur impedimentum. Hinc Rituale Romanum titulo 7. Cap: 1. de Sacramento Matrimonii sic statuit: *Si infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.*

Quæres 4to: Quæ circa Bannorum promulgationem, Parochus observare tenetur?

Resp: Parochus circa Bannorum promulgationem ſequentia observare tenetur. *1mo*: modum, & formam hujusmodi Bannorum promulgationis, quæ in Nostro Rituali præscripta est, accurate, ac fideliter observare debet, fieri autem debent istæ promulgationes voce clara, ſonora, & intelligibili ,ut facile â quovis percipiantur. *2do:* nunquam promulget Banna filiorum familias sine Parentum, aut Tutorum consensu. *3tio*: pariter etiam Banna non promulgabit, nisi ad postulationem Nupturientium, & id statuit Rituale Romanum his verbis. *Has denuntiationes Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet. 4to:* si concedenda sit unius aut duplicis Banni dispensatio, de hac populum admonere debet, ut festinent revelare, qui aliquod norunt impedimentum futuri Matrimonii.

Rite autem absolutis tribus denuntiationibus, ut habet Rituale Romanum, *si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.* Quare si Parochus aliquod impedimentum detexerit, præsertim vero dirimens, monebit Sponsos, licetsi illud ipsi ignorent. Sed præterea ab ipis Sponsis, eorum Parentibus, Consanguineis inquiret, an Sponsi libere consentiant, an non aliquo Consanguinitatis, affinitatisque vinculo detineantur irretiti, an non aliis fidem Conjugii appromiſerint, an Religionis Mysteria, Dei præcepta, & alia ſcitu Christianis neceſsaria calleant, quæ si ignorant, Matrimonio eorum nullatenus aſsistat, neque illud benedicat. Unde in Rituali Romano sic statuitur. *Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in ſua Parochia contrahendo, primo cognoscet ex his, ad quos ſpectat, qui, & quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt. An inter eos sit aliquod Canonicum impedimentum. Utrum ſponte, libere, & ſecundum honestâtem Sacramenti, velint contrahere. Utrum int in ætate legitima, ut vir ſaltem quatuordecim, mulier*

lier vero duodecim annos expleverint, & uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant. Quare si advertat Parochus Sponsos ignorare Fidei rudimenta, debet benedictionem Matrimonii illorum differre; donec ea didicerint, quæ scitu necessaria sunt.

Quæres 5to: Ex factis denuntiationibus, ad quæ fideles obligantur?

Resp: Ex factis denuntiationibus fideles omnes, ad impedimenti cujuscunque, etiam prohibentis, si quod subesse norunt, revelationem, graviter tenentur, nisi urgens quæpiam causa excuset. Neque ab hac obligatione alterius Parochiæ, aut Diæcesis incolæ, vel Consanguinei Sponsorum, vel eorundem amici, quibus impedimentum sub secreti lege commissum fuerit, eximuntur, sed illud revelare tenentur. Et hæc obligatio gravis est, quia agitur de valore, ac sanctitate Sacramenti Matrimonii, ne aut irritum sit propter dirimens impedimentum, vel propter prohibens profanetur. Sed ab istiusmodi obligatione excusat justa, ac gravis causa, ut si quis notum sibi impedimentum denuntiare nequeat, sine pari, aut graviore suo, aliorumque detrimento. Unde à revelando immunes sunt. *1mo:* qui impedimentum norunt, vel quia ab iis petitum est de eo consilium, ut Doctores, juris Advocati, quin & penitiores, ac intimi amici, quibus ad proprium sui regimen sua intima quæque panduntur, vel ratione professionis suæ, ut Medici, Chirurgi, Obstetrices. Hi enim si semel frangant fidem, consiliis petendis præcluderetur aditus, quia nemo erit, quem in arduis tuto liceat interrogare. *2do:* qui sine propria infamia, vel alio gravi detrimento impedimentum detegere non possunt, ut mater, aut soror quæ cum filiæ, aut sororis amasio peccavit, ancilla quæ Dominæ suæ crimen adjuvit, villicus, cui, si Herum prodat, imminet gravis jactura. In dubio nihil prudentius, quam ut interrogetur prudens Confessarius. Ceterum revelatio hæc, ac impedimenti sibi noti denuntiatio, quam primum moraliter fieri debet. Detegendum vero, ac revelandum impedimentum est, Sponsis, aut eorum Parentibus, Consanguineis, si impedimentum publicum sit, ut cognatio, affinitas; sed consultius ut id fiat Parocho, à quo Matrimonium est benedicendum, vel qui Banna promulgaverat. Si vero impedimentum sit occultum, satius quidem foret, ut Sponsi privatim moneantur, verum quia monita hæc sæpius negliguntur, plures docent Theologi,

logi, recte pergendum ad Parochum, ut meliori qua poterit via, malo occurrat.

Quæres 6to: Quid faciendum est Parocho, cum ei aliquod denuntiatur impedimentum?

Resp: Debet Matrimonii celebrationem ad tempus differre. Sic in Rituali Romano statutum est. *Si quid obstat, ultra Parochus non procedat.* In his autem sufficit testis unus fide dignus, quia agitur ad avertenda proximi mala, quæ ex Matrimonio nulliter contracto indubie sequuntur. Interim rem debet diligenter investigare, et si aliquod supersit dubium ad Episcopum recurrere. Si quis vero sine ullius impedimenti denuntiatione, Matrimonio se opponat, maxime propter temporale suum interesse, hujusmodi oppositionis rationem habere communiter non debet, nisi à Sponsorum Parentibus, vel Tutoribus oppositio fiat, nunquam enim sine illorum consensu Matrimonia filiorum familias benedici debent, aut nisi allegentur Sponsalia cum alio, aut alia contracta, fidesque alteri data, tunc enim mature rem examinare tenetur. Cum autem juridica intervenit oppositio, ab Episcopo affertur inhibitio, ad celebrandum Matrimonium Parochus procedere non debet. Verum tamen si Parochus, aut ipsius Vicarius contra Episcopi inhibitionem, Matrimonii Sacramentum administraverit, illud validum erit. Ita Bened: 14. de Synodo Diæc: libro 13. Cap: 23.

Quæres 7mo: Quis in Bannorum promulgatione dispensare potest?

Resp: Episcopus in Bannorum promulgatione dispensare potest. Ita Concil: Trident: Ses: 24. de Refor: Matrimonii Cap: 1. ubi Denuntiationum remissio Ordinarij prudentiæ, & judicio relinquitur. Solus autem Episcopus, vel ejus Vicarius hanc dispensationem concedere potest, & quidem suis nonnisi Diæcesanis, quare si Sponsi sint diversæ Diæceseos, quisque â suo Diæcesano Episcopo in promulgatione Bannorum dispensari debet. Et hæc dispensatio sine justa causa concedi nequit, alias Episcopus, sive illius Vicarius in Bannorum promulgatione dispensans mortaliter peccat, quia Bannorum promulgatio, justissimis, ac gravissimis de causis ab Ecclesia est instituta. Jam vero in materia gravi legis violatio peccatum grave est. Porro dispensatio in lege sine justa causa data, est ipsa legis violatio. Ac proinde peccatum.

Tres autem justæ sunt causæ propter quas in Bannorum promulgatione dispensatio conceditur, utilitas, neces-

cessitas, & prærogativa personæ. Itaque *1mo:* ratione utilitatis dispensari potest cum iis, qui gravi, & injusto ex denuntiationibus suffunderentur pudore ob nimiam inter Sponsos ætatis, conditionis, & fortunæ discrepantiam, aut cum grave imminet peccati periculum inter Nupturientes, seu dissidiorum inter familias. Cum prudenter timere est, ne Sponsorum alter vel ex innata levitate resiliat, vel per cujuspiam malitiam avertatur à Matrimonio quod contrahere tenetur. Demum cum urget tempus itineris, quod differri nequit, seu ipsius Sponsi, seu Patris, aut Matris Sponsæ vel Sponsi. Uno verbo: quoties imminet periculum Scandali, vel gravis damni, in bonis fortunæ, corporis, famæ, aut animæ, toties in Bannorum promulgatione dispensari pótest.

2do: ratione necessitatis. Cum alioqui vitari nequit scandalum, ut si partes in Matrimonium jungendæ, quia pridem in concubinatu vivunt, pro conjugatis toto in loco habentur, aut si occultum inter eos, qui olim palam contraxerant, detegatur impedimentum dirimens. Cum Matrimonium crimini finem imponet, ut si timendum sit, ne duo, qui in concubinatu vivunt, peccare pergant, dum fient denuntiationes. Denique dum in articulo mortis constitutus vult ducere concubinam, ut prolem ex ea susceptam legitimet.

3tio: ratione conditionis dispensatur in promulgatione Bannorum cum Principibus Supremis, quia horum impedimenta, si subsunt, omnibus nota sunt.

Quæres 8vo: Quid de Matrimoniis secretis, quæ conscientiæ dicuntur intelligendum sit?

Resp: Matrimonia secreta seu *conscientiæ* illa sunt, quæ sine Bannorum promulgatione, privatim equidem sed coram Parocho, & testibus contrahuntur, hoc tamen pacto ut nunquam divulgentur, sed maneant secreta, & occulta. De iis hæc statuuntur. *1mo:* sunt quidem valida si inter Matrimonium contrahentes nullum dirimens interveniat impedimentum. *2do:* gravibus obnoxia sunt scandalis, quando illi conjugaliter secum vivere conspiciuntur, qui cum palam nunquam Matrimonium contraxerunt, pró veris Conjugibus non habentur. *3tio:* unde istiusmodi Matrimonia neque à Parocho, neque à Confessario toleranda sunt, aut permittenda, nisi id exigant gravissimæ causæ, quarum examen ad solum Episcopum spectat, sine cujus scitu, & consensu nihil fieri, & attentari potest. Quare Benedictus 14. in Bulla quæ incipit: *Satis*

vobis

vobis compertum, circa istiusmodi secreta, atque occulta Matrimonia hæc habet. *1mo:* monet Episcopos, ne facile & sine legitima ac urgente causa remittant publicationes Bannorum. *2do:* ut diligenter inquirant, num Personæ Matrimonium secreto contrahere petentes, ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id omnino exposcant, & ut ipsi enixe curent, quatenus priusquam contrahendi secreto Matrimonium facultatem fecerint, contrahentes clara, & indubia, & à quavis fraude immunia exhibeant documenta status sui liberi, ut polygamiæ vitetur periculum. *3tio:* ut hæc Matrimonia ex permissione Episcopi celebrentur coram proprio alterius ex contrahentibus Parocho, nec sine gravi urgente causa, extraneus Sacerdos ad id muneris deputetur. *4to:* Matrimonii secreto contracti documentum Episcopo exhiberi & in acta ingrossari, atque caute custodiri debet. *5to:* proles ex tali Matrimonio nata statim baptisetur, atque Episcopo denuntietur, illiusque ortus describatur vel immediate per ipsos Parentes, vel per litteras eorum charactere consignatas, vel per Personam fide dignam, ab ipsis Parentibus designatam, & hæc in actis caute serventur.

CAPUT SECUNDUM

De effectibus Sacramenti Matrimonii, illiusque proprietatibus.

ARTICULUS 1mus

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

Quæres 1mo: Qui sunt effectus Sacramenti Matrimonii?

Resp: Præcipuus effectus Sacramenti Matrimonii est gratia, quam semper ii consequuntur, qui illud digne & pie suscipiunt. Eo namque Matrimonium in lege Evangelica veteribus præstat connubiis, quia gratiam confert, illamque conjugibus elargitur, ipsos siquidem, ut docet Concilium Trident: sanctificat, atque naturalem illorum per-

perficit amorem. Unde enixe ſatagendum est Conjugibus, ut Nuptias contracturi ad Matrimonii Sacramentum ſuscipiendum, & tempestive cum pietate ſe disponant, & ſancte illud recipiant, ne alioqui & Sacramentali gratia priventur, & gravis ſacrilegii rei efficiantur.

Quæres 2do: Hæc gratia Sacramentalis quid efficit?

Resp: Dum à Conjugibus non deperditur, ſed studiose conservatur efficit. *1mo:* ut Conjuges casto amore ſe invicem proſequantur, concupiscentiam carnis debite moderentur ita, ut quemadmodum monet Apostolus 1. Thes: Cap: 4 *unusquisque ſciat vas ſuum poſsidere in ſanctificatione, & honore, non in paſsione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* *2do:* ut mutuas ſuas infirmitates patienter, imo & alacriter ferrant, eosque obfirmat adversus calamitates, quæ Nuptias ſemper ſubsequuntur, iisque indivulse adhærent.

Cur autem tam rari sint hujus Matrimonialis gratiæ effectus, cum pleraque Connubia plena eſse videantur iræ furoris Domini, id inde evenit. *1mo:* quod adeo pauci ad hoc Sacramentum accedunt congrue dispositi. Alii libidinem unice intendunt. Alii opulenti fœderis ſplendorem quærunt. Alii Parentum authoritate oppreſsi conjugium ineunt, quod animo detestantur. Nemo pene Deum interrogat. Porro qui Matrimonii Sacramentum male dispositi recipiunt, pro benedictione maledictionem sibi, ſuæque familiæ adsciscunt. *2do.* quia plerique è Conjugibus, licet digne ad Matrimonii Sacramentum accesserint, gratiamque illius consecuti fuerint, brevi tamen illam per peccata ſua deperdunt, hac autem amiſsa privantur etiam auxiliis opportunis ad Matrimonii onera ſalutariter sufferenda, ſuasque obligationes fructuose adimplendas, quam maxime neceſsariis.

Quæres 3tio: Quid præterea præstat Matrimonii Sacramentum?

Resp: Sacramentum Matrimonii præter gratiam habitualem, quæ ipsius est propria, eique annexa, tribuit Conjugibus jus ad gratias actuales ſuo tempore á Deo obtinendas, quibus Conjuges adjuti & status ſui obligationibus prompte ſatisfacere, & onera Matrimonii hilariter perferre valeant.

Ut ergo hos præexcellentes Sacramenti Matrimonii effectus Conjuges consequantur *1mo:* ad illud digne recipiendum per Sacramentalem Confeſsionem, & Sacerdotis absolutionem conscientiam ſuam ab omni mortali noxa præ-

prævie expurgare debent, ut mundi & puri hoc Sacramentum recipiant. *2do:* Post Nuptias pie celebratas omne ſedulo peccatum cavere debent, & si quod grave admiserint, illud quam primum per pænitentiam diluant, quatenus virtus ſuscepti Sacramenti in iis operetur, & fortunatum eorum reddat connubium. Unde sapientiſsime monet Rituale Romanum titulo 7. Cap: 1. de Sacramento Matrim: *Conjuges antequam contrahent, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſsimam Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum ſuscipiendum, pie accedant, & quomodo in eo recte & christiane conversari debeant, diligenter instruantur.*

ARTICULUS 2dus

De proprietatibus Matrimonii.

Quæres 1mo: Quot ſunt proprietates Matrimonii?

Resp: Duæ ſunt præcipuæ Matrimonii proprietates, scilicet, unitas, & indiſsolubilitas. Unitas, quæ etiam *Monogamia* dicitur, & in eo posita est, quod Matrimonium sit conjunctio unius viri cum una uxore, quemadmodum Spiritu Dei prædixit Adam Genesis Cap: 2. *Erunt duo, in carne una.* Monogamiæ opponitur Polygamia, quæ uxorum est pluralitas, quando vir unus duas, vel plures simul habet uxores. Et hæc in lege Evangelii jure divino severe prohibita est, sic enim expreſe Christus pronuntiavit. Math: Cap: 19. *Quicunque dimiserit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſsam duxerit mœchatur.* Et hæc divina prohibitio, qua Polygamia vetita est, etiam ad Infideles extenditur. Unde Pagani, Tartari, Judæi plures simul uxores habere nequeunt, neque una repudiata, alteram ducere valent, priore in vivis degente. Indiſsolubilitas vero Matrimonii in eo consistit, quod semel rite contractum diſsolvi nequeat. Unde statuerat Christus Math: Cap: 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sunt tamen casus in quibus Matrimonium diſsolvi potest, veluti per Religiosam profeſsionem, Infidelium quoque Matrimonia non nunquam diſsolvuntur.

Quæres 2do: Utrum reipsa Infidelium Matrimonia diſsolvi poſsint?

Resp: Matrimonium Infidelium etiam consummatum diſsolvi potest. Et id constat ex Paulo, qui 1. Corinth: Cap:

Cap: 7. sic statuit: *Si infidelis discedit, discedat, non enim ſervituti ſubjectus est frater, aut soror in hujusmodi:* Unde Innocentius 4 Cap: 7. de Divort: ita scribit: *Si alter Infidelium Conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat in peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad ſecunda si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus. Si infidelis discedit, discedat.* Sed hic duo præcipue advertenda, & bene annotanda ſunt. *1mo*: Certum est Matrimonium infidelis conversi non diſsolvi ipso facto per ejus conversionem, aut Baptismi ſusceptionem, quia ut inquit Innocentius 3. de Divort: Cap: 8. *Per sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, ſed crimina dimittuntur.* Licetsi enim pertinax Conjunx infidelis, & Christo injuriosus, justam converso fideli tribuat diſsolvendi conjugii causam, tamen conjugale vinculum reipsa per ſolam conversionem, aut baptismi ſusceptionem non abrumpitur. Unde si manens in infidelitate, antequam conversus fidelis novas contraxerit nuptias, aliud ineat Matrimonium, illud nullum, & irritum est, quia privilegium vinculum conjugale diſsolvendi in favorem fidei, non vero infidelitatis à Christo conceſsum est, & illud per solam conversionem, Baptismique ſusceptionem non abrumpitur. *2do:* Itaque Matrimonium infidelis conversi, non diſsolvitur nisi per novum quod ipse contrahit Matrimonium, & cum ipso facto contrahitur novum, vetus diſsolvitur, duo enim simul stare nequeunt.

Quæres 3tio: Quando infidelis conversus, novum inire potest Matrimonium?

Resp: Infidelis conversus, ac baptisatus novum potest inire Matrimonium quando altera pars in infidelitate relicta ipsi pacifice cohabitare recusat, aut nonnisi cum contumelia Creatoris cohabitare, cum eo intendit, aut demum conversum conjugem ad mortale quodpiam peccatum trahere nititur. Porro pacifice cohabitare recusat, qui â Converso recedit, eumque deserit. Cohabitare cum contumelia creatoris censetur, qui in verba blasphemiæ contra ſusceptam à Conjuge religionem, atque in varias injuriosas exprobrationes, cum despicientia illius prorumpit, eaque coram eo infidelitatis opera exercet, quæ fidem illius labefactare, eumque pervertere poſsint. Demum ad peccatum mortale trahere reputatur, qui facinus aliquod grave inspirat, ſuaque persvasione vehementi ad illud excitat,

citat, ad quod etiam attenta conversi fragilitate, eum facile pertrahere potest.

Hinc *1mo:* antequam conversus baptisatus secundas, ineat nuptias, pars altera in infidelitate relicta monenda & interroganda est, an velit sine injuria creatoris cum converso habitare. Si consentiat, conversus fidelis alias nuptias contrahere nequit, ait enim Apostolus 1. Corinth: Cap: 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non demittat illam.* Sed vix unquam pars infidelis censeri potest velle sine injuria creatoris cum fideli converso habitare, nisi ipsa pariter convertatur, at que si fidelis conversus habitet cum infideli conjuge semper est periculum subversionis ipsius, & ut plurimum id fieri non potest sine contumelia Creatoris, quare si pars in infidelitate pertinax, præmonita converti nolit, fidelis conversus, ad alias nuptias convolare potest. Hic tamen excipiendi sunt casus, in quibus valida apparerent argumenta futuræ conversionis partis infidelis, & variæ possunt occurrere circumstantiæ spem probabilem inijcientes, conjugem infidelem, etsi converti nolit posse cum fideli converso pacifice habitare. Quæ omnia dijudicare, ac decidere Episcopi est, cujus consilium, ac judicium his in rebus requiri debet.

2do: Si conjunx infidelis præmoneri & interpellari nequeat, quia latet, nec inveniri potest, aut nimis longe abest & adiri, ac requiri nequit: quamquam plerique Theologi censent interpellatione omissa posse fidelem conversum ad alias Nuptias convolare, at Benedictus 14. libro 6. de Synodo Diæces: Cap: 4. censet ad Romanum Pontificem tunc esse recurrendum, cujus est declarare, an in tali casu interpellatio, quæ jure divino videtur esse injuncta, sit omnino facienda. Verum cum difficile sit semper in talibus casibus Romam recurrere, saltem Episcopi judicium est omnino requirendum.

Si conjunx in infidelitate permanens à converso fideli interpellata, tempus ad deliberandum expostulet, erit illud expectandum, donec rem totam perpenderit. Quod si de die in diem moras de industria nectat, erit ei idoneum & certum tempus præfigendum, quo elapso, & nulla habita amplius ab ea reclamatione, fidelis conversus Matrimonium contrahere potest.

Quando pars in infidelitate pertinax, ordinate monita fuerat, & conversus fidelis alias contraxit nuptias, illa quoque à vinculo prioris Matrimonii libera manet,

& aliud

& aliud contrahere valet, vinculum enim illud respectu utriusque legitime solutum est. Neque ad eam, quamvis postea ad fidem conversam, mortua illa, cum qua novas contraxit nuptias, in cælibatu manentem, aut à viro cui iterum nupserat, solutam, redire tenebitur, quia cum semel prius Matrimonium dissolutum sit, ille pro semper ab illius vinculo liber factus est.

3tio: Quando ambo Conjuges ad fidem catholicam convertuntur, eorum Matrimonium non dissolvitur, ac proinde ab eo resilire non valent, sed in ipso permanere debent. Quia indissolubilitas Matrimonii jure naturali, ac divino, cui omnes subjecti sunt, constituta est, dissolvi ergo, extra casus à Christo exemptos, nequit. Porro juxta doctrinam Pauli, ex Christi concessione, nonnisi fideli converso, si conjux infidelis discedit, licet ab ea discedere. Cum ergo ambo ab infidelitate convertuntur, unus ab alio discedere nequit, sed in eodem Matrimonii vinculo permanere debent.

Si autem vir in infidelitate plures uxores habuerit, post conversionem suam, ceteris repudiatis, quamvis omnes cum ipso convertantur, priori adhærere debet Quia hæc tantummodo vera illius fuerat uxor. Ita S. Thomas Doctor in 4. distin: 39. ubi sic ait: *Non est verum Matrimonium infidelis nisi cum illa, cum qua primum contraxit, unde si ipse cum omnibus uxoribus suis convertatur, potest, cum prima habitare,* & id facere debet, etiamsi hanc primam juxta legem suam repudiasset, quia repudium illud, utpote lege divina prohibitum, nullius est momenti. Quodsi illa quæ in infidelitate primo nupta fuit, nec converti, nec converso pacifice habitare velit, poterit is secundam retinere, ac cum ipsa coram Parocho, & testibus Matrimonium erit celebrandum.

Quæres 4to: Utrum Judæo ad Catholicam fidem converso, ut declinet ambages ab uxore sibi suscitandas, possit ei scribere libellum repudii?

Resp: Benedictus Papa 14. in sua Constitutione, quæ incipit: *Apostolici Ministerii,* invectum abusum, quo Hebræus ad fidem Christianam conversus, libellum repudii juxta ritum Judaicum, ad uxorem suam in infidelitate persistentem transmittere solebat, & cujus libelli ope mulier hebræa ad alias Nuptias transibat, detestabilem vocat, eumque coarguit, atque severe prohibet, ne unquam, aut Judæus conversus, aut Judæa ad fidem Catholicam accedens, parti in infidelitate relictæ det libellum repudii.

Et vero istiusmodi libellus repudii in eo peccat, quod Matrimonii alterius licentiam concedit, quam nemo concedere potest, cum à Christo sit revocata, & libellus repudii severe interdictus, graviter ergo peccat, qui eum scribit, & concedit.

Quæres 5to: Matrimonium an etiam dirimitur per Religiosam profeſsionem?

Resp: Matrimonium Christianorum ratum, ſed non consummatum diſsolvitur profeſsione Religiosa. Et id decisum ac definitum est in Concilio Trident: Seſs: 24. Can: 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum, & non consummatum, per solemnem Religionis profeſsionem alterius Conjugum, non dirimi, anathema sit.* Licitum ergo est Conjugibus Christianis, post contractum Matrimonium per duos menses de amplectenda Religione deliberare, & per hoc tempus Conjux alteri etiam petenti & exigenti non tenetur debitum conjugale reddere, quo exacto tenetur debitum reddere, si exigatur. Attamen quamdiu Matrimonium non est consummatum, tamdiu liberum est Conjugibus Religionem ingredi, & in ea profiteri, uno autem profitente, potest alter Conjux in seculo manens ad alias Nuptias convolare. Dum vero unus conjugum nonniſi Religionem ingreſsus est, & neodum profeſsus, alter in seculo manens adhuc nequit alias contrahere Nuptias, ſed expectare debet donec ille profeſsionem fecerit, qua facta alias Nuptias contrahere potest, quia Matrimonium non Religionis ingreſsu, ſed ipsa Religiosa profeſsione diſsolvitur. Est autem Religiosa profeſsio, cum Vota solemnia in Religione ab Ecclesia approbata emittuntur, unde per Vota simplicia, quæ in aliqua Congregatione etiam ab Ecclesia approbata fiunt, Matrimonium, licet non consummatum, non diſsolvitur. Postquam vero Matrimonium consummatum fuerit, jam Religiosa profeſsione diſsolvi nequit. Consummatur vero Matrimonium per Carnalem copulam inter Conjuges habitam, etiamsi per vim extorta fuerit, aut primis duobus Mensibus, qui ad deliberandum Conjugibus conceduntur, habita fuerit.

Poſset nihilominus pars quæ intra primum à contracto Matrimonio bimestri, vim paſsa est, & per vim oppreſsa, Religionem ingredi. Quia nemini vis & dolus patrocinari debet, nec culpa unius, bonum alterius impedire potest. Nisi tamen proles ſubsecuta sit, quæ sine Matris auxilio educari non poſsit. Quod autem modo dictum est de vi, illata, idem dicendum de metu gravi. Unde etiam

in

in hoc casu pars læsa Religionem ingredi potest, quia injuriam gravem passa est, nemo autem per injuriam alterius, jure suo privari debet. Verum in utroque casu, qui vim, vel metum gravem incussit, in seculo manens alias Nuptias contrahere nequit, neque sine alterius partis licentia ingredi Religionem valet, quia ex parte ipsius Matrimonium voluntarie consummatum fuit.

Sed etiam si copula fornicaria Matrimonium præcesserit, absque nova copula Matrimonium censetur esse consummatum, & jam amplius Religiosa professione dissolvi nequit. Si enim Matrimonium copulam illicitam subsequens vim habet legitimandæ prolis, vim etiam habere debet efficiendi, ut actus, qui proli ortum dedit, habeatur tanquam Matrimonii consummatio, tale igitur Matrimonium Religiosa professione jam dissolvi nequit.

Quæres 6to: Utrum post Matrimonii consummationem liceat Conjugibus Religionem profiteri?

Resp: Ex mutuo, & libero consensu id Conjugibus licitum est, prout statuitur Cap: 1: de Conver: Conjugum. Verum tunc Matrimonium non dissolvitur quoad vinculum conjugale, quia parti, quæ in seculo manet, ad alias Nuptias convolare non licet, sed dissolvitur tantum quoad thorum, quia Conjuges à se invicem separantur. Unde ad talem separationem, ut unus Conjugum in Religione quapiam profiteri possit, necesse est 1mo: ut conjux alter & ipse Religionem profiteatur, si adhuc juvenis sit, vel senex quidem, sed non absque periculo incontinentiæ. 2do: Conjux in seculo remanens etiamsi senex sit, & ab omni incontinentiæ suspicione immunis, debet perpetuæ castitatis votum emittere in manibus Episcopi & testium, qui de eo fidem facere possint.

Quodsi vir uxoris obtento consensu Religionem profiteatur, non servatis ab uxore ceteris conditionibus, quia ipsa juvenis Monasterium non est ingressa, vel senex castitatem non voverat, professio hæc illicita est, quia facta, contra sapienter à Jure præscriptas conditiones, valida tamen erit, quia nullibi à jure irritatur.

Quæres 7mo: An per Adulterium Matrimonium dissolvatur?

Resp: Matrimonium dissolvi potest, vel quoad vinculum, vel quoad thorum. Dissolvitur quoad vinculum, quando vinculum, quo per Matrimonium erant colligati, ita abrumpitur, ut non solum quoad habitationem, & thorum à se separentur, sed etiam utrique, aut saltem uni eorum liceat

ad alias convolare Nuptias. Dissolvitur tantum quoad thorum, quando remanente Matrimonii vinculo, propter quod non licet Conjugibus ad alias convolare Nuptias, à se invicem quoad habitationem & thorum separantur. Per adulterium ergo Matrimonium quoad vinculum non dissolvitur, quia rotundis verbis dixit Christus nullam apponendo exceptionem. Marci Cap: 10. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit mœchatur. Et si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit mœchatur.* quoad thorum vero Matrimonium sæpius per adulterium dissolvitur. Hinc Concilium Florentinum in suo Decreto ita habet: *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est.* Et hoc non solum Latinos sed & omnes Græcos spectat. Unde Benedictus 14. Papa in sua Constitutione, quæ incipit. *Etsi pastoralis*, statuit, ac Episcopis mandat: *Matrimonia inter Conjuges græcos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si quæ de facto præcesserunt, nulla & irrita declarent.* Orthodoxa siquidem Ecclesiæ fides est, Matrimonii vinculum per subsequens Adulterium non dissolvi, quia hoc à Concilio Florentino generali in suo Decreto definitum fuit, cui etiam Græci interfuerunt, & in Armenorum instructione expositum, ac tandem in Concilio Tridentino conclusum est. Orthodoxa autem fides omnes omnino Latinos & Græcos obstringit. Et certe si uxore adulterante, rescinderetur Matrimonii vinculum, gravissima inde sequerentur absurda. Etenim mulieres libidine æstuantes adulteria ideo perpetrarent, ut dimissæ suis procis nubere possint. Similiter improbis Maritis daretur occasio pro legitima uxore introducendi adulteram. Inde vero quot calumniarum adversus innocentem uxorem ansæ, ut hæc tamquam adultera repudiata, altera exoptatior introducatur? Et liberi quibus incommodis non essent obnoxii? Loco matris adhuc viventis educandi essent à noverca. Matrem à qua geniti sunt conspicientes, novercam oderent, & vicissim odio haberentur ab illa. Si mulier innocenter dimissa, alteri nubat, cedit hoc in prioris mariti crimen, & dedecus. Si reipsa nocens, & adultera fuit, ex perpetrato scelere commodum capit. Tandem Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit Christus, ut libidinem, & concupiscentiam coerceret, sobriosque, ac temperantes redderet conjuges, quodsi per Adulterium solveretur Matrimonium, illud è contra intemperantia-

rantiores, effrenatioresque efficeret Sponsos. Et cum quotidianæ epulæ vilescant, minusque sapiant, posito, quod adulterio dirimatur Matrimonium, continuæ erunt Conjugiorum vicifsitudines cum incredibili familiarum, animarumque detrimento, atque pernicie.

CAPUT TERTIUM

De impedimentis Matrimonii.

Matrimonii impedimenta, alia ſunt *dirimentia* quæ ita impediunt Matrimonii contractum, ut si nihilominus contrahatur, nullum ac irritum sit, alia *prohibentia*: quæ quidem impediunt ne Matrimonium contrahatur, si tamen contractum fuerit, illicitum est, quia qui cum tali impedimento contrahit, peccat, attamen validum est.

Impedimenta dirimentia ſunt quindecim, & his exprimuntur versibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, & impos.
Si mulier sit rapta, loco non reddita tuto,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta autem prohibentia quatuor ſunt ſequenti versu expreſsa.

Ecclesiæ vetitum, feriæ, Sponsalia, votum.

ARTICULUS 1mus

De impedimentis erroris, conditionis, voti, vis, ordinis, & ligaminis.

Quæres 1mo: Quotuplex error in contrahendo Matrimonio contingere potest?

Resp: Quadruplex: *personæ*, *conditionis*, *qualitatis*, *& fortunæ*. error *personæ*, quando una persona ſumitur pro alia, exg. Petrus pro Joanne, Anna pro Catharina. *Conditionis*, quo quis judicatur eſse liber, cum sit ſervus, ſeu mancipium. *Qualitatis*: quando quis judicatur eas habere-

re qualitates, quas de facto non habet, ut quando putatur eſse bonus, qui malus est. *Fortunæ*: quando quis judicatur eſse dives, cum sit pauper.

Quæres 2do: *Quinam error dirimit Matrimonium?*

Resp: Error personæ, quicunque ille sit, Matrimonium dirimit. Quia ad Matrimonium requiritur consensus in hanc personam, cum qua Matrimonium contrahitur. Porro ubi quis circa personam errat, consensus ipsius non ordinatur ad hanc personam, cum qua Matrimonium contrahit, ſed ad aliam quam mente sibi representat & præsentem eſse arbitratur. Nullum ergo tunc, propter personæ errorem, est Matrimonium. Aliud eſset, si quis erraret non circa personam cum qua contrahit Matrimonium, ſed circa nomen illius, putans Annam nominari, quæ Catharina dicitur, quia nihil facit error nominis, quando constat de persona.

Et istiusmodi personæ error Matrimonium dirimit, quicunque ille sit, sive invincibilis, sive vincibilis, & craſsus, sive procedat ab ipso contrahente, sive ab alio, qui eum decipit, sive ſecluso errore adhuc Matrimonium contracturus fuiſset, sive non: quia in variis hisce hypothesibus ſemper verum est eum, qui circa personam errat, reipsa non consentire in eam, quæ ipsi ad Matrimonium proponitur & sistitur, etsi forte, si illam eſse ſciret, libentius in eam consentiret, quam cui ſese consentire existimat. Si quis tamen ita affectus actu eſset, ut velit contrahere cum persona præsente, quæcunque ea sit, valeret tunc matrimonium, quia ſufficiens adeſset consensus. Error autem *qualitatis*, aut *fortunæ*, etiamsi alterius contrahentis dolus ei causam dederit, communiter non dirimit Matrimonium, quia cum eo stat consensus in personam, cum qua Matrimonium contrahitur. Fieri tamen potest, ut error fortunæ, & qualitatis limitet consensum illius, qui Matrimonium contrahit. Idque præsertim contingit, *1mo*: cum error qualitatis transit in errorem personæ, prout fit, quoties qualitas circa quam erratur, determinat personam cum qua quis intendit contrahere, eamque distinguit ac ſecernit ab ea, quæ ad contrahendum Matrimonium præsens sistitur, ut si quis intendens contrahere cum filia primi Præsidis, contrahat cum illa, quæ ſe ejusdem Præsidis filiam eſse mentitur. *2do*: cum quis explicite, vel implicite intendit non contrahere, si persona cum qua contrahit, tali careat qualitate, quia tunc

reipſa

reipsa non intendit ducere in Conjugem personam, quæ illa qualitate destituta est.

Sed in hac materia adeo difficili advertendum est, eum, qui personam jam antea visu cognovit, eamque absolute ducere voluit, si decipiatur putans eam eſse nobilem, vel primogenitam, cum talis non sit, valide tamen cum ea contrahere, etiamsi contrahere nollet, si hanc ignobilem eſse cognosceret, quia non errat circa personam, ſed circa accidentia. Unde cum vagus quidam, vulgo *Awanturnik* cultiori vestitu, eleganti forma, jactitabat ſe ex illustri familia ortum eſse, & eo titulo frequens erat in domo cujusdam viri nobilis, cui erat filia jam viro matura. Placuit utrique Advena, quare ei Nuptias ſpoponderunt, si genus ſuum probaret. Protulit ille ficta documenta atque testimonia, & celebratæ ſunt Nuptiæ. Posthac comperta est hominis illius fallacia, quæsitum tunc est, an valeret Matrimonium? & decisum fuit illud valuiſse, quia deceptio tota fuit circa qualitates personæ, nulla circa personam, quæ Puellæ cognita fuit, & in quam ipsa consensit, licet ſecluso dolo minime consensiſset.

Verum graviter peccant, qui ut puellas nobiles, ac opulentas, sive tales sint re, sive ſpe, in Matrimonium ducant, aut ſuis amicis ducendas procurent, eorum genus, fortunam, præclaras animi dotes mendaciter exagerant, quare ad restituendum tenentur, quia misera hac fallacia nobili, & opulentæ puellæ præripiunt id, quod erat in ſpe, virum ſcilicet habere, cujus bona, & conditio, bonis & conditioni puellæ respondeant.

Porro impedimentum erroris circa personam, est indispensabile, neque Ecclesiæ auctoritate sic contractum Matrimonium revalidari potest, quia jure naturali irritum ac invalidum est, cum ipsi desit mutuus contrahentium consensus, qui ex natura Matrimonialis Contractus omnino prærequiritur, quare detecto errore, nonnisi novo mutuo Contrahentium consensu renovari & convalidari potest.

Quæres 3tio: Quando Conditio dirimit Matrimonium?

Resp: Per *Conditionem* quæ dirimit Matrimonium intelligitur status ſervitutis stricte ſumptæ, qualis olim erat mancipiorum conditio. Servi itaque proprie tales, ſunt illi, quorum Dominus & poſseſsor absolutum habet jus, & dominium. Alii autem vocantur Servi lato ſensu, qui vel ad annua aut menstrua obsequia ſunt conducti, ope-

operas ſuas Domino fundi locant, atque ad excolendum ipsius agrum ſeſe obligent, & vi hujus vel annuum cenſum ſolvere, vel aliqua diurna opera præstare tenentur. Hi glebæ adscripti, apud nos kmethones, vulgo *Chłopi, Kołcy*, appellantur. Servitus ergo stricte & proprie dicta, ſeu status Mancipii unius ex contrahentibus, Matrimonium, si ab altero ignoretur, dirimit. Et ita statuit Innocentius 3. Cap: 4. de Conjugio Servorum. Atque id merito constitutum fuit, est enim magna inæqualitas si persona libera, ex errore Matrimonium cum mancipio contraxerit, gravisque ei irrogatur injuria. Verum conditio, & status Nostrorum kmethonum Matrimonium non dirimit, eorum siquidem conditio non est proprie dicta ſervitus. Unde si Nobilis ex errore ducat in Uxorem ignobilem, & ex kmethonibus progenitam, aut nobilis Puella nubat kmethoni, qui ſe Nobilem eſse finxerat, stat Matrimonium & validum est.

Quæres 4to: Quale votum dirimit Matrimonium?

Resp: Votum in præsenti est illud, quo quis Deo continentiam, castitatemque promisit. Porro istiusmodi votum duplex est, *simplex* ſcilicet, & *ſolemne*. *Simplex* est nuda castitatis promiſsio Deo facta. *Solemne* est consecratio ſui ipsius divino cultui cum præscriptis ſolemnitatibus facta, & Dei ipsius nomine ab Ecclesia acceptata, quod fit tantum in ſusceptione Ordinis ſacri, & profeſsione, quæ in aliqua Religione ab Ecclesia approbata valide emittitur.

Igitur votum castitatis *simplex* impedit quidem Matrimonium contrahendum, ſed contractum non dirimit. Ita definivit Cælestinus Papa 3. Cap: 6. *Qui Clerici* ettc. Unde qui simplicia, sive privatim, sive in Communitatibus Sæcularibus, vota emiserunt, etsi Matrimonium contrahendo graviter peccent, valide tamen illud contrahunt. Jam vero votum ſolemne sive in Religionis profeſsione, sive in ſusceptione Ordinis ſacri emiſsum, irritat Matrimonium contractum, illudque invalidum facit. Ita decrevit Concil: Trident: Ses: 24. Can: 9. ubi sic habetur. *Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem ſolemniter profeſsos, poſse Matrimonium contrahere, contractumque validum eſse anathema sit.*

Verum in impedimento voti ſolemnis Papam poſsè dispensare, defendunt Theologi. Quia Ecclesia potest dispensare in eo, quod est juris Ecclesiastici. Porro ſolemnitas

mnitas voti, & illius contra Matrimonium efficacia, quod illud dirimat, est solum juris Ecclesiastici. Ergo in eo Papa nomine Ecclesiæ, cujus caput est, dispensare potest. Certe durum est improbare praxim Romanæ Sedis, quæ semper maturo consilio operatur. Et hæc tamen non semel in votis solemnibus dispensavit.

Quæres 5to: Quis Ordo Matrimonium dirimit?

Resp: Quilibet Ordo sacer, quales sunt, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & eo magis Episcopatus, dirimit Matrimonium. Unde qui in istiusmodi sacris Ordinibus constituti sunt, ad contrahendum Matrimonium inhabiles sunt.

Sed & impedimentum ex sacro Ordine proveniens, est dispensabile, quia cælibatus sacris Ordinibus annexus non est juris divini, sed juris Ecclesiastici. Potest ergo in eo Ecclesia dispensare. Et id aliquando fit, cum quis ex gravi metu injuste incusso Ordines Sacros recipit, nunquam tamen dispensatio istiusmodi ei conceditur, qui Sacri Ordinis functiones ter obierit, quia Ordinationem suam ratam habuisse censetur. Aliud esset si probaretur Ordinis executionem non minus coactam fuisse, quam ipsius susceptionem. Verum qui metu gravi injuste incusso sacrum suscepit Ordinem, contra eum reclamare debet, & ad Summum Pontificem recurrere. Possunt etiam & Regulares contra vota sua reclamare, sed hæc reclamatio intra quinquennium à die professionis fieri debet. Qui autem contra vota sua reclamat, habitum regularem in Claustro portare debet, donec res examinata, ac decisa fuerit.

Quæres 6to: Quid, & quotuplex sit vis, metus?

Resp: Vis est coactio alicui, contra ejus voluntatem, inclinationemque, illata. Hæc coactio si fuerit omnimoda, & personæ prorsus reluctanti illata, erit vis absoluta. *Metus* est trepidatio mentis ratione periculi instantis, vel futuri. Porro metus alius est gravis, alius levis Metus etiam incuti potest, vel *à causa naturali* exg. morbo, naufragio, tempestate, vel *ab agente libero.* Si ab agente libero, tunc vel ab eo, cum quo Matrimonium contrahitur, vel ab alio; vel directe ad extorquendum Matrimonium, vel propter alium finem. Ut si Petro alium occisuro, quo illatam sibi injuriam ulciscatur, aliquis mortem declinando, filiam suam in Conjugem appromittat. Incutitur etiam metus, vel *juste*, cum is qui metum incutit, jus ad id habet, ut si Pater ei, qui filia ipsius abusus est, comminetur se illum ad Judicium citandum, nisi ipsam du-

eat,

cat, vel *injuste* ut si Pater filiæ ſuæ stupratori mortem à ſe inferendam minetur, nisi ipsam in uxorem ducat.

Itaque *1mo*: Matrimonium contractum ex metu levi, etiam injuste & ad extorquendum Matrimonialem consensum, incuſso, validum est, quia ex Regula 18. ff. *vani, ſeu levis timoris justa excusatio non est*. & quemadmodum Religiosa profeſsio, quæ ſpirituale connubium est, ex levi metu facta valida est, ut patet ex Cap: 1. *De his quæ vi*. ita etiam & carnale connubium ex eodem metu contractum valere debet.

2do: Valet quoque Matrimonium initum ex metu gravi juste tamen incuſso, aut incuſso à causa naturali, & non libera. Unde si judex ei, qui data Matrimonii fide Puellam vitiavit, mortem, aut tetrum quid comminetur, nisi stet ſuis promiſsis, valebit Matrimonium. Idem est si Stuprator, aut concubinarius, metu ſeu mortis, ſeu gehennæ Puellam, aut concubinam in Matrimonium ducat, quam alioqui ducturus non eſset. Quia metus gravis non ideo irritat Matrimonium, quasi prorsus libertatem perimeret, ſed quia talem impedit liberrimam electionem, qualem Ecclesia ad Matrimonium justis de causis expostulat. Porro cum metus vel juste incutitur, vel á causa naturali prodit, istiusmodi liberrima Matrimonii electio non minuitur. Validum ergo est Matrimonium. Verum aliquando videtur metus juste eſse incuſsus, qui tamen inique incutitur, ut si judex mortis metu inducat illum ad ducendam Virginem, quam vitiaverat blanditiis, non autem futuri Matrimonii promiſsis, eam ad crimen inducendo, cum tamen juxta leges ſatis foret eam dotare, aut alio modo illatam ei compensare injuriam, non vero eam in Matrimonium ducere.

3tio: Matrimonium ex gravi metu, injuste ad illud extorquendum incuſso, contractum, est ipso jure nullum, & irritum. Ita statutum habetur titulo de Sponsalibus. Et vero Matrimonium ſemel valide contractum amplius diſsolvi non potest, debet ergo plena ſecuritate, & omnimoda libertate gaudere, ne mali ſequantur exitus, qui de invitis Nuptiis ſolent evenire. Nihil vero interest an metus gravis incutiatur ab eo, qui Matrimonium inhiat, an ab alio in ejus gratiam, quia jura non tam in odium illius, qui metum injuste incutit, quam in favorem libertatis Matrimonii, nullitatem istam statuerunt. Hæc autem Matrimonii libertas non minus læditur, cum ab alio metus incutitur, quam cum ab eo, qui sibi Matrimonium desi-

desiderat. Quod si vero metus ad alium finem incutiatur, non ad extorquendum Matrimonium, tunc illud valebit, sive ex tali metu, aut ejus occasione contrahatur. Sic exg. si Petrus ut mortem sibi à furibus inferendam evitet, homini illuc transeunti, ut opem sibi ferat, nuptias cum ejus filia promiserit, stabit contractum Matrimonium. Pariter si Princeps obsessus offerat Matrimonium cum filia obsidentis, ut Urbis suæ excidium avertat, valebunt Nuptiæ, nisi obsidia eum in finem injuste parata fuerint. Idem dicendum est, si quis capite damnatus, ut evadat incolumis, ducat meretricem publicam, prout in quibusdam regionibus fieri solet. Nec enim illi injicitur timor mortis, ut meretricem in uxorem ducat, sed ipse sponte illud mortem evadendi medium eligit, aut ab alio oblatum amplectitur.

Quæres 7mo: Quæ censentur metum gravem incutere?

Resp: Metum gravem incutiunt. *1mo:* timor mortis, mutilationis, gravis in corpore cruciatus, torturæ, gravium verberum. *2do:* timor servitutis, captivitatis, gravis exilii, carceris diuturni cum atrocibus vinculis, secus si carcer brevis sit, timor amittendi status, ac conditionis suæ. *3tio:* timor gravis infamiæ, aliquando pro metu gravi reputatur, horror amittendi omnia bona, majorem illorum partem, aut aliquod ex iis in se spectabile, metum gravem incutit. Tandem timor stupri. Iste siquidem metus apud fæminas honestas aliquando major est, quam timor mortis. Attamen, si mulier, virgo, aut vidua metu stupri, quod quis actu minabatur, Nuptias promisit, & postea Matrimonium contraxit, non semper ideo invalidum erit, quia ei, postquam è scelesti viri manibus evasit, liberum erat vim sibi illatam, Parocho, aut Parentibus suis indicare. Ad invaliditatem etiam Matrimonii perinde est, an metus inferatur personæ, quæ in Matrimonium ducenda est, an alicui ex illius propinquis, Patri exg. Matri, Patruo, aut Amitæ, Fratri, vel Sorori.

Quæres 8vo: Quid de metu reverentiali sentiendum sit?

Resp: Metus reverentialis in præsenti, est formido mali, quod aliquis sibi veretur ab iis imminere, quorum legitimæ subjacet potestati, quosque revereri tenetur. Unde filius, & filia ex metu reverentiali contrahere dicuntur, cum animo repugnante consentiunt in Matrimonium sibi à Patre oblatum, non audendo contradicere, quia verentur ne offendendo Patrem, aut alios, quibus reveren-

tiam

tiam debent, experiantur mala, quæ ex hac occasione prodire consveverunt, attenta Parentum indole, quæ pro geniorum diversitate, diversa est, & ex personarum circumstantiis ponderari debet.

Igitur metus reverentialis, ſeclusus à gravi comminatione, à verberibus, à cohabitatione admodum difficili, & morosa, pro levi metu reputandus est, ac proinde non irritat Matrimonium. Quia talis metus non is est, qui virum constantem terrere queat, ab eoque vere invito consensum extorqueat. Æquum quoque est, ut filii, ac filiæ voluntatem ſuam, Parentum voluntati ſubijciant, cum Parentes in rebus liberorum ſuorum occulatiores eſse consveverunt, quam ipsimet liberi, qui cæco nonnunquam cordis impetu in Nuptias deinde sibi intolerabiles feruntur. Quodsi, ut aliquando fit, reverentialis metus annexas habeat minas, verbera, tractationem asperam, tunc gravis metus eſse censeretur, quia hæc etiam virum constantem, & magis illum, qui ab altero dependet, commovere possunt. Et vero homo ſensatus, & honestus quilibet, hæc ita gravia æstimat, ut malit relicta patria, & paterna domo exul vivere, quam ista perpeti.

Advertendum tamen est. *1mo:* minas mali etiam gravis, aliquando graves non eſse, ut si ab eo prodeant, qui multa minari ſolet, & nihil vel parum exequitur. *2do:* minas graves absque verbis consistere poſse, ut si is, cui debetur reverentia, ſolitus sit ſævire cum voluntati ipsius resistitur, tunc enim minæ, quæ verbis non exprimuntur, re, & actu ſentiuntur. *3tio:* indignationem Patris inter ea censeri, quæ gravem metum inijciant, præsertim respectu puellæ, cum indignatio hæc diuturna fore prævidetur, grave enim ſemper est præ occulis Patrem, aliumve, cum quo ſemper vivere neceſse est, habere infensum, qui verbis, & ipso silentio inobedientiam exprobret. Aliud est, si bona Patris indoles reconciliationem brevi futuram appromittat. *4to:* ad metum gravem reduci etiam preces importunas, eas ſcilicet quæ instantiſsimæ ſunt, & quæ ſæpius inculcatæ, cum repetitis ingratitudinis exprobrationibus, animum audientis defatigant, & ſensim excruciant.

Ceterum metus reverentialis generatim loquendo, in iis occurrit, qui aliquo ſubjectionis titulo ab aliis dependent, quales ſunt plebei respectu Daminorum ſuorum, à quibus pendent; filii, ac filiæ respectu Patrum, sive Matrum, cum istæ austeræ ſunt, ſeu etiam Avorum, alio-

aliorumque majorum ascendentium, qui tamquam Patres coluntur. Fatendum tamen est, hæc multum pendere à circumstantiis, ex quibus fit, ut quod gravem metum incutit uni, levem solum alteri inferat. Verum qui in foro exteriori sese ex metu ad Matrimonium contrahendum adactum fuisse contendit, graves afferre debet probationes.

Quæres 9no: Matrimonium ex gravi metu invalidum, per quid revalidatur?

Resp: Matrimonium ex metu gravi invalidum, revalidatur. *1mo:* per copulam sponte, & affectu maritali habitam, hoc est animo vivendi conjugaliter. Quia ad Matrimonium ille solum deerat consensus partis metum passæ, cum igitur virtualiter perseveret consensus alterius partis, quæ non est metum passa, & illa eum ponit, atque per copulam maritali affectu exercitam illum manifestat, Matrimonii contracti suppletur defectus, illudque revalidatur. Si vero copula non libere, sed pariter gravi metu extorqueatur, qui eam exercent graviter peccant, quia reipsa fornicaria est, & per eam Matrimonium non revalidatur. Idem est in foro conscientiæ, si copula habeatur non animo conjugali, sed fornicario, quia illa non denotat consensum Conjugalem, qui ad revalidandum Matrimonium est omnino necessarius, cum ex illius defectu contractum Matrimonium irritum fuerit. *2do*: Matrimonium ratione metus invalidum, revalidatur per cohabitationem vere, & ex animo spontaneam, quamvis non subsequatur copula carnalis. Quia cohabitatio spontanea signum est consensus, qui solum ad Matrimonii validitatem desiderabatur. Sed ad id duo requiruntur. *1mo:* ut pars metum passa sciat Matrimonium suum, quod contraxerat, fuisse invalidum, si enim ex errore, quo illud valere credit, cohabitet, aut etiam copulam habeat, nunquam Conjugium ratificabitur. *2do:* ut alterius Conjugis, in Matrimonio contracto exhibitus consensus perseveret, si enim revocatus fuerit, non revalidabitur Matrimonium, amborum siquidem Conjugum consensus poni debet simul, simultate videlicet si non physica saltem morali.

Quæres 10mo: Quid est impedimentum ligaminis?

Resp: Impedimentum ligaminis est illud, quod oritur ex vinculo prioris Matrimonii, sive consummati, sive solum rati, sed valide contracti. Durante itaque priori Matrimonio, aliud valide non potest contrahi. Iis igitur qui ad secundas Nuptias convolare volunt, & magis illis, qui eos in Matrimonium conjuncturi sunt, Parochis sedulo pen-

san-

sandum est id, quod jus præscribit, ut *nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migravit conjux ejus, aut donec certum nuntium recipiat de morte compartis.* Talem vero nuntium non censetur recepisse, qui solum certi sunt, maritum vel ad extremas Orbis oras transiisse, vel lethali vulnere in prælio fuisse percussum, vel qui de eo per plures annos nihil audierunt, cum aliquando contigerat ut post quadraginta tres absentiæ annos Maritus ad suam uxorem redierit. Quare ita præscribit Rituale Romanum titulo 7. Cap: 1. de Matrimonii Sacramento. *Caveat Parochus ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat, vagos & peregrinos & qui incertas habent sedes, neque item eos qui antea conjugati fuerunt, ut sunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur, nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, & re ad Ordinarium delata ab eoque habita de ejusmodi Matrimonii celebrandi licentia.* Id ipsum mandat Concil: Trid: Ses: 24. de Refor: Matr: Cap: 7. Itaque ut viduus, vidua ad alias Nuptias admittantur communiter exigendum est, scriptum testimonium Parochi illius loci, in quo corpus defuncti Mariti sive uxoris, est sepultum, quod aliquando, si è Regione satis remota adferatur, ab Episcopo recognosci debet. Quodsi Miles exg. eo in loco, vel eo mortis genere defunctus fuerit, in quo nec christianæ sepulturæ mandari potuerit, nec mortuorum regestris inscribi, requirendum est testimonium Capitanei, vel inferioris Officiarii, si Capitaneus perierit. Neque vero testi uni, etiam oculato, & aliunde probo, mortem alterius conjugis renuntianti credendum est; cur enim in materia tanti momenti sufficere debeat testis unus, cum in alia quacunque pro nullo reputetur? Si ergo haberi nullo modo possit authenticum testimonium de morte prioris Conjugis, ex Regestris mortuorum desumptum, duo ad minus exiguntur testes, omnino probi, & fide digni, qui plenam certitudinem facere possint, sed si aliquod superfuerit dubium, quod & tunc semper subest, hoc etiam in casu, nihil proprio marte agendum, verum judicium Episcopi exquirendum est, & mandatum ipsius exequendum. Hinc mulier quæ secundas Nuptias bona etiam fide contraxit, & certo postea discit priorem maritum suum superesse in vivis, debet ab hoc secundo viro etsi ex eo prolem susceperit, recedere & ad priorem reverti. Non censetur autem Mulier certo rescire priorem maritum suum superesse in vivis, quia id discit ex rumore

ſolum publico, qui ut vera, sic & falsa ſæpius ſpargit, vel id accepit à testibus ignotæ fidei. Si tamen miles ex acie reversus, & qui vir bonæ indolis habetur dicat Mulieri ſe Maritum ejus vidiſse in tali loco, debet hæc ex nunc consulto prudenti Confeſsario, conjugalis debiti petitionem ſuspendere, donec pleniorem rei notitiam acquirat, quia licet ex jure Cap: 28. de testibus, testis unus, quantacunque fuerit authoritate, plenam fidem non faciat, dubiam tamen facere videtur, & propterea debitum conjugale petere non debet. Unde cum mulier de prioris mariti vita incerta est & dubia, tunc ex decisione Innocentii 3. Cap: 44. de Sentent: Excom: distinguendum est, *utrum habeat conscientiam hujusmodi dubiam ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & discreta. Si 1mum: conscientia levis, & temerariæ credulitatis explosa, ad ſui Pastoris judicium, mulier licite potest non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale. Si 2dum: debitum quidem reddere potest, ſed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Et id merito constitutum est, quia in hoc casu dubii, mulier debitum conjugale reddendo, prudenter ex duobus malis minus eligit, Maritus siquidem quem nunc mulier habet, jus habet debitum conjugale exigendi, eo ipsum privare majus est malum, quam copula cum illo, obsequendo ejus exigentiæ, habita, quæ si peccatum fuerit propter bonam fidem, quæ tunc intervenit, materiale solum erit, non formale. Et hoc verum est, cum etiam facta ſufficienti veritatis inquisitione idem perseverat dubium, quod prius erat, quia inquisitio quæ nullam affert lucem, non tollit dubium, in quo quis antea versabatur. Abstinere vero mulier in tali dubio à petendo debito conjugali debet, quia abstinendo omne devitat peccatum, debitum exigendo, voluntarie ſe exponit periculo peccandi. Quodsi mulier ſuas dubitandi rationes præsenti marito ſuo communicaverit, ut aliquando id facere poſsit & debeat, cum nullum inde imminet periculum, & is pariter dubitare incipiat, vel dubitare debeat, quamvis nolit, tunc neuter potest reddere, vel petere conjugale debitum, quia neuter jus ad illud pacifice retinet. Idem à fortiori dicendum est, si uterque Conjux dubia fide Matrimonium contraxerit, poſsesio siquidem juris Matrimonialis, sicut & alterius cujusvis, neque mala, neque dubia fide inchoari potest.

ARTI-

ARTICULUS 2dus

De impedimentis cognationis, affinitatis, atque publicæ honestatis.

Quæres 1mo: Quotuplex cognatio?

Resp: Cognatio triplex est, *carnalis* quæ dicitur consanguinitas, quasi sanguinis unitas, *spiritualis* quæ *compaternitas* vocitatur, & *legalis* quæ adoptio nuncupatur.

Cognatio carnalis, est vinculum personarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eodem ut à communi, ac propinquo stipite per carnalem generationem descendunt. Sic filius, filia sunt Patri, & Matri consanguinei, quia ab iis generantur, frater, soror sunt sibi quoque consanguinei, quia ab iisdem Parentibus, per carnalem generationem descendunt. Sicut autem in arbore truncus, est id, in quo rami coadunantur, ita & in consanguinitate persona, à qua aliæ descendunt, veluti filii, nepotes, est veluti stipes, in quo hi omnes unum esse censentur. Porro in consanguinitate, prout illa Matrimonium dirimit, stipes propinquus, in quo descendentes conveniunt, attenditur, non vero remotus, alioqui omnes homines essent consanguinei, cum ab uno Adam & Eva omnes procedant. Quidquid igitur ultra quartum est, id amplius non attenditur. Consanguinitas autem per carnalem generationem extenditur, sive hæc licite in legitimo Matrimonio fiat, sive extra illud illicite, opere fornicario, quia ergo illi, qui illicite procreantur, vere eundem ab ipsis sanguinem hauriunt, à quibus procreantur, vere illi consanguinei sunt. Jam vero qui ab eodem descendunt Patre *cognati*, qui ab eadem matre *agnati* dicuntur.

Quæres 2do: Quæ in consanguinitate attendenda sunt?

Resp: Ut bene intelligatur quando consanguinitas Matrimonium dirimit, tria in ea sunt consideranda, & bene secernenda, videlicet *stipes*, *linea*, & *gradus*. Et quidem *stipes* est illa persona, à qua aliæ consanguineæ originem trahunt, sic filiorum stipes est Pater, nepotum Avus. Potest autem stipes esse vel solus Pater, vel sola Mater, cum è diversis connubiis nati sunt, vel simul Pater, & Mater conjunctim, cum filii, aut filiæ ex eodem connubio progeniti sunt, nam vir & uxor cum sint una caro, unum, eundemque constituunt stipitem. *Linea* est series, seu ordo personarum, ab eodem stipite descen-

descendentium. Hæc autem linea, vel est recta, vel transversa, ſeu collateralis.

Linea *recta* est ordo personarum, quarum una genita est ab alia, vel immediate ut filius à Patre, vel mediate, ut nepos ab Avo. Linea recta alia est *ascendentium*, quando progredimur à genitis ad genitores inquirendo eorum stipitem communem, exg. Patrem, Avum, Proavum. Alia *descendentium*: cum à genitoribus regredimur ad genitos, ſcilicet à Patre ad filium, nepotem, pronepotem.

Linea *collateralis*, ſeu indirecta est series, & ordo personarum, quæ descendunt quidem ab uno communi stipite, ſed à se invicem non descendunt, sic duo fratres ambo ſunt ab eodem Patre, & duo consobrini, ambo ſunt ab eodem avo, nec tamen à se invicem descendunt. Hæc autem collateralis linea vel est *æqualis*: cum ii, quorum cognatio inquiritur, æqualiter distant à communi stipite, ut duo fratres, vel *inæqualis*, quæ etiam *mixta* dicitur, quando consanguineorum alter minus distat à communi stipite, alter vero magis, ut frater, & alterius fratris filius.

Gradus est distantia consanguineorum tum à se invicem, tum à communi stipite. Ut vero computentur consanguinitatis gradus, tres aſsignantur regulæ, quarum prior ſpectat lineam rectam, duæ posteriores lineam transverſam.

Regula *1ma*: In linea recta ascendentium & descendentium, tot ſunt gradus, quot personæ, dempto & non computato stipite, à quo personæ illæ immediate, vel mediate descendunt, unde quia Pater & filius duæ ſunt personæ, si stipitem, qui est Pater, demas, pater & filius erunt in primo gradu consanguinitatis, quia nimirum dempto stipite una solum ſuperest persona. Similiter avus, & nepos ſunt in ſecundo gradu consanguinitatis, pronepos, in tertio est gradu cum proavo, & abnepos cum abavo in quarto. Idem dicendum de Matre respectu filii, vel filiæ, nepotis, vel neptis. Ratio autem hujus regulæ hæc est, quia tot ſunt gradus consanguinitatis, quot generationes, quoniam unaquæque generatio removet à stipite. Porro tot ſunt generationes, quot ſunt personæ genitæ, dempto stipite. Stipes enim non potest gradum facere, quia & à ſemetipso non distat, & in consanguinitatis arbore consideratur quasi truncus, ſeu prima totius prosapiæ origo.

Regula 2da: In linea collaterali, & æquali, personæ

tot gradibus distant ab invicem, quot gradibus distant à communi stipite. Sic duo fratres uno tantum gradu à se invicem distant, quia uno solum gradu distant à communi stipite, sic quoque filius unius fratris, & filia alterius fratris, quia duobus gradibus distant à communi stipite, duobus etiam gradibus distant ab invicem. Ratio est, quia Stipes communis, tota est ratio unionis sive fratrum, sive eorum, qui à fratribus originem trahunt. Ergo ii nec plus, nec minus à se invicem distare pofsunt, quam à communi stipite distant.

Regula 3tia: In linea collaterali, & inæquali, consanguinei tot gradibus distant inter se, quot gradibus distat ille eorum, qui remotior est à stipite communi. Sic: si Petrus filios habeat Joannem, & Marcum. Marcus vero filium habeat Barnabam, & Barnabas filium Simonem. Simon tribus gradibus distat à Joanne, quia totidem gradibus distat à Petro Abavo fuo, qui est totius hujus consanguinitatis stipes. Ratio autem, cur in linea collaterali inæquali computentur gradus ab eo, qui remotior est á stipite, hæc afferri folet, quod illi, qui funt in gradu à stipite remotiori, non pofsunt propinquiores efse ulli à collateralibus fuis, quam stipiti, à quo originem ducunt, quia stipes tota est propinquitatis ratio. Porro si gradus computarentur ab eo, qui propinquior est stipiti, jam illi, qui funt à stipite remotiores, magis efsent propinqui collateralibus fuis, quam ipsimet stipiti. Sic in exemplo allato, Simon tribus gradibus distaret à Petro, & uno tantum gradu à Joanne, quia Joannes ipse, uno tantum gradu, distat ab eodem Petro. Hinc Pius 5. Papa in Bulla, quæ incipit: *Sanctifsimus.* anno 1596. data, *statuit, quod de cetero in quibuscumque dispensationibus consanguinitatis & affinitatis* (excepto tantum primo gradu) *fufficiat remotiorem solum gradum exprimere.* Vide figuram Nro 1.

Verum circa hæc notanda funt fequentia. 1mo: Regula, quæ statuit, ut in linea transversa inæquali, gradus remotior ad se trahat propinquiorem, quasdam patitur exceptiones. Si enim gradus propinquior sit gradus primus, gradus vero remotior non procedat ultra quartum gradum, fubreptitia erit difpensatio obtenta sine gradus propinquioris mentione, cum in eo primo gradu Papa nunquam dispensare intendat, ut tradit Pius 5. in mox citata Bulla. Imo, ut omnis dematur scrupuli causa, follicitì efse debent, qui in gradu mixto dispensationes petunt, ut gradus propinquior femper exprimatur.

do

2do: In gradu inæquali, cum gradum primum attingit, exprimendum ſemper est, qui sexus sit in gradu primo, an vir, an mulier, quia longe difficilius conceditur, ut filius Sororis vel fratris ducat in uxorem Amitam, vel Materteram, quam Patruus, vel Avunculus, Sororis vel Fratris filiam in uxorem accipiat. Quia ordini repugnare videtur, ut Amita, quæ quasi alia mater certa n in Fratris ſui filium, authoritatem habere debet, eidem utpote Marito ſuo ſubijciatur, quæ ordinis inversio locum non habet, cum Patruus, fratris, vel Sororis filiam ducit in uxorem, quia hæc inferior manet, sicut antea fuit.

3tio: In exprimendo gradu mixto ſemper incipiendum eſse à gradu masculi, sive is sit propinquior, sive remotior. Sic relatio Materteræ ad filium fratris, dicitur à *secundo ad primum*, relatione vero Patrui ad filiam Sororis vel fratris, dicitur *à primo adsecundum*.

Porro qui circa consanguinitatem consuluntur, ne in materia tanti momenti aberrent, debent in Charta arborem consanguinitatis sibi delineare, ibique exscribere, primo stipitem communem, à quo descendunt personæ, de quibus agitur, & deinceps hinc, & inde generationes, & nomina personarum, usque ad eos, de quibus quæritur, an in gradu prohibito consanguineæ sint. Sic enim multo tutius ex regulis ſupra recensitis, judicari poterit, an; & qua indigeant dispensatione? Ne autem moram inijciant nomina quibus consanguineos Theologi exprimere solent, quædam minus obvia, hic apponuntur lingua vernacula, cum graduum designatione.

Itaque in primo lineæ rectæ ascendentium gradu, ſunt Pater & Mater illorum, quorum consanguinitatis gradus inquiritur.

In secundo ſunt: *Avus, Dziad. Avia, Baba.*

In tertio *Proavus, Pradziad, Proavia, Prababa.*

In quarto *Abavus, Prapradziad, Abavia, Praprababa.*

In primo vero ejusdem lineæ rectæ descendentium gradu, ſunt filius, & filia eorum, de quorum consanguinitate agitur.

In ſecundo *Nepos, Wnuk, Neptis, Wnuczka.*

In tertio *Pronepos, Prawnuk, Proneptis, Prawnuczka.*

In quarto *Abnepos Praprawnuk, Abneptis, Praprawnuczka.*

Sed & alia hic describenda ſunt nomina, ne illorum significatio aliquam difficultatem ingerat. Igitur Levir, *Dziewierz*, Gener, *Zięć*, dicitur Maritus Filiæ. *Synowa*, uxor

uxor filii, Privignus *Pasierzb* filius uxoris ex alio Matrimonio progeniti. Patruus *Stryi* Frater Patris. Matertera, *Ciotka po Matce*, est Soror Matris. Avunculus *Wuy*, frater Matris, Patruelis *Stryieczny Brat*, Filius vel filia Patrui, & filius vel filia Avunculi, *Wuieczny Brat*. Amitta *Ciotka po Oycu*. Soror Patris, Amittinus, vel Amittina, Filius, vel Filia Amittæ. Consobrinus *Wuieczny Brat*, vel Consobrina, Filius vel Filia Materteræ. Sacer, Pater Uxoris, Socrus Mater Uxoris, Victricus *Oyczym*, Noverca *Macocha*. *Szwagier*, *co ma Siotrę Zony*.

Ex his autem personis unaquæque alias parit collaterales, personas scilicet: à Patre Petri fluunt frater & soror illius, in primo gradu ipsi collaterales, qui *germani* dicuntur, si sint ab eodem Patre, & Matre, *consanguinei*, si sint ab eodem Patre, ſed à diversa Matre, *uterini* vero si sint ab eadem Matre, & à diverso Patre. Ab Avo ſunt *Patruus Stryi*, & *Amitta Stryienka*, item *Avunculus Wuy*, & *Matertera Ciotka*, in secundo gradu Petro collaterales. A Proavo ſunt Patruus magnus, & magna Amitta, Avunculus magnus, & Matertera magna, in tertio gradu collaterales. Demum ab Abavo ſunt Propatruus, & Proamitta, Proavunculus, & Promatertera in quarto gradu collaterales. Jam vero à Patruo veniunt *Patruelis*, *Stryieczny Brat*. Ab Avunculo, *Sobrinus Cioteczny Brat*.

Quæres 3tio: Quæ Consanguineorum Matrimonia irrita, & invalida ſunt?

Resp: *1mo*: Matrimonia consanguineorum in linea recta, in quolibet gradu irrita ſunt, & nulla. Et id constat ex responsione Nicolai I. Papæ ad Consulta Bulgarorum, ubi sic statuit: *Inter personas, quæ parentum, liberorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non poſsunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum, & neptem, & usque in infinitum.* Et certe conjugia Liberorum cum Parentibus, adversantur naturali pudori, & ordinem naturæ invertunt. Is enim exigit ut Liberi ſemper Parentibus omni modo ſubjecti sint. Porro si filii matrem, vel aviam, filiæ patrem, vel avum in conjuges ducerent, iis post Matrimonium minus ſubjecti eſsent, quam antea erant, quia cum iisdem una caro effecti, eadem pene jura haberent. Unde etiam gentes omnes rationem naturalem ſequentes, concubitum carnalem inter Ascendentem, & Descendentem ut valde indecentem, & nefandum reputarunt, ut patet ex L. ult: 9. de tit: Nuptiarum ubi

dicitur

dicitur: *Jure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit.*

Et præterea certum & indubitatum est, Matrimonia Consanguineorum, in omni gradu lineæ rectæ nulla & irrita eſse jure Ecclesiastico, ſed utrum etiam nulla sint jure naturali, disputant inter se Theologi. In primo quidem lineæ rectæ gradu, contractum Matrimonium jure naturali nullum eſse omnes consentiunt, veluti inter Patrem & filiam, inter Matrem & filium, unde S. Ambrosius Epist: 66. ad Pater: sic præclare scribit: *Ne pater filiam ſuam accipiat uxorem interdictum est, iure naturæ, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est inviolabili lege pietatis, titulo neceſsitatis.* Verum & in aliis posterioribus ejusdem lineæ gradibus Matrimonium jure naturali nullum eſse multi ex Theologis affirmant, alii tamen id negant. Sed hoc definire parum interest, cum jure Ecclesiastico illa irrita eſse indubitatum sit.

2*do*: Matrimonia consanguineorum in linea collaterali usque ad quartum gradum inclusive, jure Ecclesiastico nulla, & irrita ſunt. Ita statutum est in Concilio Lateranensi 4to: Can 50. ubi, cum antea consanguinitas & affinitas ad septimum usque gradum extenderetur, ad quartum gradum restricta fuit: *Prohibitio copulæ conjugalis, quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cetero non excedat.* An vero Matrimonia hæc in primo gradu, veluti fratris cum sorore, jure etiam naturali, vel divino invalida sint, ambigitur. Probabilius est, quod non. Quia Matrimonium fratris cum sorore initio mundi contrahebatur. Nemo autem cogitare potest Deum sic genus humanum instituiſse, ut statim primi homines naturæ leges violare coacti sint. Verum nusquam Ecclesia dispensavit in istiusmodi primo collateralis consanguinitatis gradu, nec dispensabit, quia talia Matrimonia ſemper indecentia, ac incompetentia ſunt, & vix ulla reperitur natio, quæ illa non prohibeat. Vide figuram Nro 4to.

Hic caute notandum est, poſse aliquando inter easdem personas duplicem eſse Consanguinitatem, & id contingit. 1mo Quando ex duobus Stipitibus procedunt personæ, quæ vellent inter se Matrimonium contrahere, ut si duo fratres inter se germani, cum duabus Sororibus Matrimonium contraxerint; tunc liberi ex his duobus Conjugiis nati, duplici consanguinitate erunt ligati, ex Patre scilicet & Matre seorsim, atque poſsunt eſse in

ſecun-

ſecundo gradu Conſanguinitatis ex Patribus profluentis, & in tertio gradu conſanguinitatis ex Matribus provenientis, & dicentur eſse conſanguinei ex duobus Stipitibus. Vide figuram Nro 2do.

2do: Quando ab uno stipite descendentes, cum prævia dispensatione inter se Matrimonium contraxerunt, ex his ergo progeniti liberi dupliciter erunt consanguinei, sic exg. Petrus, Paulus, & Joannes, fratres inter se germani ex Jacobo progeniti, ex his Paulus habita dispensatione duxit in Uxorem Neptem Joannis, Mariam, filius ex ipsis natus Franciscus, erit Annæ filiæ Petri in ſecundo gradu consanguinitatis ex Patre provenientis, jam vero in consanguinitate ex Matre profluente, erit in ſecundo & quarto gradu. Vide figuram Nro 3tio. Quando vero duplex intervenit consanguinitas, duplex etiam occurrit impedimentum, quod exprimi debet, si dispensatio petatur.

Quæres 4to: Quid sit cognatio spiritualis?

Resp: Cognatio ſpiritualis est conjunctio, quæ contrahitur ratione Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis. Cum enim Baptismus sit nova quædam generatio, in qua baptisans & ſusceptores vicem Patrum gerunt, indecens est, ut qui baptisati ſunt, aut à sacro fonte ſuscepti, eos in matrimonium ducant, à quibus baptisati, vel suscepti ſunt. Hinc Romanus Pontifex in hoc cognationis Spiritualis impedimento difficilius dispensat, quam in impedimento cognationis carnalis. Idem ſervata proportione dicendum est, de Confirmatione, quæ quoddam est Baptismi complementum, & perfectio.

Jure antiquo late diffundebatur cognatio ſpiritualis, ſed Tridentina Synodus volens incommodis inde emergentibus providere, Seſs: 24. Cap: 4. *Statuit ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una, baptisatum de baptismo ſuscipiant, inter quos ac baptisatum ipsum, & illius patrem, ac matrem, nec non inter baptisantem, & baptisatum, baptisatique patrem, & matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem, non egrediatur.* Quare ibidem ſapientiſsime sic monet eadem sacra Synodus: *Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptisatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum ſuscipien-*

piendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quodsi alii ultra designatos, baptisatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Quare qui in levando de sacro fonte infante, Patrinum, aut Matrinam adjuvant, licet infantem physice tangant, nullam tamen hinc cognationem contrahunt, nisi ipsi etiam vere Patrini sint, unde ad contrahendam ſpiritualem ex Baptismate cognationem neque requiritur, neque ſufficit contactus infantis baptisati physicus. Quodsi tamen imperitus, aut timidus Parochus plures admiserit Patrinos ad tenendum unum in Baptismate infantem, omnes ſpiritualem contrahunt cognationem, quia etsi id vetitum sit, quia omnes illi eodem modo infantem in Baptismo tanquam Patrini levant, & tenent, omnes ſpiritualem contrahunt cognationem. Si vero à pluribus, per baptisandi Parentes, designatis, Parochus unum duntaxat, vel unam admiserit, illi soli cognationem ſpiritualem contrahent, quia cum ex Concilio Tridentino penes Parochum sit, illos in Patrinos admittere, quos voluerit, reipsa ii Patrini non erunt, quos ille rejecerit.

Ceterum error facti impedit, ne impedimentum cognationis ſpiritualis contrahatur. Quare si Pater, aut Mater propriam prolem ex Baptismo ſusceperit, ignorans propriam eſse prolem, cognationem Spiritualem ex tali Baptismo non contrahunt. Sic statuit Alexander 3. Papa Cap: 2. de Cognat: Spirit: ubi sic ait: *Si vir, vel mulier ex ignorantia filium ſuum de sacro fonte ſusceperit, eos ignorantia excusare videtur.* Pariter qui per errorem levat de sacro fonte filium Petri, putans se levare filium Joannis, nullam contrahit ſpiritualem cognationem, quia non intendit fungi munere Patrini, respectu filii Petri, nequit ergo ex hoc munere, aliquod cum iis contrahere vinculum. Aliud est de eo, qui baptisat filium Pauli, putans ex errore se baptisare filium Andreæ, quia baptisans tenetur velle baptisare infantem præsentem, quisquis ille sit, licet ergo erret in accidente baptisati, putans eſse filium Andreæ, cum sit filius Pauli, non errat tamen in ſubstantia personæ, volens ac intendens præsentem baptisare, quicunque ille sit. Hinc etiam qui de sacro fonte ſuscipit Petri filium, ex errore putans filium eſse Joannis, & simul ita dispositus est, quod velit levare de sacro fonte infantem indiscriminatim quicunque ille sit, ſpiritualem contrahit cognationem. Ex quo facile intelligi-

telligitur, ad contrahendam à Patrinis ſpiritualem cognationem, non ſufficere præsentiam physicam, ut materialiter tantum Baptismo adstent, ſed videtur neceſsaria eſse præsentia moralis, ut intelligenter & humano modo Patrinorum officio perfungantur. Qua propter nec plene ebrius, nec puer minorennis materialiter ſolum baptismo, sine perceptione rei, præsens, ſpiritualem non contrahet cognationem. Vide Figuram Nro 5to,

Hinc *1mo*: qui infanti jam domi baptisato nomen imponunt, cum Baptismi Ceremoniæ ſupplentur, nullam contrahunt cognationem ſpiritualem, quia tunc non ſuscipiunt infantem de sacro fonte. Imo nec prædictam cognationem ſpiritualem contrahunt cum baptisato Patrini illi, qui infantem de sacro fonte ſuscipiunt in privato baptismate extra Baptismum ſolemnem, quia tunc non ſunt vere Patrini. Baptisans tamen etiam privatim, cum baptisato prædictam contrahit cognationem. Unde qui Baptismi Instrumenta, ſeu testimonia conficit, exprimere debet, infantem jam antea domi baptisatum fuiſse, ut intelligatur eos, qui honoris causa eidem nomen imposuerunt, sive cum solemnitates Baptismi in Ecclesia ſupplebantur, adstiterunt, ſpiritualem cognationem non contraxiſse.

2do: Tutius est, ut qui infantem ſub conditione baptisatum de sacro fonte ſusceperunt, prædictam cognationem ſpiritualem contraxiſse reputentur, quia, licetsi ad contrahendam ſpiritualem cognationem neceſse sit, ut Baptismus verus, ac validus sit, ſed quia dum ſub conditione confertur, de ipsius validitate dubium est, in dubio vero pars tutior tenenda est, ideo tutius, ut qui in tali baptismate Infantem, veluti Patrini tenuerunt, hanc cognationem contraxiſse reputentur. Idem dicendum est de iis, qui per Procuratorem infantem de sacro fonte levarunt. Quia in Jure, qui per alium facit, per seipsum facere censetur, & ex Concilio Tridentino cognationem ſpiritualem is contrahit, qui ad levandum de sacro fonte infantem, est destinatus. Porro non Procurator ad id est destinatus, ſed ille, cujus is vices gerit. Ergo ille solum, non vero ipsius Procurator cognationem ſpiritualem contrahit. Unde ſequitur, quod si Civitas quædam infantem de sacro fonte per aliquem à se deputatum levaret, tunc singuli, qui ejusdem Civitatis corpus constituunt, cognationem ſpiritualem contraherent. Hæc tamen opinio licet vera & communior, non est tamen indubia.

3tio:

3tio: Qui in casu necessitatis infantem baptisat, veram cum eo cognationem spiritualem contrahit, quia vere baptisat, & jus non distinguit inter baptisantem ex necessitate, & baptisantem sine necessitate. Si tamen Pater in casu necessitatis prolem propriam, & modo tamen legitimam baptisaret, nullam cum uxore sua cognationem contraheret. Quodsi id faceret sine necessitate, & ex malitia, ut à conjugii thoro abstineret, teneretur eidem ut antea debitum conjugale reddere, ne ex sua fraude & malitia commodum reportaret, sed idem debitum conjugale ipse ab uxore sua exigere non posset. At vero Pater, qui etiam in necessitatis casu propriam prolem ex concubina, vel alia extranea muliere susceptam baptisat, cum ea contrahit vinculum cognationis spiritualis, illamque sine dispensatione in uxorem ducere nequit, quia jus canonicum, illos solum à contrahenda ex baptismate spirituali cognatione liberos esse declarat, qui propriam legitimam prolem in casu necessitatis baptisant.

4to: hanc spiritualem cognationem contrahunt ii omnes baptisati, qui Patrinorum munere in Baptismi collatione perfunguntur, quamvis ad hoc officium ex Juris dispositione admitti non deberent, veluti Religiosi, ac etiam Hæretici si baptisent, aut baptisatum de sacro fonte suscipiant, quia & ipsi Hæretici subjacent Ecclesiæ legibus. Si vero infidelis quispiam infantem in casu necessitatis baptiset, aut baptisatum de sacro fonte suscipiat, nullam contrahet cognationem. Idem est si fidelis baptiset filium fæminæ infidelis, aut de sacro fonte eum suscipiat, quare hanc, si conversa fuerit ducere poterit in uxorem sine ulla dispensatione.

5to: ultimo tandem, quoniam ex dispositione Concilii Tridentini cognatio spiritualis ex ratione Baptismi non contrahitur nisi inter Patrinos, baptisatum, baptisatique patrem, atque matrem, nec non inter baptisantem, & baptisatum, illiusque patrem, ac matrem, evidens est, inter ipsos Patrinos nullam intervenire cognationem, unde Patrinus, Matrinam in uxorem ducere potest, quia nulla inter eos ex ratione Baptismi intervenit cognatio. Verum tamen uxor, & Maritus, simul Patrini esse non debent, quod & jure canonico cautum est.

Quod autem dictum est de cognatione spirituali proveniente ex Baptismo, idem dicendum est de cognatione profluente ex Confirmationis Sacramento.

Quæres 5to: Quid sit cognatio legalis?

Resp:

Resp: Cognatio legalis, est ea, quæ oritur ex adoptione juxta patrias leges facta. Adoptio autem est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, filiam, vel neptem, aſsumptio, atque electio, ut sit hæres adoptantis. Potest ergo & persona consanguinea adoptari, quæ ſcilicet multis gradibus ab adoptante ·distat, tunc autem aſsumitur, atque eligitur, ut adoptanti facta proximior, hæres illius fiat. Adoptatus autem transit in adoptantis potestatem, instar filii naturalis, atque hæres ipsius efficitur.

Porro cognatio legalis Matrimonium dirimit. *1mo:* inter adoptantem, & adoptatum, adoptatique posteros usque ad quartum gradum inclusive. *2do:* inter adoptatum, ſeu adoptatam, & filios, ſeu filias adoptantis, ſed usque dum liberi stant à potestate patria per mortem adoptantis, vel per emancipationem ab eo factam. Verum adoptio legalem cognationem pariens, jam nullibi viget. Vide fig: Nro 6to.

Quæres 6to: Cognationis ſpiritualis, & legalis impedimentum estne dispensabile?

Resp: Ecclesia impedimentum tum ſpiritualis, tum legalis cognationis relaxare potest. Quia impedimentum cognationis ſpiritualis, jure ſolum Ecclesiastico constitutum est, ab Ecclesia aliquando extendebatur, aliquando restringebatur. Justas etiam Principum circa adoptionem, atque profluentem cognationem leges, Ecclesia confirmavit. In utraque ergo cognatione ſpirituali, & legali Ecclesia dispensare potest. Qui autem carnaliter cognovit personam, cum qua ſpirituali cognatione junctus erat, si, ad illam in Uxorem ducendam, dispensationem obtinere velit, non cognationem modo, ſed & admiſsum crimen in petitione exprimere debet.

Quæres 7mo: Quid sit affinitas?

Resp: Affinitas, est propinquitas inter certas personas orta ex copula carnali. Affinitas ergo. *1mo:* est inter certas tantummodo personas, ſcilicet inter Conjugatum ſolum, & consanguineos conjugatæ, & viciſsim inter conjugatam ſolam, & consanguineos conjugati. Unde si Titius copulam carnalem habeat cum Bertha, ipse & quidem ſolus fit affinis consanguineis Berthæ, adeo: ut defuncta Bertha, non poſsit in Uxorem ducere matrem, filiam, neptem, imo nec cognatas Berthæ usque ad quartum gradum inclusive, si copula intra Matrimonium habita sit. Idem dicendum de Bertha respectu consanguineorum Titii. At vero consanguinei Titii, Berthæ consan-

sanguineas in uxores ducere poterunt, quia ut tritum fert adagium. *Affinitas non parit affinitatem*, cujus ſensus est, Titium per ſuam cum Bertha carnalem copulam, sic fieri affinem consanguineis Berthæ, ut ejusdem Titii consanguinei, per hoc prædictis Berthæ consanguineis affines non reddantur. Unde Pater & filius, matrem, & filiam, duo fratres, duas ſorores, vel eorum unus Matrem, alter filiam in uxores ducere poſsunt. Item duo consanguinei, duas inter ſe consanguineas ducere poſsunt. Hac item de causa Titius etsi Berthæ consanguineas ducere non poſsit, ejus tamen affines vg. Uxorem fratris Berthæ defuncti, post Berthæ mortem ducere poterit.

2do: hæc affinitas oritur ex quacunque carnali copule, in debito muliebri vase consummata, sive ex illicita quæ habetur per fornicationem, adulterium, incestum, aut ſacrilegium, etiamsi hæc invitæ, vel dormienti inferatur, sive ex licita, quæ habetur in legitimi Matrimonii usu, cum hoc tamen discrimine, quod affinitas ex copula licita proveniens dirimat Matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, quæ vero ex illicita quavis carnali copula oritur, non dirimit Matrimonium nisi ad ſecundum gradum inclusive, unde qui fornicarie puellam cognovit, consanguineam ejus in tertio gradu, valide & licite in uxorem ducere potest.

Quodsi Matrimonium in quo carnalis habita est copula fuerit invalidum, tunc inſpiciendum est, an fuerit invalidum ex mala illud contrahentium fide, quia nimirum ſcienter cum impedimento dirimente Matrimonium contraxerunt, vel invalidum ex inculpata illorum ignorantia. Si *1mum:* affinitas inde exorta, utpote quæ sit ex copula illicita non videtur transgredi ſecundum gradum, contraheretur tamen impedimentum publicæ honestatis ad quartum usque pertingens gradum. Si *2dum:* cum affinitas illa prodierit ex copula, quæ propter bonam fidem, sine peccato exercita fuit, videtur ad quartum usque gradum extendi debere.

Ad contrahendam autem istam affinitatem requiritur copula carnalis completa, ea ſcilicet in qua penetratur vas muliebre, cum effusione ſeminis virilis intra illud. Unde non contrahit affinitatem qui licet claustra pudoris frangat, sic tamen ſe retrahit, ut extra vas muliebre ſemen ſuum effundat. Quoties tamen constat de habita copula, toties in exteriori foro præsumitur debita ſeminis effusio. Et is qui vel leviter ſuspicatur ſe peccaſse cum

fæmi-

fæmina, cujus Sororem duxit, aut ducere intendit, indiget dispensatione, quam nisi obtinuerit filii ejus pro illegitimis in foro Ecclesiæ reputantur. Ceterum ad contrahendam affinitatem nihil interest, an habita carnalis copula occulta sit, an notoria, ex utraque enim impedimentum affinitatis exurgit.

Quæres 8vo: Ut sciatur quo in gradu sit affinitas, quæ advertenda sunt?

Resp: Ut cognoscatur quo in gradu duæ personæ sibi sint affines, in affinitate pariter, sicut & in consanguinitate tria distingui debent, stipes, linea, & gradus. *Stipes* sunt duæ personæ, quæ se carnaliter cognoverunt, quæque cum una caro per carnalem copulam evaserint, principium sunt affinitatis, sicut Pater, & Mater sunt principium consanguinitatis. *Linea* est series personarum, quæ sibi sunt affines. Et hæc, sicut in consanguinitate, ita & in affinitate duplex est, recta scilicet, & transversa. Affines in linea recta ii sunt, qui in eadem linea consanguinei sunt uni ex personis, quæ copulam secum carnalem habuerunt. Affines vero in linea transversa dicuntur, qui in linea transversa iisdem personis consanguinei sunt. Unde Petro, qui Bertham duxit, affinis est in primo Ascendentium gradu Mater Berthæ, in primo vero descendentium gradu filia ejusdem Berthæ, ex alio Matrimonio progenita. In linea vero transversa affines Petro sunt, tum soror Berthæ, ejusdemque Sororis filia, tum aliæ ejusdem consanguineæ. Hæc ergo regula tenenda est: *Persona quælibet in eo gradu est affinis ei, qui copulam habuit, cum consanguinea illius, in quo ipsa huic consanguinea est*, seu. *Quo gradu aliquis est consanguineus uni copulatorum, eodem gradu est affinis alteri.* Sic consanguinea uxoris in primo & secundo gradu, & vicissim consanguineus mariti in primo, vel secundo gradu affinis est uxori, vel marito in iisdem gradibus. Hinc Petrus qui Bertham in uxorem duxit, affinis est in primo gradu Matri, & Sorori ejus, quia Mater, & Soror Berthæ, sunt ei consanguineæ in primo gradu, in secundo autem gradu affines sunt eidem Petro, filia Sororis Berthæ, item consobrina ipsius in tertio gradu, quia in iisdem gradibus sunt consanguineæ Berthæ.

Porro sicut in Consanguinitate gradus mixtus ex primo & quinto, non inducit impedimentum, sic nec inducit in affinitate orta ex copula licita. Unde etiam affinitas ex copula illicita proveniens, nihil efficit in gradu pri-

primo & tertio, quia in hisce materiis gradus prohibitus non computatur, cum dicit ordinem ad gradum minime prohibitum. Vide fig: Nro 7mo & 8vo.

Quæres 9no: Quos effectus parit affinitas, Matrimonio jam contracto ſuperveniens, ut si Titius peccet cum Sorore, aut Nepte uxoris ſuæ?

Resp: Per talem ſupervenientem affinitatem non dissolvitur Matrimonium, quod cum legitime contractum, consummatum fuerit, ſola morte ſolvitur, ſed ex ea id consequitur, ut qui peccavit cum uxoris ſuæ consanguinea in primo, vel ſecundo gradu, licet eidem uxori, quæ jure ſuo privari non meruit, debitum conjugale reddere debeat, non tamen illud exigere poſsit, nisi obtenta dispensatione. Quodsi uterque conjux, cum alterius consanguineis peccaverit, vel alter de alterius consensu id fecerit, jam neuter habet jus exigendi debiti conjugalis, quia leges jus illud parti ſolum innocenti conservant, in hoc vero casu neutra pars est innocens. Si tamen uterque Conjux ex intentione cum affinibus ſuis coeat, ut alterum Conjugem debito conjugali defraudet, tenebitur debitum hoc alteri petenti reddere, non vero petere, quia cum nemini fraus ſua prodeſse poſsit, neminem etiam â prædicto onere reddendi conjugalis debiti, eximere potest.

Porro ille ſolus incestus privat jure petendi conjugalis debiti, qui formalis, hoc est vere peccaminosus fuerit, non vero ille qui materialis ſolum exstitit, & sine peccato contigit. Unde qui ratus ad uxorem ſuam ſe accedere, ad ejus consanguineam acceſsit, & rem carnalem cum ea habuit, non privatur ſuo jure quod habet ad ſuam uxorem, quia incestus illius non fuit formaliter peccaminosus. Non desinit tamen contrahere affinitatem, quæ tunc in eo nihil efficit. Idem dicendum de muliere per vim ab affine ſuo oppreſsa, ſecus si libidini ejus ex gravi etiam mortis metu ceſserit, quia mori potius debuit, quam inique fædari, & ideo poterit ei maritus debitum conjugale negare.

Quæres 10mo: Quo jure affinitas dirimit Matrimonium?

Resp: Affinitas ex copula sive licita, sive illicita proveniens, nequidem in primo gradu lineæ rectæ Matrimonium jure naturali dirimit, ſed ſolum jure Ecclesiastico. Unde si infideles ante baptismum in tali affinitatis gradu Matrimonium contraxerint, & postea ad fidem catholicam convertantur, non ſunt ab invicem ſeparandi. Nunquam

quam tamen conceditur dispensatio in primo affinitatis gradu ex copula licita provenientis, non defectu potestatis, ſed defectu justæ causæ id exigentis, ad id enim requiruntur tam graves causæ, ut nunquam occurrant. Quia vero minus urgentes ſufficiunt ad dispensandum, dum eadem affinitas exoritur ex copula illicita, etiam in primo talis affinitatis gradu non nunquam dispensationes conceduntur.

Magis autem affinitas in omni lineæ transversæ gradu, non jure naturali ſed Ecclesiastico ſolum Matrimonium dirimit, unde est dispensabile. Et reipsa multi Romani Pontifices his in gradibus dispensarunt.

Dices 1mo: S. Joannes Baptista Herodem increpavit, quod haberet uxorem fratris ſui Philippi. *2do:* Paulus Apostolus I. Corinth: Cap: 5. ait, habere uxorem patris ſui, eſse crimen quale neq inter Gentes extiterit, ac proinde juri naturali contrarium erat?

Resp: ad 1mum: Lege Moysaica cautum erat, ne frater, uxorem fratris ſui defuncti, si ipse liberos post ſe reliquiſset, duceret. Herodes vero licetsi alienigena, Judaicam tamen religionem profitebatur, ejusque legibus ſubjectus erat, cumque Philippus Herodis frater liberos de uxore ſua Herodiade ſuscepiſset, ac imprimis illam ſaltatricem, cujus petulantiæ conceſsum fuerat caput Joannis Baptistæ, etsi Philippus ſupponatur mortuus fuiſse, non poterat Herodes juxta Moysaicas leges ſuperstitem ipsius ducere uxorem. Non ergo hic jus naturale impedimento erat, ſed lex tantum Moysis, hæc autem cum jam abrogata sit, nullam vim habet. Verum pene omnes post Josephum Antiquitatum Judaicarum Scriptorem, & S. Hieronymum affirmant, Philippum tunc adhuc vixiſse, eo igitur vivente, non poterat Herodes uxorem ipsius apud ſe habere, quod & nunc verum est, cum id jus naturæ & divinum prohibeat.

Ad 2dum: Flagitiosus Corinthius incestui adulterium inauditum miscuit. Patris siquidem ſui adhuc viventis uxorem habebat, atque cum ea impudice copulabatur. Ita pene omnes ſentiunt Sacræ Scripturæ interpretes. Certe Apostolorum etiam tempore moris erat apud Gentes, ut filius mortuo Patre, ſuam Novercam in Matrimonium duceret. Non ergo hoc dicit Apostolus crimen fuiſse inter Gentes inauditum, ſed hoc quod Patris ſui viventis uxori, filius ſceleste copulabatur.

Quæ-

Quæres 11mo: Quid sit impedimentum publicæ honestatis?

Resp: Est propinquitas apparens certas inter personas orta, sive ex Matrimonio ſolum rato, & non consummato, sixe ex Sponsalibus. Quia qui Sponsalia, aut Matrimonium cum aliquà persona contrahit, eo ipso, etiam ante illius consummationnem, certam contrahit connexionem cum ipsius consanguineis, vi cujus indecens videtur, ut eosdem quasi plane extraneos in Matrimonium ducat. Oritur ergo hoc impedimentum tum ex Matrimonio etiam ſolum rato, & non consummato, tum ex Sponsalibus.

Porro impedimentum publicæ honestatis inter certas tantummodo personas contrahitur. Namque 1mo: publica honestas ad consanguineos ſolum extenditur, non ad affines. Unde desponsatus vulgo (Zaręczony) post desponsatæ Berthæ mortem, poſset ducere, nec quidem Berthæ Sororem etiam ſpuriam, quæ eidem consanguineæ ſunt, ſed viduam fratris Berthæ, quia hæc ipsi affinis ſolum est, non autem consanguinea. 2do: nec extenditur ad consanguineos omnes, ſed ad eos tantum, qui ſunt in lineæ rectæ primo gradu, si sit ex Sponsalibus, & ad quartum utriusque lineæ gradum, si sit ex Matrimonio. Unde si quis postquam Sponsalia contraxit cum Mathilde, Matrimonium contrahat cum ejus Matre, aut Sorore, aut filia, invalide contrahet. At valide contrahet cum Mathildis Avia, aut cum filia filiæ, vel ſororis ejus, & â fortiori cum ceteris ejusdem consanguineis, nisi Sponsalia hæc, Matrimonium ſubsecutum fuerit. Vide Fig: Nro 9no & 10mo.

Quæres 12mo: Qualia debent eſse Sponsalia, ut ex illis impedimentum publicæ honestatis oriatur?

Resp: Ut ex Sponsalibus oriatur impedimentum publicæ honestatis, Sponsalia debent eſse. 1mo valida, ubi vero Sponsalia, quacunque ratione, valida non fuerint, impedimentum publicæ honestatis ex iis non exurgit. Ita statuit Concil: Trident: Ses: 24. de Refor: Matrim: Cap: 3. Hinc si aliquis quocunque impedimento perpetuo Matrimonium dirimente, vel impediente constrictus, Sponsalia contrahat, mulier illa, rei veritate detecta, poterit ejus consanguineis nubere, quia illa Sponsalia nulla fuerunt. Et hoc verum est, licetsi impedimentum istud occultum sit exg. votum perpetuæ castitatis, nec in foro exteriori probari poſsit, unde Sponsalia exterius videbuntur valida, interius reipsa invalida. Cum enim Concilium

Tri-

Tridentinum statuerit ex Sponsalibus quacunque ratione invalidis, impedimentum publicæ honestatis non oriri, Sponsalia istiusmodi licet exterius appareant eſse valida, reipsa tamen, & interius propter impedimentum occultum, nulla & invalida ſunt. Non ergo pariunt impedimentum publicæ honestatis. Ex validis itaque tantummodo Sponsalibus istiusmodi exoritur impedimentum. Quare si Joannes Sponsalia valida contraxerit cum Bertha, & postea vel alia Sponsalia, vel etiam Matrimonium contrahat cum Maria ejus Sorore, ante ſecundi hujus Matrimonii consummationem, poterit prius desponsatam ducere Bertham, quia nec ſecunda Sponsalia, cum Maria inita, utpote invalida, poſsunt parere impedimentum publicæ honestatis, & Matrimonium cum prædicta Maria contractum, quod propter impedimentum publicæ honestatis, ex primis cum Bertha initis Sponsalibus, nullum est, impedire nequit, quin Joannes promiſsionem Berthæ factam adimplere teneatur. Si tamen Joannes cum Maria licet invalide contractum inique consummaverit Matrimonium, tunc neutram ducere poterit. Non Mariam ob publicæ honestatis impedimentum. Non Bertham ob impedimentum affinitatis consurgens ex carnali copula, quam habuit ſub prætextu Matrimonii cum Sorore illius Maria. Unde affinitas agit retro, & præcedentia Sponsalia diſsolvit, ipsa vero Sponsalia, & contractum etiam, ſed nulliter Matrimonium, sine ſubsequente illius consummatione non retro agunt, nec valent ad diſsolvenda præcedentia Sponsalia. Quare si Titius contraxerit Sponsalia cum fæmina, quam duxit frater ipsius, ſed illam maritaliter non cognovit, Titius ipsam ducere poterit, quia Matrimonium à fratre ipsius cum ea initum irritum est, ac proinde præviis Titii Sponsalibus præjudicare non poterit. Pari de causa si Titius ante Sponsalia, quæ cum Catharina contraxit ejus Sororem carnaliter cognoviſset, poſset istam ducere, quia Sponsalia cum Catharina invalida fuerunt, ob affinitatem ex prævia carnali copula cum ipsius Sorore habita, non poſset vero ob eandem affinitatem cum Catharina ipsa contrahere.

2do: Sponsalia hæc debent eſse absoluta. Unde, qui Sponsalia cum muliere ſub conditione contraxit, si ante conditionis eventum, cum alia prioris consanguinea Matrimonium ipsum inierit, cum ſecunda remanere debebit. Ita decrevit Bonifacius 8, Cap: Unico de Sponsal: si tamen Petrus exg. post contracta conditionate Sponsalia cum

Ber-

Bertha, alia item Sponsalia, ſed absolute cum ejus Sorore ineat, debebit is Bertham ducere, non ejus Sororem. Posteriora enim Sponsalia non poſsunt inducere obligationem inique agendi, inique autem ageret, qui Matrimonium cum Sorore Berthæ contraheret, quia priora Sponsalia cum ipsa contracta, obligant ad expectandum conditionis eventum, ante quem non licet ſponso à facta promiſsione ſe retrahere. Verum si nihilominus prædictus Petrus, rejecta Bertha, cum ipsius Sorore Matrimonium inierit, illud valebit, quia ex Bonifacii statuto, Sponsalia ſub conditione contracta, tunc ſolum publicæ honestatis impedimentum inducunt, cum purificata conditione, è conditionatis fiunt absoluta.

3tio: non tamen debent eſse publica, coram testibus contracta, aut à Parocho benedicta, ut in quibusdam Regionibus in usu positum est, ſed ad inducendum impedimentum publicæ honestatis, ſufficiunt Sponsalia privatim, & clandestine contracta, quia ante Concilium Trident: istiusmodi Sponsalia, & ipsa etiam Matrimonia clandestina valebant. Porro circa Sponsalia nihil prædictum Concilium innovavit. Ergo sicut antea clandestina Sponsalia valebant; atque impedimentum honestatis inducebant. ita & nunc. Atque sic decrevit Congregatio Concilii Trident: interpres. Et quamvis in nonnullis Diæcesibus, sicut apud nos in Kijoviensi statutum sit, ut Sponsalia coram testibus contrahantur, & à Sacerdote benedicantur, nihilominus si privatim & clandestine contrahantur, valida ſunt, & impedimentum publicæ honestatis inducunt. Unde si quis ſolus puellæ alicui reciprocam futuri Matrimonii dediſset fidem, & postea Sororem ipsius in Uxorem duxiſset, dispensationem petere debet.

Est autem perpetuum istiusmodi publicæ honestatis impedimentum, quamvis ex ſolis etiam oriatur Sponsalibus. Unde si Sponsa, vel Sponsus moriatur, Religionem ingrediatur, manet hoc impedimentum, & Sponsus consanguineas Sponsæ ducere nequit, nec Sponsa consanguineis Sponsi nubere valet. Idem est si Sponsalia, sive mutuo Partium consensu, sive per Judicis Ecclesiastici ſententiam, diſsolvantur. Quia ex ſemel valide contractis Sponsalibus proveniens publicæ honestatis impedimentum, perpetuum est, & ſola tollitur dispensatione.

Quæres 23tio: Unde præterea oritur impedimentum publicæ honestatis?

Resp: Impedimentum publicæ honestatis oritur præ-

tere,

terea, ex Matrimonio rato, quamvis consummatum non fuerit. Idque definitum est Cap: 4. & 8. de Sponsalibus. Et vero si Sponsalia ſola, quæ ſunt nonnisi præparatio ad Matrimonium, inducunt impedimentum honestatis, multo magis illud inducit ipsum contractum Matrimonium, quamvis non fuerit consummatum.

Hic tamen notanda ſunt *1mo:* impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio rato proveniens extendi ad quartum usque gradum inclusive utriusque lineæ, rectæ scilicet, & collateralis. Ita declaravit Pius 5. Papa anno 1588. in Bulla quæ incipit *Ad Romanum. 2do*: Licet ex Sponsalibus invalidis non exurgat impedimentum publicæ honestatis, illud tamen exurgere ex Matrimonio invalido, modo invalidum non sit ex defectu consensus, quale eſset si quis ex gravi metu coactus Matrimonium iniret. Sic decrevit Bonifacius 8. Hinc si Matrimonium Titii cum Bertha invalidum fuerit, propter aliquod aliud impedimentum dirimens, etiam ipsis incognitum, Titius nullam ex consanguineis Berthæ, intra quartum gradum ducere, poterit in uxorem.

Duo autem præterea addi debent. *1mo*: Cum impedimentum publicæ honestatis solo jure Ecclesiastico introductum sit, & est ab Ecclesia dispensabilie & Infideles eidem non ſubjacent. *2do*: Qui cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, aut etiam publicæ honestatis: *intra gradus prohibitos, scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, ſeparetur ab ea quam duxit, & spe consequendæ dispensationis careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem ſubijciatur pœnis. Si vero ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea ſubeſse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo dispensari poterit. In contrahendis autem Matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

ARTI-

ARTICULUS 3tius

De reliquis Matrimonium dirimentibus impedimentis.

Quæres 1mo: Quid sit impedimentum criminis?

Resp: Per impedimentum criminis illud hic intelligitur, quod nascitur ex adulterii, aut homicidii criminibus, vel seorsim sumptis vel ex utroque conjunctim, ac denique ex Matrimonio nulliter attentato. Ratio autem hujus impedimenti hæc est, ne scilicet propter futuri Matrimonii conceptam spem, adulteria multiplicentur, & ansa tentandæ conjugum mortis, præbeatur. Hæc vero crimina in quatuor casibus Matrimonium dirimunt. Et quidem primo cum quis adulterium committit, & adulteræ promittit se ipsam post mortem mariti ipsius in uxorem ducturum esse. Ita Innocentius 3. Papa Cap: 6. *De eo qui duxit, quam polluit.* Unde neque sola Matrimonii promissio impedimentum criminis parit, nisi accedat adulterium, neque solum adulterium, nisi accedat futuri matrimonii promissio. Istiusmodi autem promissio irrita est, quia præbet locum, & facit exoptare mortem alterius.

Ut autem futuri Matrimonii promissio adulterio conjuncta, impedimentum dirimens inducat, quatuor requiruntur *1mo*: ut ab altero complice acceptetur saltem implicite, id est, si non per verba, saltem per exteriora signa; quia promissio sine acceptatione nullius est momenti, & censetur mera esse pollicitatio. *2do*: Ut promissio etiam acceptata ante adulterium non revocetur, quia promissio revocata non magis valet, quam si facta non fuisset. *3tio*: Ut adulterium cui adjungitur promissio, sit ex utraque parte formale, hoc est ut uterque adulter, & suum, & alterius noverit conjugium, unde non sufficit, ut uterque sciat se Matrimonii vinculo esse ligatum, si neuter alterius Matrimonialem statum cognoscat, putans illum esse liberum. Unde qui vivente Uxore, quam bona fide credit esse mortuam, fæminæ, quæ vel libera est, vel libera existimatur, nuptias spondet, sub spe obtinendi ab ipsa carnalis coitus, nihil contrahit impedimenti. Ast ea solum ignorantia in præsenti excusat, quæ in aliis materiis excusaret, id est, quæ crassa non fuerit. *4to*: Ut adulterium sit consummatum. Sed ut adulterium sit consummatum sufficit sola, citra seminis effusionem, fæminæ vasis penetratio, quia per novum extra muliebre vas effun-

dendi seminis peccatum, facile eluderentur Ecclesiæ Canones.

Verum ut eadem Matrimonii promifsio adulterio juncta, pariat criminis impedimentum, non est necefse *1mo:* ut sit sincera, quia fufficit etiam ficta, quæ seria existimatur, æque enim & ipsa ad committendum adulterium, aut etiam ad perpetrandum Conjugis homicidium impellit, ac si vera efset.

2do: Neque etiam requiritur ut sit absoluta, fed fufficit conditionalis. Unde si quis commifso cum Bertha adulterio, eidem post mortem ipsius mariti Matrimonium fpoponderit, ea tamen conditione, ut Bertha mille aureos in dotêm fecum adferat, ex hac promifsione quantumvis conditionata, nascetur impedimentum dirimens, sive Bertha conditionem impleat, sive non, quia ut talis promissio Matrimonium dirimat, non est necefse ut valida sit, cum nunquam valida efse pofsit, aliunde vero ipsa vel ad mortem Conjugis, vel ad iterandum adulterium potenter excitat, hoc autem Leges cavere voluerunt, cum istud impedimentum constituerunt. Imo etiam si adjecta promifsioni conditio efset impofsibilis, aut contra Matrimonii fubstantiam, nihilominus hoc contraheretur impedimentum. Secus dicendum est, si alter adulter, ex ipsa conditionis appositione, sentiret & perspiceret, promifsionem non serio, fed mendaciter fieri.

3tio: Nihil etiam refert, an promissio adulterium præcedat, an fequatur. Ex meliori tamen Theologorum fententia, debent adulterium, & promifsio futuri Matrimonii, concurrere durante eodem conjugio, & tunc exurget impedimentum criminis, etiamsi vir & legitima ipsius uxor feparatim quoad thorum ex divortio vivant, vel nunquam etiam fecum cohabitaverint, ac proinde ratum nonnisi, non vero consummatum eorum fuerit Matrimonium.

Secundo: impedimentum criminis exurgit inter eos, qui legitimo Matrimonio nunc adhuc conjuncti, novum scienter contrahere attentant. Ii enim neque fecum invicem habitare pofsunt, quia posterius Matrimonium nullum est, neque etiam post legitimi conjugis mortem simul conjungi pofsunt, ut patet ex totius Ecclesiæ consensu. Sed ad hoc impedimentum contrahendum necefse est. *1mo:* Ut secundum hoc attentatum Matrimonium vivente legitimo Conjuge, consummatum fuerit, aut illud adulterium formale præcedat. Si enim vel nunquam, vel nonnisi post legi-

legitimæ uxoris mortem consummatum sit, neque adulterium illud præcefserit, quamvis utrique pænitentia gravis injungenda sit, non est tamen Matrimonium dirimendum, quod post mortem legitimi Conjugis fecum contraxerunt. 2do: Necefse est, ut quæ tale Matrimonium cum adultero contrahere attentaverat, illius statum Matrimonialem sciat, alioqui enim si eum Matrimonio ligatum efse ignoravit, cum eo, postquam morte conjugis fuæ folutus fuerit, contrahere potest Ita definivit Innocentius 3. Cap: 7. *De eo, qui duxit, quam polluit.* Imo non solum inter eos verum deinceps potest consistere Matrimonium, fed & adulter talis, post fuæ legitimæ uxoris mortem illam ducere tenetur, quam fui status matrimonialis insciam carnaliter cognovit, si ei Matrimonium fpoponderit, aut etiam contrahere attentaverit. Si tamen quæ bona fide cum adultero contraxerat, rescito illius conjugali statu, cum eodem maritaliter vivere pergat, jam impedimentum criminis contrahit, & cum ipso deinceps legitimo Matrimonio conjungi nequit. *3tio:* Necefse est, ut prius Matrimonium validum fuerit, quia alias non interveniet verum adulterium. Nihil autem interest an fecundum hoc Matrimonium, quod attentatum est, in facie Ecclesiæ contractum fuerit, aut clandestine initum, cum videlicet, ut per hujusmodi Matrimonium impedimentum criminis contrahatur, non requiritur, ut sit validum, quia propter impedimentum ligaminis nunquam valere potest.

Hinc fatis frequens resolvitur casus. Petrus à Matrimonii vinculo liber, Catharinam maritatam abduxit, cum ea turpiter conversatus, tandem longe profectus cum ea Matrimonium iniit, & maritaliter vixit. Is postea rescivit legitimum Catharinæ Maritum mortuum efse, talis sine difpensatione nec licite, nec valide potest cum prædicta Catharina Matrimonium contrahere, quia inter eos adest impedimentum criminis, Matrimonium dirimens. Pariter Paulus uxoratus, qui relicta legitima uxore fua, Annam, hujus rei consciam, fecum duxit, & peregre profectus, ac turpiter conversatus, Matrimonium cum ea contraxit; is neque cum illa vivere, neque post mortem fuæ Conjugis eam in uxorem ducere poterit. Hic enim intervenit impedimentum criminis, propter quod, inter eos Matrimonium fubsistere nequit. Quodsi etiam Petrus, & Paulus in prædictis casibus Matrimonium contrahere non tentaverint, si inter ipsos, & abductas mulie-

res,

res, ut vulgo dicitur, *na wierze żyiąc* promiſsio futuri Matrimonii intervenerat, quam interveniſse omnino ſupponendum est, cum ſpe futuri Matrimonii illæ abductæ sint, ex perpetratis adulteriis, & facta futuri Matrimonii appromiſsione, iterum exurgit impedimentum Criminis, propter quod, etiam demortuis legitimis Conjugibus, simul jungi nequeunt.

Tertio: impedimentum criminis contrahitur per conjugicidium, aliquando sine adulterio, aliquando nonnisi cum adulterio.

Ut vero conjugicidium sine adulterio impedimentum criminis inducat, requiritur, ut homicidium vel ab utroque eorum, qui Matrimonium inter se contrahere conspirant, vel saltem ab uno, de alterius consensu peractum fuerit, & quidem cum intentione saltem in uno, ducendi in Conjugem complicem ſuum. Ut vero conjugicidium adulterio adjunctum, idem impedimentum pariat, ſufficit, ut adulterorum alter vel propriam uxorem, vel mulieris quam intendit ducere maritum interficiat, etiam absque partis alterius adulterantis ulla participatione. Id colligitur ex toto titulo: *De eo qui ducit in Matrimonium eam, quam polluit.*

Hic tamen multa ſunt annotanda. Et quidem *1mo*: ut impedimentum ex conjugicidio contrahatur, non requiritur vel futuri matrimonii promiſsio, vel ut utraque pars sit Christiana, quare si mulier christiana occidat Virum ſuum, ut Judæo, vel Gentili ad fidem convertendo nubat, irritum erit matrimonium. Neque etiam neceſse est, ut vir uxorem physice occidat, ſed ſatis est, ut moraliter, consilio nempe, mandato mortem ipsius procuret. Haud tamen ſufficeret ratihabitio, illa enim impedimentum non induceret. Quod si etiam quis consilio, vel mandato ſuo nihil influxerit in conjugis mortem, puta quia ille cui consilium, aut mandatum dedit, jam ex se satis ad inferendam ei necem determinatus erat, nihil ille contrahet impedimenti. Idem dicendum: si mors de facto ſubsecuta non fuerit, aut nonnisi ex medici, vel Chirurgi inscitia ſubsecuta est. Nihil quoque interest, sive uxor virum, sive vir uxorem necet, quia in jure irritum dicitur Matrimonium, cum alteruter Conjugum occiditur, sive vir ab uxore, sive uxor à marito.

2do: Ex solo homicidio, cum sine conspiratione partium contrahere secum volentium, peractum est, non contrahitur impedimentum criminis, nisi adulterium præcedat

dat mortem alterius Conjugis. Unde si Pétrus ut ducat Bertam, cum qua nondum peccavit, lentum uxori ſuæ venenum propinavit, & nonnisi post mortem illius, Berham carnaliter cognovit, nihil inter utrumque erit impedimenti, posito quod Bertha, in mortem uxoris Petri non conspiraverit, quia tunc deeſset adulterium, quod, cum deest mutua in mortem Conjugis conspiratio, ad inducendum ex homicidio impedimentum, requiritur. Et id verum est, etiamsi Bertha eidem Petro Nuptias promiſiſset, quia nullus est juris textus, qui solam matrimonii promiſsionem, cum machinatione unius tantum, absque adulterio, ad inducendum criminis impedimentum ſufficere statuat.

3tio: Ad inducendum criminis impedimentum, requiritur, ut qui Sponsi alterius mortem procurat, velit Matrimonium cum altero ſuperstite Conjuge contrahere, & hac intentione scelus illud perpetret, quia impedimentum hoc ideo inductum fuit, ne conjux conjugem enecet, quatenus sic soluto Matrimonio, novas cum persona, quam omnino concupiscit, Nuptias contrahat, hæc autem ratio locum non habet, quoties conjugis occisio non eo tendit, neque eo animo perpetrata est, ut Matrimonium cum ſuperstite Conjuge contrahatur. Unde nullus est huic impedimento locus, si Conjux & adulter communi consilio alium conjugem interficiant, non ut Matrimonium inter se ineant, ſed ut liberius libidini vacent, vel ut mortem alterutri, à viro adulterii impatiente inferendam, præveniant, vel tandem ut ineant Matrimonium, at non cum complice adulterii, ſed cum alia persona. Sufficit tamen ut eorum, qui mortem alterius conjugis procurant, unus matrimonium intendat cum ſuperstite Conjuge, quia committitur conjugicidium cum animo contrahendi nuptias, Nullibi vero in jure decernitur neceſsariam hic eſse istam, in utroque complice intentionem.

4to: Quando unus solum conjugis mortem machinatus est, adulterium tunc non parit impedimentum dirimens, nisi utrique Nuptias contracturo notum fuerat, quia tunc non est adulterium utrinque formale, quale eſse debet, ut istud inducat impedimentum. Qua etiam de causa, secluso adulterio homicidium alterius conjugis, utroque Nuptias contracturo notum, & acceptum eſse debet. Quare si Petrus absque prævio adulterio interficiat maritum alterius mulieris, ut eam in uxorem ducat, vali-

validum inter utrumque iniri poterit matrimonium, quia illud nullibi legibus prohibetur.

5to: Denique impedimentum criminis contrahitur, etiamsi adulteri, aut conjugicidæ ignorent illud ex tali crimine pullulare. Quia ut impedimenta matrimonium dirimentia, aut etiam prohibentia, ab Ecclesia constituta, contrahantur, nullibi in jure notitia eorum requiritur.

Ut vero hæc omnia facilius memoria retineantur, paucis contrahuntur.

1mo: Itaque impedimentum criminis quadrupliciter contrahitur, scilicet ex adulterio sine matrimonio attentato, ex adulterio una cum pseudomatrimonio, ex solo homicidio, ex homicidio cum adulterio,

2do: Ut impedimentum criminis contrahatur ex adulterio sine attentatione matrimonii, requiritur, ut adulterio formali jungatur, sive ante, sive post carnalem coitum, promiſsio acceptata de matrimonio cum parte adultera ineundo, post mortem ejus Conjugis, & hic promiſsio ſufficit etiam ficta, etiam conditionata, etiam turpis.

3tio: Ut ex adulterio, quod pseudomatrimonio conjunctum est, nascatur impedimentum criminis, requiritur, & ſufficit ut sciatur priorem legitimum Conjugem vivere.

4to: Ut impedimentum exurgat ex homicidio ſolo, requiritur machinatio utriusque, vel ſaltem unius cum consensu alterius. Sufficit vero ut mors de facto sequatur ex actione physica, vel morali conspirantium.

5to: Ut impedimentum criminis ex conjugicidio simul & adulterio exurgat, non requiritur ut ambæ partes ad homicidium illud concurrant, ſed ſufficit ut earum una homicidium physice, aut moraliter efficiat eo fine, ut cum adultero & ſuperstite Conjuge matrimonium contrahat.

Quoniam vero istud impedimentum criminis, tum ad consulendum vitæ Conjugum, tum ad avertenda nefaria adulteria, ab Ecclesia constitutum fuerit, evidens est, illud ab Ecclesia quoque dispensari poſse, & reipsa justis id expostulantibus causis in eo Ecclesia diſpensat.

Quæres 2do: Quando occurrit impedimentum ex disparitate cultus proveniens?

Resp. Impedimentum disparitatis cultus, ex diversa contrahentium religione oritur. Hic vero dispar Religio non illa est, quæ reperitur inter Catholicum & Hæreticum,

ticum, ſed ea dumtaxat quæ inter baptisatum & non baptisatum intervenit. Unde infidelis hic stricte ſumitur, pro eo, qui nusquam fuit baptisatus, quales ſunt Judæi, Turcæ, Tartari.

Certum itaque est, Matrimonia baptisatorum cum non baptisatis jure Ecclesiastico eſse invalida. Non ſunt tamen ex se ipsis peccaminosa, quia & in veteri Testamento Jacob, Joseph, & ipse Moyses Mulieres infideles Uxores duxerunt, & in nova lege S. Cæcilia nupsit Valeriano Ethnico, S. Monica Patricio viro Gentili, & S, Clotildis Clodovæo Franciæ Regi, cujus ope totum Regnum cum ipso Rege ad fidem Christianam postea conversum est. Quare ex Ecclesiæ permiſsione talia Matrimonia nonnunquam & valida, & licita eſse poſsunt.

Matrimonia vero Catholicorum cum Hæreticis, quamquam graviter ab Ecclesia prohibita sint, ſunt tamen valida, si debito ritu celebrentur, quia nulla lex Ecclesiæ extat, qua irritentur.

Quæres 3tio: Utrum amentes Matrimonium contrahere poſsint?

Resp: Sub amentium denominatione omnes hic comprehenduntur, qui liberum rationis usum non habent, quales ſunt furiosi, mente imbecilles, ratione destituti. Omnes isti jure naturali inhabiles ſunt ad contrahendum Matrimonium, quia illud multam requirit libertatem, qua carent illi, qui furiosi ſunt, & plane mente imbecilles, rationeque destituti. Amentes tamen, qui lucida habent rationis intervalla, iisque durantibus Matrimonium contrahunt, illud valide contrahunt, quia tunc libere præbent ſuum Matrimonio aſsensum. Idem dicendum est de iis, qui debile quidem habent ingenium, ſed non eo usque imbecille, ut ratio, & libertas ex toto deficiat. Hujusmodi tamen homines à Nuptiis, si fieri potest, avertendi ſunt. tum ob funestos recurrentis amentiæ, vel debilitatis, ac deficientiæ ingenii effectus, tum quia præcipuus est Matrimonii finis, debita prolis educatio, quæ ab iis hominibus in tam misero statu degentibus, expectari vix potest. Quod si aliqua neceſsitas urgeat, Parochus, ne gravibus sese exponat incommodis, Episcopum consulere debet. Qui vero à natura ſurdi, & muti ſunt, si intellectum ita perspicacem habeant, ut poſsint signis edoceri, quid sit Matrimonium, & consensum ſuum indicare valeant, valide contrahere poſsunt.

Quæres 4to: Quid sit clandestinitas Matrimonii?

Resp:

Resp: Matrimonium censetur eſse clandestinum, quando vel non contrahitur coram proprio Parocho, aut alio de ipsius, vel Episcopi licentia Sacerdote, vel licet contrahatur coram proprio Parocho, ſed sine requisitis à jure testibus. Ut ergo Matrimonium non sit Clandestinum debet *1mo.* contrahi coram proprio Parocho. *2do:* Coram tribus aut saltem duobus testibus. Sive ergo proprius desit Parochus, sive duo saltem defuerint testes, quamvis unus adsit, Matrimonium erit clandestinum, & ideo irritum, atque nullum. Sic statuit Concilium Trident: Seſs: 24. de Refor: Matrim: Cap: 1. *Qui aliter quam præsente* (proprio contrahentium) *Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii, licentiâ, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum, omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos eſse decernit.*

Quæres 5to: Quis sit iste Parochus cujus præsentia exigitur ad Matrimonii celebrationem?

Resp: Est proprius Contrahentium Parochus. Is enim ex Concilio Tridentino, tribus continuis diebus intra Missarum ſolemnia publice denuntiare debet eos, inter quos Matrimonium est contrahendum, & si nullum apponatur impedimentum ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedere. Perinde autem est sive Sponsi, sive Sponsæ sit Parochus, quia Concilium Tridentinum ad celebrationem Matrimonii requirens præsentiam Parochi, non exprimit an viri, an mulieris desponsatæ Parochus eſse debeat, liberam ergo censetur relinquere electionem, sive hujus, sive alterius præsentiam advocare, & ab eo benedictionem Matrimonii recipere. Sed mos ubique invaluit, & constans ac universalis fert consvetudo, quæ vim legis habet, ut Matrimonium contrahatur coram Parocho Sponsæ, cum scitu Parochi Sponsi, si ex diversis fuerint Parochiis, quod fit, cum attestatum accipitur, de facta ibi Bannorum promulgatione. Peccaret autem Parochus Sponsæ, qui Matrimonium benediceret, non accepto à Parocho Sponsi attestato de facta Bannorum promulgatione, & peracta à Sponso Sacramentali Confeſsione.

Verum licetsi Matrimonium benedici debeat à Parocho Sponsæ, si tamen aliter fieret, & Parochus Sponsi, inscio Parocho Sponsæ Matrimonio aſsisteret, validum foret Matrimonium. Cum enim Concilium Tridentinum liberum reliquerit sive Sponsi, sive Sponsæ Parochum ad

Ma-

Matrimonii celebrationem adhibere, consvetudo, & lex, qua constitutum est, ut Parochus Sponsæ Matrimonium benedicat, non potest efficere ut nullum sit Matrimonium â Parocho Sponsi benedictum. Nemo siquidem impedimenta Matrimonium dirimentia statuere potest, nisi aut Papa, aut Concilium generale. Unde toties à Sacra Congregatione Concilii Trident: interprete resolutum fuit, valere Matrimonium â Parocho alterutrius Sponsi benedictum.

Proprius vero Sponsorum Parochus, cujus præsentia ad contrahendum Matrimonium expostulatur, est Parochus domicilii, ſcilicet Parochus loci, in quo Sponsi habitant. Non ergo requiritur Parochus originis, ſeu loci, in quo quis natus est, quia Parochus domicilii est proprius Parochus, à quo recipi poſsunt, & debent Sacramenta. Imo juxta multos Theologos ad valide contrahendum Matrimonium ſufficit præsentia Parochi etiam quasi domicilii, quare Milites in Præsidiis, Opifices, & Famuli, qui majore anni parte alicubi habitant, vel illuc habitaturi venerunt, coram Parocho illius loci poſsunt Matrimonium contrahere, quia ibi contrahunt domicilium parochiale, vi cujus poſsunt ibi Sacramenta ſuscipere, Confiteri, Sacro Viatico refici, Extrema unctione inungi, ac proinde etiam ibi Matrimonium contrahere valent. At Vagorum, qui ſcilicet nullibi certas ſedes habent, Matrimonium benedicere potest Parochus loci, in quo actu versantur, cum Matrimonium contrahere volunt. Quia nullus alius est ipsorum Parochus. Sed antequam illorum Matrimonium Parochus loci benedixerit, diligentem inquisitionem facere debet, num ſcilicet á vinculo Matrimonii liberi, & ad nubendum idonei sint, quia ut inquit Concilium Trident: Ses: 24. Cap: 7. *hoc hominum genus, ita improbi ſunt ingenii, ut prima uxore relicta, aliam & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducant.* Cautiſsime itaque cum iis Parocho loci agendum est, & quemadmodum idem Concilium disponit, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam obtineat illorum Matrimonium benedicendi.

Cum vero Episcopus ſupremus sit in tota ſua Diæcesi Parochus, potest ipse sive per ſe, sive per alium Sacerdotem à ſe deputatum, Matrimoniis aſsistere, illaque benedicere. Idem dicendum est, de Vicario Episcopi generali, nam unam, & eandem, cum Episcopo jurisdictionem habet. Unde si Episcopus mandet alicui Sacerdoti ut aſsistat Matrimonio, reputans hunc eſse verum Parochum alterutrius ex contrahentibus Matrimonium, & si

postea

postea reperiatur vere non eſse illorum Parochum, adhuc tamen mandatum Epiſcopi valet, & illud ſtabit Matrimonium. Et ita ſemel atque iterum deciſum à Sacra Congregatione refert Bened: 14. Inſtit: Eccleſ: 88. Non eſt autem neceſse, ut in propria Parochia Matrimonium contrahatur, dummodo coram proprio Parocho, licetsi in aliena Parochia celebretur. Poteſt ergo Parochus etiam in aliena Parochia ſuorum Parochianorum Matrimonium benedicere, quia benedictio Matrimonii eſt actus jurisdictionis non contentioſæ, qui in omni loco exerceri poteſt. Poſtulat tamen Ordo, ut Parochus, in aliena Parochia, etiam ſuorum Parochianorum Matrimonium non benedicat, niſi cum ſcitu, & licentia Parochi illius loci, in quo Matrimonium eſt benedicendum.

Quæres 6to: Quæ requiruntur, ut domicilium, aut quaſi domicilium ad contrahendum Matrimonium ſufficiens, habeatur?

Resp: Domicilium eſt locus in quo quis ſedem, laremque, ac ſummam rerum ſuarum poſuit. Ita habetur Lege 7. Cod: de Incolis. Itaque ad domicilium habendum duo concurrere debent, ſcilicet habitatio in loco realis, atque actualis, & voluntas ibidem perpetuo manendi. Igitur ſi quis in certo loco perpetuo manere velit, ibidem acquirit domicilium. quamvis modo primum ad illum locum pervenerit, vel etiamſi nonniſi uno die in eo habitaverit, ibi ergo Matrimonium, in præſentia Parochi, contrahere poteſt. Ad habendum autem quaſi domicilium ſufficit actualis in loco habitatio, cum animo per notabile tempus inidem permanendi, hoc eſt per majorem, aut fere æqualem anni partem, & poſt vel ad ſua revertendi, vel alibi migrandi. Unde in Univerſitatibus ſtudioſi, in Oppidis aut Urbibus oppificiorum tirones, non domicilium, ſed quaſi domicilium acquirunt. Igitur qui fixam in Civitate habet manſionem, & alio pergit ad breve tempus negotiorum exg. cauſa, cum animo poſtea redeundi, neque quaſi domicilium contrahit, non poteſt ergo Matrimonium coram Parocho illius loci contrahere. Qui vero venerat ad Villam, Oppidum, animo ibidem per majorem, aut pene æqualem anni partem inhabitandi, poteſt Matrimonium contrahere coram Parocho illius Villæ, aut Oppidi etiamſi per breve tempus primo cæpit habitare, quia per ſolam inhabitationem conducta domo cum animo in ea per tempus notabile manendi, acquiritur quaſi domicilium. Si quis autem in duabus ſucceſsive domibus,

quas

quas in diversis habet locis, habitet, quasi æqualiter plus minusve, exg. unam partem anni in Urbe, alteram in villa transigat, is duo habet domicilia, ac proinde coram alterutro Matrimonium contrahere poterit, quia habitatio constituens domicilium, vere fufficit ad constituendum parochianum. Ast nunquam à Parocho loci, Matrimonio illi jungi debent, qui ipsi ignoti funt, licetsi in ejus Parochia domicilium, aut quasi domicilium fixerint, nisi prius facta sit promulgatio Bannorum in Parochia ex qua exierunt, & obtenta hac de re attestatione à priori illorum Parocho, & id tamquam tutius omnino fervandum est respectu eorum, qui nonnisi quasi domicilium constituerunt, ut sine fcitu, & consensu prioris illorum Parochi, ubi habitabant, Matrimonio non jungantur.

Quæres 7mo: Utrum valeat Matrimonium coram proprio Parocho celebratum, si ille non fuerit Sacerdos, fed simplex Clericus?

Resp: In praxi consultius est, ut Parochus qui nondum est Sacerdos, officium benedicendi Matrimonium Sacerdoti alicui committat. Quia, si Sacerdos est Minister Sacramenti Matrimonii, forma vero verba, quibus contractum inter Sponsos Matrimonium ratificat, quod probabilifsimum est, Parochus qui non est Sacerdos, nihil efficiet, Matrimonium benedicendo. Id vero indubitatum est, Parochum imo & Episcopum non pofse Clerico concedere facultatem, ut loco ipsius Parochi Matrimonium benedicat, fed si ipse illud benedicere nequeat, omnino Sacerdotem fubstituere debet, quia Concilium Tridentinum exprefse requirit, ut Matrimonium celebretur coram proprio Parocho, *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, feu Ordinarii licentia.* Valet vero Matrimonium coram proprio Parocho celebratum, etiamsi is fuerit, fuspensus, irregularis, aut etiam excommunicatus, dummodo neque Beneficio fuo privatus sit, neque sit denuntiatus, quia si Beneficio sit actu privatus, desinit efse Parochus, si vero censura quam incurrerat, excommunicationis, fuspensionis, denuntiata, ac proclamata sit, hæc quia Beneficio, officio, ac jurisdictione privat, ad minimum dubium erit Matrimonium sive fpectetur ut Sacramentum, sive consideretur ut Contractus. Sed etiamsi Parochus foret intrusus, habeat tamen titulum Beneficii faltem coloratum, & ex communi errore reputetur verus Parochus, valebit coram ipso contractum Matrimonium, quia error communis cum titulo colorato, jus tribuit, & Ecclesia in his casibus fufficien-

ficientem, ac necessariam ad omnia Parochi munia obeunda confert jurisdictionem.

Quæres 7mo: Quot, & quales requiruntur testes ad valide celebrandum Matrimonium?

Resp: Ex præscripto Concilii Tridentini ad celebrationem Matrimonii requiruntur tres, vel ad minimum duo testes, quare si unus nonnisi adsit testis, Matrimonium nullum erit. Omnes autem ratione utentes pro testibus in celebratione Matrimonii adhiberi possunt. Nam Concilium Tridentinum nullos hic excipit, omnes ergo qui de celebrato Matrimonio fidem facere, & testari valent, in testes assumi possunt.

Quæres 8vo: Qualis testium & Parochi requiritur præsentia?

Resp: Ad valide, & licite celebrandum Matrimonium requiritur Parochi & Testium præsentia moralis, atque humana, ut scilicet physice præsentes intelligant, & advertant, quid agatur, & scientes atque volentes tali actui assistant. Unde si Parochus invitus, ac per vim adductus fuerit, & coram eo omnino repugnante Matrimonium contrahatur, nullum, ac irritum erit. Concilium siquidem Tridentinum ad celebrationem Matrimonii præsentiam Parochi exigit, ut publici Ecclesiæ Ministri, unde ei præcipit, ut explorato viri, & mulieris consensu, dicat, *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quomodo autem Parochus plane invitus, & per vim adductus publici Ecclesiæ Ministri personam geret? quomodo sibi injuncta, ac demandata perficiet? Necesse est ergo ut Parochus cum libertate, & rationis advertentia Matrimonio assistat. Pariter si ebrius, aut omnino nesciens quid agatur, Matrimonii celebrationi præsens sit, pro teste accipi, ac reputari nequit. Testes enim ad celebrationem Matrimonii exiguntur, ut de eo plenam fidem facere possint, ebrius autem aut omnino nesciens, nec advertens quid agatur, licetsi physice præsens sit, fidem de celebrato Matrimonio facere non potest, pro teste ergo haberi nequit.

Quæres 9no: An non aliquando valeat Matrimonium clandestine contractum?

Resp: 1mo: Ubicunque non fuit promulgatum, & usu receptum Concilium Tridentinum, ibi valent Matrimonia clandestine contracta, quia Concilium Tridentinum statuens Matrimonia clandestina nulla, ac irrita esse, voluit ut hoc suum Decretum robur haberet nonnisi post tri-

ginta

ginta dies ab illius publicatione, quare in illis Regionibus, in quibus nunquam prædictum Concilii Tridentini Decretum publicatum; neque usu receptum fuit, Matrimonia clandestine contracta valida ſunt. Et hoc verum est non ſolum de Incolis illarum Regionum, ibidem progenitis, ſed etiam de iis qui è locis ubi promulgatum est Concilium veniunt, & illas Regiones inhabitant, ibique domicilium, aut quasi domicilium sibi constituunt, atque istiusmodi Advenis ut in prædictis locis Matrimonium clandestine contrahere poſsint, non plus habitationis neceſsum est, quam opus sit, ut quis ibidem domicilium, aut quasi domicilium obtineat. Si tamen quis eo unice animo perrexerit ad locum ubi Concilium Tridentinum promulgatum non fuit, ut ibi contracto quasi domicilio Matrimonium clandestine contrahat, & ad ſua revertatur, istiusmodi Matrimonium, licetsi jam ipse contrahens quasi domicilium acquisierit, ad minus valde dubium, & ſuspectum erit, quia etsi ipsi ſuffragetur jus quasi domicilii ibidem acquisiti, ſed dolus, & fraus nemini patrocinari potest, ut his ſanctiſsimæ Ecclesiæ leges eludantur. Caute itaque curandum est, ut istiusmodi Matrimonium omni meliori modo, quo fieri poterit, renovetur, & consolidetur, quia insignes Theologi illud plane irritum eſse, decernere non audent. A contrario vero qui è locis ubi non est promulgatum Concilium Tridentinum veniunt ad loca, ubi illud promulgatum fuit, debent Matrimonium contrahere juxta formam à Concilio Tridentino præscriptam, alias nullum erit, quia ipsi etiam peregrini, locorum legibus ſubjacent, adeoque ubicunque contrahere Matrimonium volunt, juxta locorum leges illud contrahere debent.

2do: in Regionibus infidelium vg. Turcarum, Tartarorum, aut etiam Hæreticorum, quamvis ibi aliquando Concilium Tridentinum promulgatum fuiſset, cum nullus ibi reperitur Parochus, valide sine illo Matrimonium contrahi potest, quia in hoc casu Decretum Concilii Tridentini non tenet, neque enim ipsum voluit ut perpetuam continentiam ſervent, qui in tali loco constituti ſunt, in quo ad celebrandum Matrimonium Parochum habere nequeunt. Attamen curare debent, ut si aliquem Sacerdotem invenire poſsint coram eo, si invenire ipsum nequeant, ſaltem coram duobus testibus Matrimonium contrahan, ut sic pro poſse modum ac formam à Concilio Tridentino ad celebranda Matrimonia præscriptas, ſervent.

Quæ-

Quæres 20mo: An etiam Hæretici in contrahendis Matrimoniis formam, & modum à Concilio Tridentino præscriptum servare teneantur?

Resp: Certum est, Hæreticos legibus Ecclesiasticis ligari, quia Ecclesiæ potestati per Baptismum subjecti sunt. Unde ubi Concilium Tridentinum promulgatum, & usu receptum est, Hæretici qui ibidem Catholicis permixti vivunt, debent coram Parocho illius loci, & testibus Matrimonia contrahere. Quodsi habeant Paræcias à Catholicis distinctas, & suas Religionis Ministros, publicumque illius exercitium, Matrimonia eorum coram suæ Religionis Ministris contracta, ex permissione, & indulgentia Ecclesiæ, videntur esse valida, quia illorum Matrimonia tollerat Ecclesia, & dum ad fidem catholicam convertuntur, non permittit ut à se invicem separentur. Censetur ergo Ecclesia illorum Matrimonia approbare, alias & gravissima sequerentur incommoda, & nulla ex Ecclesiæ resistentia sequeretur utilitas. Quæ namque sperari potest utilitas ex lege, cujus observantia moraliter est impossibilis? Quodsi ex iis qui Matrimonium contrahere volunt, una pars sit Catholica, altera Hæritica, curandum omnino est, ut illud Matrimonium celebretur coram proprio catholicæ partis Parocho, aut saltem coram ipso deinceps renovetur, ut sic certo validitati ipsius consulatur. Tale siquidem Matrimonium maxime dubium, quia Ecclesia benignior esse potest, erga Matrimonia Hæreticorum inter se, quam erga Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis.

Quæres 21mo: Quid sit impotentiæ impedimentum?

Resp: Impotentia, quæ impedimentum ponit ne validum sit Matrimonium, est incapacitas consummandi Matrimonium, seu inhabilitas ad habendam completam conjugalem copulam, ad quam necessaria est per virile membrum vasis fæminei penetratio, & intra ipsum feminis effusio. Unde valet Matrimonium inter senes, steriles, ac inter eos, qui unum tantum habent testiculum, & altero carent, quia hi & vas fæmineum virili membro penetrare, & humanum semen intra illud effundere possunt. Et steriles, atque Senes possunt perficere copulam per se generationi aptam, quamvis hæc per accidens, ex aliquo accidentali defectu non sequatur. Non valet autem Matrimonium inter eos qui licet membro virili valeant, utroque tamen carent testiculo, vel etiam utrumque attritum habent.

bent. Quare Eunuchorum Matrimonia invalida eſse declaravit Sixtus 5. Papa.

Est autem impotentia 1mo: alia *antecedens*, quæ ſcilicet Matrimonium præcedit, alia *ſubsequens*, quæ Matrimonio jam contracto ſupervenit. 2do: alia *perpetua*, quæ nullo remedio naturali, ac licito tolli potest, alia *temporalis*, quæ per remedia curari valet. 3tio: alia est perpetua, simul & *absoluta*, quæ viri coitum cum quacunque fæmina impoſsibilem facit, alia *respectiva*, quæ carnalem copulam impedit cum una, non vero cum aliis. 4to: alia est, quæ oritur ex ſolo naturæ defectu, alia quæ oritur ex maleficio.

Est ergo perpetua impotentia, quæ vel sine miraculo, vel sine peccato, aut vitæ periculo tolli nequit. Quæ vero sine peccato & absque vitæ periculo tolli potest, mediis ordinariis, sive naturalibus. sive ſupernaturalibus, veluti precibus, contra maleficia exorcismis, temporalis est.

Oritur autem impotentia vel ex maleficio, vel ex natura, & quidem in fæmina, ex arctitudine vasis muliebris, in viro autem vel ex nimia naturæ frigiditate, ex testiculorum carentia, vel illorum attritione, aut etiam ex complexionis debilitate, unde fit, ut non poſsit à viro ſemen prolificum intra vas mulieris effundi.

Quæres 12do: Quæ impotentia dirimit Matrimonium?

Resp: 1mo: Per impotentiam ſubsequentem non dirimitur Matrimonium, quamvis hæc præcedat illius consummationem. Matrimonium ſemel valide contractum, ſemper validum est, neque per ſuperveniens impedimentum diſsolvitur. Attamen si contracto valide Matrimonio, aliquod ſuboriatur obstaculum, quod conjugalem coitum certo impediat, tunc nequidem licitum est Sponsis illum attentare. Idem est si Maritus utroque testiculo orbatus sit, licetsi copulam perficere poſsit, quia ſemen virile effundere intra vas fæmineum nequit. In dubio an impotentia Matrimonium præceſserit, non præsumitur præceſsiſse, si pars altera nonnisi longo post contractum Matrimonium tempore reclamaverit, nisi validis rationibus contrarium probetur. Impotentia tamen naturalis, facile præsumitur Matrimonium anteceſsiſse.

2do: Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium. Et ita definivit Innocentius 3. Papa Cap: 6. de frigidis. Et certe quamvis ad Matrimonii validitatem non requiratur actualis illius usus, attamen neceſsaria est potentia ad usum, hanc vero habet, qui licet hic & nunc, ob

 mor-

morbum exg. conjugaliter copulari nequeat, id deinceps amoto obstaculo poterit. Ergo illius Matrimonium valet. Qui tamen cum impotentia aliquandiu duratura Matrimonium contrahit, nec de ea alterum Sponsum præmonet, ſæpe graviter peccat, ob gravem injuriam quam comparti infert, & quia eam gravi incontinentiæ periculo exponit.

3tio: Impotentia antecedens, & perpetua Matrimonium nullum efficit, illudque irritat. Sic in jure constitutum est, titulo *de Frigidis.* Et vero cum procreatio protalis sit principalis Matrimonii finis, quamvis actus carnalis copulæ non sit de eſsentia Matrimonii, attamen potentia, & habilitas ad ipsum, est de eſsentia illius. Ergo qui ad actum carnalis copulæ impotens est, ac propterea ad procreandam prolem inhabilis, Matrimonium valide contrahere nequit. Et id verum est, quamvis impotentia sit unius tantum Conjugum, ac respectiva ſolum, hoc est respectu hujus tantummodo mulieris, in utroque siquidem casu, Conjuges illi cum inhabiles sint ad procreandum liberos, inhabiles etiam ſunt ad contrahendum inter ſe Matrimonium.

Qui ergo cum impotentia Matrimonium contraxerunt, debent à ſe invicem ſeparari. Sed istiusmodi ſeparatio cum fieri debeat quoad thorum, & cohabitationem judicis Ecclesiastistici ſententia, non autem ſola Conjugum voluntate fieri debet, alias facile fieri poſset, ut alter Conjugum, aut uterque eorum, mutuæ cohabitationis pertæsi, fictitiæ impotentiæ labem sibi imponant. Viro autem ac muliere ex impotentiæ causa per ſententiam Judicis à ſe invicem ſeparatis, potest pars Copulæ conjugalis idonea, aliud contrahere Matrimonium, non autem illa, quæ est impotens, nisi impotentia illius sit ſolum respectiva, tunc enim potest & hæc Matrimonium contrahere cum alia persona, ad quam potens eſse præsumitur.

Quæres 23tio: Quid agendum est quando dubium est, utrum impotentia, quæ Matrimonium præceſserat, perpetua sit?

Resp: Quando certo constat, impotentiam, quæ Matrimonium præceſserat, eſse perpetuam, atque veram, sine ulla ulteriori probatione, neque Judicis expectata ſententia, quoad thorum à ſe invicem ſeparari debent, nisi caste ſecum, tamquam frater, & ſoror habitare velint, & nullum adsit incontinentiæ inter ipsos periculum, quod abeſse difficillime potest præsumi, nisi ii Conjuges eximiam

miam pietatem colant, abstinere siquidem illi debent non ſolum ab opere conjugali, & illius conatu, ſed etiam ab omnibus impuris tactibus, osculis, atque ab iis omnibus quæ extra verum conjugium prohibita ſunt.

Si vero dubium est, an istiusmodi impotentia perpetua sit, permittit Ecclesia ut Conjuges per triennium experiantur, an poſsint Matrimonium consummare, & per hoc tempus licitum est iis, quidquid veris Conjugibus permiſsum est; quodsi pollutio hinc ſequatur, prout quandoque contingere potest, id per accidens, & præter eorum voluntatem evenire reputatur. Elapso vero triennio, si impotentia perduret, & Matrimonium inveniatur non eſse consummatum, per ſententiam Judicis Ecclesiastici diſsolvitur, & Conjuges quoad thorum & cohabitationem à ſe invicem ſeparantur. Quodsi vir qui judicatus fuerat impotens, in alio Matrimonio quod contraxit, inveniatur potens, prius Matrimonium reintegratur, etsi illius conjux alteri nupserit, quæ ad priorem Maritum ſuum reverti debet, quia cum illa impotentia temporalis ſolum fuerit, illud Matrimonium validum fuit, nisi Viri illius impotentia respectu illius mulieris perpetua fuerit, non vero respectu alterius, quia sicut impotentia perpetua absoluta, Matrimonium omne dirimit, & vir, qui ea laborat, nullam Mulierem valide ducere potest, ita etiam impotentia perpetua respectiva, tale matrimonium, cum hac muliere contractum dirimit, cum alia vero, ad quam vir ille potens est, non dirimet.

Porro triennium probationis, quod Ecclesia in dubio impotentiæ Conjugibus concedit, communior ſententia Theologorum censet inchoandum eſse à die contracti Matrimonii, alii tamen arbitrantur illud inchoandum eſse, à lata Judicis Ecclesiastici ſententia. Si ergo post octodecim menses contracti matrimonii causa in judicio de valore matrimonii ex ratione impotentiæ mota fuerit, juxta priorem ſententiam, nonnisi alii octodecim menses ad experiendum conjugibus concedi debent. Interim debent Conjuges omnia adhibere media poſsibilia, & licita, ad tollendam impotentiam idonea.

Quæres 24to: Si impotentia oriatur ex maleficio, quid tunc agendum est?

Resp: Sæpe impotentia quæ ex maleficio orta eſse putatur, oritur ex causis naturalibus, ſcilicet ex verecundia, nimio pudore, aut ex nimio sive amore, sive odio Sponsæ, quam vir aut ipse invitus, aut illam invitam du-

 xerat.

xerat. Sed etiamsi reipsa ex maleficio impotentia orta fuerit, Conjugibus in hoc miserrimo degentibus statu triennium conceditur ad experiendum, quo tempore debent illi corde contrito, & humiliato, integram prudenti Sacerdoti peccatorum suorum facere Confessionem, profusis lachrymis, & largis eleemosynis, ac orationibus, jejuniisque, Dei opem exorare, atque per exorcismos ceteraque medicinæ spiritualis remedia, vim potestatemque Dæmonis à se repellere. Illicitum vero est maleficium, alio maleficio, sive quacunque alia superstitiosa actione tollere. Quodsi tamen non attenta peccati gravitate maleficium, maleficio, aut alio quovis facinore sublatum fuerit, & exinde impotentia cessaverit, non restaurabitur matrimonium, quia illud propter impotentiam perpetuam nullum erat, impotentia enim quæ sine miraculo, aut sine peccato tolli nequit, perpetua esse censetur. Ita S. Antoninus, & omnes cum eo Theologi.

Hic autem tria notanda sunt. 1mo: impotentiam ex maleficio provenientem, communiter respectivam esse, unde qui cum secunda uxore facile Matrimonium consummavit, circa præcedens matrimonium, quod propter respectivam impotentiam invalidum erat, sollicitus esse non debet. 2do: in dubio an impotentia ex maleficio orta, perpetua sit, an temporalis, post triennalem probationem præsumi debet perpetua, ne pars quæ ad conjugalem coitum potens est, in perpetuum expectare cogatur. 3tio: impedimentum, quod ex impotentia perpetua oritur, ab Ecclesia dispensatione, tolli non posse, quia qui impotentia perpetua laborant, ex natura ipsa ad contrahendum Matrimonium inhabiles sunt.

Quæres 15to: Quid de impuberum, & hermaphroditorum Matrimonio sentiendum est?

Resp: Impuberum matrimonia jure Ecclesiastico nulla sunt, ut patet ex toto Cap: 14. de desponsat: impuberum. Id autem merito constitutum est, tum quia impuberes ad consummandum matrimonium necdum potentes sunt, tum quia carent ea maturitate judicii, quæ in re tanti momenti omnino necessaria est. Igitur ad valide contrahendum matrimonium debent esse completi anni pubertatis, qui in fæminis sunt quatuordecim anni, in masculis octodecim. Aliquando tamen malitia supplet ætatem, cum scilicet quis ante adeptos pubertatis annos habilis est ad generandum. Unde valet matrimonium inter eos, qui pubertati sunt proximi, & tum sufficiens ha-

beut

bent rationis judicium, quo statum matrimonii discernere pofsunt, tum eos ad generandum habiles ac potentes efse compertum est. Et id constat ex jure Cap: 9. de desponsat: impuberum.

Hermaphroditi, hoc est illi, qui utrumque sexum virilem scilicet & fæmineum habent, valide Matrimonium contrahere pofsunt, quia & ad perficiendam conjugalem copulam, & ad generandum habiles & capaces sunt. Sed si Matrimonium contrahere voluerint, debent illud contrahere secundum sexum qui in ipsis prævalet, quia secundum hunc sexum sunt ad consummandum matrimonium aptiores. Si uterque sexus in illis fuerit æqualis, alterutrum eligere debent, & secundum illum matrimonium contrahere pofsunt. Sed facta semel electione unius sexus, aliud matrimonium secundum alium sexum contrahere non debent, si tamen id fecerint, validum erit matrimonium.

Quæres 16to: Unde oritur impedimentum Raptus?

Resp: Impedimentum *Raptus* oritur ex raptu virginis, aut cujusvis alterius fæminæ, quæ è loco tuto abducitur, sive ad explendam libidinem, sive ad contrahendum cum ea matrimonium, de eo sic statuit Concilium Trident: Sefs: 24. Cap: 4. *Decernit Sancta Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum pofse consistere Matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, & perpetuo infames.* Itaque *raptus*, ex quo istiusmodi impedimentum exoritur, est *Crimen quo fæmina è loco tuto extrahitur, & transfertur in locum, ubi raptoris potestati fubest, idque vel libidinis explendæ, vel Matrimonii contrahendi causa.* Perinde autem est, sive virgo, sive corrupta fuerit, sive vidua, sive conjugata per vim abducatur. Quin etiamsi propria desponsata invita rapiatur, censent nonnulli Theologi, impedimentum raptus oriri, etiamsi rapta nullam habeat à Sponsalibus resiliendi causam. Et talis siquidem raptus multum in se continet injuriæ, cum puella ad executionem Sponsalium cogitur. Sive autem fæmina extrahatur è loco tuto physice per injectionem manuum, sive moraliter per graves minas, aut gravem metum, sive per ipsum raptorem, sive per personas ab eo subordinatas,

tas, semper erit crimen raptus, & exinde emergens impedimentum. Locus vero tutus ex quo mulier extrahitur, censetur eſse Parentum, aut Tutorum domus, aut etiam monasterium in quo ipsa secure degit. Denique ex raptu orietur impedimentum, sive mulier transferatur in locum ipsius raptoris, sive amicorum illius, sive aliorum apud quos ipsa rapta manens, vim pati, & in potestate raptoris existere merito censetur. Est quoque verus raptus Matrimonium annulans, cum mulier è loco tuto abducitur vel libidinis explendæ, vel matrimonii contrahendi causa. Quodsi mulier rapta sit, intuitu solius libidinis explendæ, an tunc etiam sit verus raptus matrimonium dirimens, disputant Theologi. Opinio affirmans tutior est, & æque probabilis ac opposita, quia raptus sive fiat libidinis, aut matrimonii causa, perinde officit matrimonii libertati, ac proinde impedimentum inducit. Pariter si puella minorennis, de Parentum, aut Tutorum ſuorum consensu, non vero de ſuo, ac proinde invita abducatur, & verus erit raptus, & puellæ illata vis, ac proinde ex duplici capite nullum foret matrimonium, si cum illa à raptore contrahatur.

Porro duplex est raptus, *violentiæ*: quando mulier ipsa invita, & reluctans abducitur è loco tuto, & *seductionis* cum mulier blanditiis, persvasionibus, aut quocunque alio motivo seducta, invitis iis, à quibus pendet, raptorem volens sequitur.

Quæres 17mo: Qualis raptus inducit impedimentum Matrimonium dirimens?

Resp: Certum est raptum violentiæ matrimonium dirimere, eo namque libertas, sine qua validum eſse nequit matrimonium, aufertur. Et hoc verum est, sive mulier à Viro, sive vir ætate minorennis à muliere præpotente per vim abducatur, quia Concilium Tridentinum hoc impedimentum constituit, ut matrimonii libertati consuleret. Libertas autem hæc perinde aufertur, sive puella, sive juvenis per vim abducatur. Ergo in utroque casu, raptus matrimonium dirimit.

Sed & tutior est opinio, quæ docet raptum etiam *seductionis*, sive *subornationis* matrimonium dirimere, estque ad minus æque probabilis ac illi opposita, ac proinde in praxi tenenda. Quia Concilium Tridentinum ut magis libertati, matrimoniorum consuleret, in raptu novum constituit impedimentum. Porro violentia semper & ante Concilium Tridentinum matrimonium dirimebat, quo-

quoniam ergo raptus est novum impedimentum à Concilio Tridentino specialiter constitutum, non solum raptus violentiæ, ſed & seductionis matrimonium dirimere censendus est.

Et certe ſeductio, ſubornatio, libertati, qualis vel maxime ad matrimonium exigitur, sæpius longe plus nocet, quam vis aperte illata, cum enim ipsa cor vim pacientis ſemper abalienet, atque avertat ab eo, qui vim infert, multo facilius violentiæ resistitur, quam insidiosis persvasionibus, blanditiis, iisque odiosis artibus, quibus sensim frangitur virtus junioris personæ, plusque illis ligatur, quam si metu devincta eſset, neque satis ſui compos relinquitur, ut serio perpendat gravitatem matrimonialis contractus, ad quem ineundum dolose pertrahitur. Si itaque raptus violentiæ dirimit matrimonium, quia ipsius libertatem perimit, pariter & raptus seductionis matrimonium irritat, quia illius etiam libertati obstat.

Ceterum raptus seductionis locum non habet, nisi in iis qui minorennes ſunt, ſeu necdum annos viginti quinque aſsecuti, non vero in illis qui jam majores ſunt, neque amplius Patriæ potestati ſubijciuntur, ſed ſui juris ſunt. In illis enim ſeductio, & ſubornatio non ſupponitur quidquam virium habere. Præterea ut seductionis raptus matrimonium dirimat, neceſse est, ut puella ſeducta, è loco tuto reipsa extrahatur. Quodsi etiam mulier blanditiis, ac persvasionibus illecta, corruptis sit moribus, non censebitur seducta, ſed á sua libidine ad matrimonium pertracta.

Quæres 18vo: Impedimentum raptus estne dispensabile?

Resp: Impedimentum raptus dispensatione non tollitur, non est tamen perpetuum, ſed juxta Concilii Tridentini dispositionem, cum mulier rapta, à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, matrimonium inter eos contrahi potest, quamdiu vero ipsa in raptoris manet potestate, etiamsi consentiat ipsum ſuum habere maritum, validum matrimonium inter eos eſse non potest. Sed & muliere in loco tuto constituta prius raptor ab excommunicatione absolvendus est, quæ reservata non est, antequam cum ipsa volente, & libere consentiente matrimonium contrahat.

ARTI-

ARTICULUS 4tus

De impedimentis Matrimonium impedientibus.

Quæres 1mo: Quid, & quæ sunt impedimenta Matrimonium impedientia?

Resp: Impedimenta Matrimonium tantum impedientia sunt illa, quæ id nonnisi efficiunt, ut matrimonium illicite, attamen valide contrahatur. Quatuor istiusmodi numerantur impedimenta, quæ sequenti versu exprimuntur.

Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum.

Quæres 2do: Quid per Ecclesiæ vetitum intelligitur?

Resp: Per *Ecclesiæ vetitum* intelligitur 1mo: prohibitio ab Episcopo, aut à proprio Parocho facta, ne matrimonium contrahatur, ac benedicatur propter justas occurrentes causas, maxime propter subortum dubium, num aliquod interveniat impedimentum inter personas matrimonium contrahere volentes, donec res discussa, examinata, ac recognita fuerit, & id constat Cap: 2. de matrim: contract: & Cap: ult: de Clandest: dispensat. Quare si Parochus ab Episcopo, aut ab ipsius Officiali inhibitionem receperit, ne matrimonium benedicat, ab eo benedicendo abstinere debet, si tamen benedixerit, validum erit matrimonium, istiusmodi siquidem inhibitio impedit solum & prohibet ne matrimonium benedicatur, sed illud dirimere nequit, quia propter istiusmodi ab Episcopo factam inhibitionem, Parochus non desinit vere esse Parochus, valide ergo fungitur suo officio. Pariter si Episcopus tantum vetet Vicario Parochi ne assistat matrimonio, & ille contra mandatum Episcopi assistat validum erit matrimonium. Ita ex decisione Sacræ Congregationis, Bened: 14. de Synodo Diæc: libro 13. Cap: 23. 2do: Per *Ecclesiæ vetitum* designatur prohibitio, qua à Concilio Tridentino cautum est, ne matrimonium benedicatur nisi præmissis tribus denuntiationibus.

Quæres 3tio: Quæ feriæ Matrimonii celebrationem impediunt?

Resp: Feriæ, quibus ab Ecclesia prohibitum est Nuptias celebrare, illæ sunt, quæ decurrunt à Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam Domini, & à feria quarta Cinerum, usque ad octavam Pachatis inclusive. Ita statuit Concilium Trident: Sess: 24. Cap: 10. Et vero mens Ecclesiæ est, ut temporibus Adventus, & quadragesimæ

simæ fideles, à voluptatibus abstracti orationibus, ac pænitentiæ intenti sint, Nuptiarum autem novitas, ad voluptatem animos excitat. Merito itaque prædictis temporibus prohibentur.

Quæres 4to: Qua ratione Sponsalia Matrimonium impediunt?

Resp: Ex ea ratione Sponsalia Matrimonium impediunt, quia post factam uni futuri matrimonii promifsionem, hac relicta non licet cum altera matrimonium contrahere, data siquidem fides, maxime in re magni momenti, servari debet. Si tamen legitimæ adsint causæ ab initis Sponsalibus resiliendi, tunc Sponsalia non impediunt matrimonium cum altera contrahendum, dummodo illa non sit prioris Sponsæ consanguinea.

Quæres 5to: Quale votum impedit Matrimonium contrahendum?

Resp: Votum simplex sive castitatem in sæculo servandi, aut non nubendi, sive Religionem aliquam ingrediendi, aut Ordinem sacrum fuscipiendi, quamvis Matrimonium, si contrahatur non dirimat, illud tamen contrahendum impedit, unde qui cum tali voto Matrimonium contrahit, graviter peccat, quia promifsio Deo facta, adimpleri debet. Qui cum simplici voto castitatis fervandæ, aut Religionem ingrediendi Matrimonium contraxit, non potest debitum conjugale exigere, priusquam dispensationem à fuo voto obtinuerit, reddere vero illud exigenti tenetur, quia votum alterius juri præjudicare nequit, peccat tamen etiam reddendo prima vice, quia ante consummationem Matrimonii liberum ei est Religionem aliquam ingredi, atque in ea promifsam Deo castitatem fervare, neque alter Conjugum eo tempore stricto jure debitum conjugale ab eo exigere valet.

CAPUT QUARTUM

De impedimentorum Matrimonii dispensationibus, illiusque renovatione.

Scitu maxime necefsarium est, à quo, & quomodo petenda sit dispensatio, cum aliquod occurrit Matrimonii impe-

impedimentum sive dirimens, sive impediens tantum? Sed & multa advertentia, atque cautela opus est, cum agitur de renovando, & convalidando Matrimonio, quod propter impedimentum dirimens, nulliter contractum fuit.

ARTICULUS 1mus

De impedimentorum Matrimonii dispensationibus.

Quæres 1mo: Quis potest dispensare in impedimentis Matrimonium impedientibus?

Resp: Si impedimentum Matrimonium impediens sit ex Ecclesiæ vetito, aut ex tempore feriarum, in quibus prohibitum est Nuptias celebrare, potest Episcopus dispensare. Et id constat tum ex communi praxi, tum quia nullibi in jure id prohibitum est Episcopis. Si impedimentum sit ex Sponsalibus legitime contractis, nemo in eo dispensare potest, neque Papa, neque Episcopus, quia hic occurrit obligatio justitiæ, à qua nemo neminem proprio arbitratu eximere potest. Sponsalia enim legitime contracta, cum contineant promiſsionem alteri factam, & ab eo acceptatam, sine illius præjudicio, & injuria violari, & rescindi nequeunt Porro neque Episcopus, neque Papa ſua dispensatione permittere valet, ut præjudicium, ac injuria tertio inferatur. Ergo impedimentum ex Sponsalibus proveniens, dispensatione tolli nequit, ſed aufertur cum vel partes quæ Sponsalia contraxerunt libere à se invicem resiliunt, vel una ex iis justas habet ab altera resiliendi causas: Hic tamen de iis Sponsalibus sermo est, ex quibus non oritur impedimentum publicæ honestatis, quod etiam Matrimonium dirimit. Si enim ex Sponsalibus exurgat impedimentum publicæ honestatis, & adsint justæ causæ ab iis resiliendi Romanus Pontifex in eo dispensare potest.

Quodsi tandem impedimentum Matrimonium impediens, sit vel ex voto castitatis perpetuæ, vel ex voto ingrediendi Religionem, quoniam in istiusmodi votis Episcopi dispensare nequeunt, ſed solus Papa dispensat, ideo hoc impedimentum non ab Episcopo, ſed à Papa tantum potest tolli, & relaxari. Attamen potest Episcopus dispensare in voto castitatis Papæ etiam reservato, & exinde proveniens tollere impedimentum, quando quædam circumstantia celeriorem exigit dispensationem, quam quæ

à Pa-

â Papa obtineri poſsit, ut si timeatur ne juvenis, qui ſub ſpe futuri Matrimonii abusus est puella voto perpetuæ castitatis obstricta, & quam nunc in uxorem ducere vult, postea ab ea avertatur, nisi Matrimonium illico, & sine mora contrahatur. Idem est si ex una parte grave incontinentiæ, vel scandali immineat periculum, quod accelerationem dispensationis expostulet, ex altera vero parte paupertas personæ, & distantia locorum, difficultatem obtinendæ Romanæ dispensationis, faciat. Rariſsime tamen occurrunt casus tam urgentes, ut Romam usque pro obtinenda dispensatione recurri nequeat.

Quæres 2do: In impedimentis Matrimonium dirimentibus, quis dispensare potest?

Resp: 1mo: In omnibus impedimentis Matrimonium dirimentibus, quæ jure solum Ecclesiastico constituta ſunt, Romanus Pontifex dispensare potest, quia cum sit Caput Ecclesiæ, in universa Ecclesia jurisdictionem habet, ac proinde in omnibus, quæ legibus Ecclesiasticis constituta ſunt, dispensare valet. In illis vero impedimentis, quæ jure naturali, aut divino constituta ſunt, Papa dispensare nequit, quia in iis, quæ ſunt juris naturalis, ac divini, nullam ille potestatem habet. Quare potest Papa dispensare in impedimentis cognationis Spiritualis, legalis, tum etiam carnalis, excepta linea recta, & primo lineæ transversæ gradu, in quo sive poſsit Ecclesia dispensare, sive non poſsit, Theologi controvertunt, certum tamen est, quod in prædicto gradu nec unquam dispensavit, nec aliquando dispensabit. Dispensare etiam potest Papa in impedimentis Affinitatis, Criminis, Disparitatis cultus, publicæ honestatis, quia hæc impedimenta jure tantummodo Ecclesiastico constituta ſunt. Non potest autem dispensare in impedimentis Vis, Erroris, Ligaminis, Amentiæ, atquæ Impotentiæ, quia hæc jure naturali, ac divino Matrimonium dirimunt,

2do: Episcopi, in impedimentis Matrimonium dirimentibus etiam solo jure Ecclesiastico constitutis, ordinarie dispensare nequeunt, quia Episcopi in iis quæ ab universa Ecclesia constituta ſunt, potestatem non habent, nisi ipsis ab Ecclesia conceſsa fuerit, inferior siquidem in lege superioris nihil potest, nisi ei ab illo permiſsum fuerit. Cum itaque impedimenta quam plurima Matrimonium dirimentia ab universa Ecclesia constituta, & acceptata, atque communi observantia firmata sint, & nullibi ab

Eccle-

Ecclesia concefsa sit facultas Episcopis in iis dispensandi. Ordinarie ergo in illis dispensare nequeunt.

3tio: Attamen post Matrimonium contractum & consummatum, pofsunt Episcopi in impedimentis Matrimonium dirimentibus dispensare, quando fequentia concurrunt. *1mo*: Ut impedimentum sit occultum, Matrimonium vero publicum, & in facie Ecclesiæ contractum. *2do*: Ut matrimonium sit contractum bona fide saltem ex parte unius contrahentis, hoc est, sine prævia impedimenti notitia, & ex illius ignorantia. *3tio*: Ut matrimonium sit consummatum. *4to*: Ut partes sine verisimili periculo scandali, aut gravi damno â se invicem separari nequeant. *5to*: Ut ad Papam difficilis sit recursus, vel ob imminens probabile incontinentiæ periculum, dispensatio Romana expectari non pofsit. *6to*: Ut tale sit impedimentum, in quo Papa dispensare consvevit. His concurrentibus potest Episcopus in impedimentis Matrimonium dirimentibus dispensare. Id enim exigit bonum Ecclesiæ, & salus animarum. Si vero aliquid ex prædictis defuerit, Romam pro obtinenda dispensatione recurrendum est.

Quodsi post Matrimonium legitime contractum, fuperveniat impedimentum, quo adimitur jus petendi debitum conjugale, qualis est cognatio Spiritualis ex Baptismo, aut Confirmatione orta, & affinitas ex commifso incestu proveniens, in eo impedimento femper Episcopi dispensare, & prædictum amifsum jus restituere valent.

Jam vero ad Matrimonium contrahendum in impedimentis dirimentibus fed occultis, Episcopi dispensare pofsunt in duplici casu, & quidem *1mo*: in casu dubii. Unde si is, qui Matrimonium contrahere intendit cum Catharina, dubitet an non commercium carnale habuerit cum ipsius Sorore, poterit, & tenetur ad Episcopum recurrere, ut ab ipso dispensationem obtineat. Idem est, si in casu aliquo ex occurrentibus circumstantiis, aut ex fanjorum Theologorum judicio, dubium sit, an adsit, & fubsistat impedimentum Matrimonium dirimens, quia Casus dubii, ex eo quod vere dubii sint, Papæ non reservantur, fed fiunt Episcopales. Quodsi non præcise dubia, fed multo probabilior foret impedimenti existentia, non fufficeret Episcopi dispensatio, fed si stante dubio Episcopus in impedimento dirimente dispensaverit, & postea certo constiterit, impedimentum adfuifse, non est necefse

ad

ad Papam recurrere, quia illud semel absolute ſublatum est, proindeque non indiget, ut iterum auferatur.

2do: In casu magnæ, & urgentis neceſsitatis, ut si rebus omnibus ad celebrandum Matrimonium paratis, invitato Parentum, & Amicorum cætu, puella, aut Sponsus in Confeſsione inveniatur impedimento Matrimonium dirimente ligatus, & nulla, præter Episcopi dispensationem pateat via, qua periculum gravis scandali, suspicionis, infamiæ, atque etiam inimicitiarum, removeri poſsit, quia reservatio Papæ in casu [illegible] urgenti, non eſset in ædificationem, ſed potius in pern[illegible] animarum. Censent aliqui in tali casu consulendum eſse Puellæ, ut ad aliquod tempus Votum castitatis emittat, & ideo Matrimonium differat. Hæc quidem ars valere potest, cum Episcopus longe distat, à quo obtinenda est dispensatio, cum à Papa haberi nequit. Si autem Matrimonium contracturi è diversis sint Diæcesibus, & dispensatione in aliquo impedimento indigeant, unusquisque à proprio Episcopo cui ſubest, debet dispensari, quia unus Episcopus in alterius Episcopi ſubjectum, jurisdictionem non habet. Si tamen dispensatio conceſsa fuerit à Romano Pontifice, hæc exequi potest, licetsi partes contrahentes diversarum sint Diæcesum, quia in utrumque ille potestatem habet. Idem dicendum est si Episcopus vi Papalis indulti, in aliquo impedimento dispenset.

Quæres 2do: Ubi dispensatio Papalis obtineri debet?

Resp: Cum impedimenta Matrimonii publica ſunt, dispensatio Papalis in Dataria obtineri debet, quando vero occulta ſunt, recurrendum est ad sacram Pænitentiariam. Exceptis autem impedimentis consanguinitatis, affinitatis ex copula licita, & cognationis ſpiritualis, in quibus quantumcumque occulta sint, nunquam dispensat Pænitentiaria ad contrahendum Matrimonium, ſed aliquando dispensat in Matrimonio jam contracto. Porro impedimentum censetur eſse occultum, cum vel omnino secretum est, ita ut nulla ratione probari valeat, vel si cognoscitur à tribus aut quatuor, nullum tamen est periculum ne ulterius divulgetur. Dum vero à Sacra Pænitentiaria dispensatio petitur, non exprimuntur vera dispensandorum Nomina, ſed ficta ſolum & aſsumpta exg. Caius, Bertha, neque ullæ ibidem ſolvuntur taxæ, ſed omnia gratis expediuntur.

Itaque pro foro interno à Pænitentiaria postulantur dispensationes, maxime ad revalidanda Matrimonia nulliter con-

contracta. Cum ergo agitur de Matrimonio revalidando, quod nulliter contractum fuit, Pænitentiaria dispensat in ceteris præter primum & secundum consanguinitatis gradibus, modo occulti sint, imo si publici sint, potest Pænitentiaria matrimonia cum iis nulliter contracta revalidare, quando nullitas dispensationis ſuper iis â Dataria obtentæ provenit ex causa ſubreptionis aut obreptionis occultæ, præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen non præceſserat. Non dispensat etiam Pænitentiaria in gradibus mixtis ex primo & quocunque alio gradu consanguinitatis vel affinitatis, ex copula licita. Diſpensat vero in omni linea & gradu affinitatis profectæ ex copula illicita, & occulta.

Jam vero à Dataria petuntur dispensationes pro foro externo. Ibi autem vera Dispensandorum nomina, & eorum Diæcesis exprimi debent. Insuper, nisi dispensatio obtineatur in forma pauperum, ſolvendæ ſunt expensæ. Qui ergo Romæ diſpensationem petere volunt, ſedulo considerare debent. *1mo*: An impedimentum sit è numero illorum, in quo Papa dispensare ſolet. *2do*: Videndum an à Dataria, an à Pænitentiaria peti debeat dispensatio, & exprimendum id omne, & ſolum, quod uniuscujusque Tribunalis praxis, & stylus exprimi volunt.

Quæres 3tio: Quæ observanda ſunt ut bona, & legitima obtineatur dispensatio, & illa non sit ſubreptitia, aut obreptitia?

Resp: Diſpensatio ſubreptitia ea est, quæ obtinetur per reticentiam veritatis exprimendæ, ſeu per ſuppreſsionem eorum quæ juxta stylum Curiæ Romanæ, & jus exprimi debent in petitione dispensationis. Obreptitia est quæ obtinetur per expreſsionem falsitatis, qua cognita, non fuiſset data diſpensatio. Ut ergo non sit ſubreptitia, aut obreptitia dispensatio, in illius petitione hæc exprimi debent, cum agitur de Matrimonio contrahendo.

1mo: Impedimentum, ſuper quo petitur dispensatio, rite, & in ſua ſpecie proponi debet, non unum pro alio, etiam majus pro minori exg. conſanguinitas pro affinitate, quia in diſpensatione non valet argumentum à minori ad majus.

2do: Exprimi simul debent in una eademque ſupplicatione omnia impedimenta ad idem matrimonium relativa, quibus tenentur illi, qui contrahere volunt. Quodsi unum impedimentum, vg. consanguinitatis publicum sit, aliud vero, puta Criminis occultum, tunc impedimen-

mentum publicum in Dataria proponi debet, ad impetrandam pro foro externo dispensationem, utrumque vero tam publicum, quam occultum Pænitentiariæ aperiri debet, ut examinet, an & qua conditione dispensare debeat. Etsi vero non interest an prius pro foro exteriori in Dataria petatur dispensatio, an pro foro interiori à Pænitentiaria, si tamen dispensatio obtentu difficilis videatur, melius est, ut prius ad Pænitentiariam recurratur, ne inutiliter, & non sine multo fumptu obtineatur dispensatio à Dataria.

3tio: Si copula carnalis in dispensationis causam allegetur, exprimendum est, an ab utroque, vel ab uno habita fuerit, fub fpe facilius dispensationis obtinendæ, quod merito cautum est, ne quis ex peccato commodum reportet.

Cum autem dispensatio petitur post matrimonium jam actu, licet invalide contractum, quatuor necefsario funt exprimenda. *1mo:* an partes, vel earum una, bona vel mala fide contraxerint, nempe cum notitia non quidem criminis admifsi, fed ex eo profluentis impedimenti, unde qui noverat fe è facro fonte levafse filiam Annæ, fed ignorabat exinde profluere impedimentum matrimonium cum Anna dirimens, si cum ea matrimonium contraxit, bona fide contraxit. *2do:* an contraxerint ex fpe facilius impetrandæ dispensationis. *3tio:* an etiam matrimonium consummaverint. *4to:* an partes impedimenti nesciæ clandestine, vel sine præmifsis denuntiationibus contraxerint, iis enim qui in hoc casu versantur, dispensatio multo difficilius conceditur.

Quæres 4to: Quæ præterea circa unumquodque impedimentum in particulari exprimenda funt?

Resp: Præter generalia, quæ in petitione dispensationis exprimi debent, hæc in particulari circa unumquodque impedimentum exprimi debent. Et quidem *1mo:* circa consanguinitatem exprimi debet. *1mo:* an sit in linea recta, an in transversa, & quoto utriusque gradu. *2do:* an partes duplici consanguinitatis vinculo conjunctæ sint, puta quia fratres duo, duas forores in matrimonium duxerunt, & à fortiori an non plura diversæ rationis habeant impedimenta. *3tio:* exprimendus est incestus feu copula carnalis cum consanguinea ante matrimonium habita, quæ notoria est, & utrum cum, vel sine fpe dispensationis facilius obtinendæ habita fuerit, etiamsi alia legitima dispensationis obtinendæ causa allegetur. Quodsi copula hæc, remanserit occulta, erit hæc simul cum consangui-

nita-

nitate, vel affinitate aperienda in Pænitentiaria. Quodsi post dispensationem Romæ obtentam, commercium carnale inter ſe primum habuerint, illico corruit dispensatio à Dataria obtenta, unde iterum obtinendæ ſunt Romanæ litteræ quas vocant, *perinde valere*. Sed cum partes ante dispensationis petitionem, carnalem inter ſe copulam habuerunt, & illam in petitione expreſserunt, ac in idem ſcelus relabuntur, valebit ſemper dispensatio sive relabantur ante fulminationem dispensationis, sive post dispensationis fulminationem, quia non est neceſse ut commiſsum crimen exponatur quoad numerum. Et hoc locum habet erga affines, & alios, qui in petitione dispensationis commiſsum incestum exprimere tenentur.

2do: Circa affinitatem exprimi debent. *1mo:* gradus illius. *2do:* impedimenti multiplicitas, si adsit, puta si quis cum duabus illius, quam in uxorem vult ducere consanguineis, carnaliter peccaverit, & hæc in eadem petitione exprimenda ſunt. *3tio*: etiam gradus propinquior, si inæqualis sit, graduumque distantia, quia quod in consanguinitate ſervatur, idem etiam in affinitate ſervari debet. *4to:* exprimi etiam debet, an affinitas ex copula licita, an ex illicita oriatur, quando dispensatio petitur ſuper primo, vel ſecundo gradu, quia difficilius dispensatur ſuper affinitate ex copula licita, quam ex illicita proveniente, & id neceſsarium est, ut intelligatur, an cum affinitate concurrat impedimentum publicæ honestatis, an non? Hæc enim cum ſemper annexa sit copulæ licitæ tacite exponitur, & tacite dispensatur eo ipso, quod exprimitur affinitatem ex copula licita ortam fuiſse. *5to*: exprimendum etiam est, an affinitas sit in linea recta, an in transversa, ſaltem cum affinitas oritur ex copula licita.

3tio: Circa impedimentum publicæ honestatis, exprimendum est, an illud oriatur ex Sponsalibus, an ex Matrimonio, & quo in gradu sint, qui contrahere matrimonium volunt.

4to. Circa cognationem ſpiritualem exprimendum est. *1mo*: an ea sit paternitas vel maternitas ex una parte, & proinde filiatio ex altera, an sit ſolum compaternitas, vel commaternitas. Multo enim indecentius est matrimonium inter patr[illegible], & filiam ſpiritualem, quam inter compatrem, & matre[illegible] ejusdem filiæ. *2do*: an cognatio ſpiritualis sit duplex, puta an qui Petri filiam è ſacro fonte levavit, fratrem in Confirmatione tenuerit, an non item Petrus levavit filios illius, qui filios ipsius

à ſacro

è ſacro fonte ſuscepit. Sed neceſse non est exprimere, an quis plures ejusdem Petri filios in Baptismo, vel in Confirmatione ſuſceperit, quia cognatio Spiritualis non censetur hinc multiplicata, prout declaravit Clemens 8vus. Censent etiam plures neceſsum non eſse ut exprimatur, an cognatio ſpiritualis ex Baptismo, an ex Confirmatione oriatur, quia hæc nihil, vel parum rem immutat.

5to: Circa criminis impedimentum exprimi debet an sit ex machinatione conjugis, an ex adulterio ſolo sine machinatione, an ex utroque simul, quia si sit ex machinatione, nunquam dispensat Papá pro foro exteriori, raro autem pro interiori.

Quæres 5to: Quæ ſunt causæ propter quas Romanus Pontifex dispensare ſolet in consanguinitate, & affinitate?

Resp: Causæ, propter quas Romanus Pontifex in impedimentis consanguinitatis, & affinitatis dispensare ſolet, duplicis ſunt generis, aliæ ſunt *honestæ*, quæ nullum probrum petentibus afferunt, aliæ *infamantes* quæ aliquod probrum dispensationem postulantibus ingerunt.

Causæ honestæ octo præcipuæ recensentur, quarum *ima* est *angustia loci*: cum locus originis adeo angustus est, ut mulier nullum in eo reperire poſsit paris ſecum conditionis, cui nubat, nisi consanguineum vel affinem. Sed hæc causa ſolitarie ſumpta vix aliquando prodest, & si allegetur conditio personæ dispensationem petentis, & status ac ratio loci explicanda ſunt.

2da: est *incompetentia dotis* mulieris, quæ vel indotata manebit, vel ſaltem fortunam statui ſuo convenientem, non inveniet, nisi consanguineo, vel affini nubat. Hæc causa admodum justa est, ne puella, si innupta manserit, incontinentiæ periculum ſubeat, si autem viro inæquali nupserit, misere vivat, cum inæqualia conjugia, tristes effectus parere ſoleant. Idem est si mulier dotem quidem habeat, sed litibus adeo involutam, ut sine studio viri solertis, eam recuperare, & tueri non poſsit, ad hæc vero mulieris consanguineus, aut affinis se offerat, & præter eum, nullus alius reperiatur. Ceterum non censetur carere dote, quæ parentes habet divites, nisi hi multa prole graventur, vel competente ad dandam dotem, bonorum parte ſpoliare ſe non valeant.

3tia: est *bonum pacis*, sive inter regna, sive etiam inter privatas familias, gravibus odiis diſsitas, vel prope diem diſsurgendas, restaurandæ vel confirmandæ.

4ta: est *ætas puellæ*, annum vigesimum quartum excedentis. Hæc vero causa per se solam non sufficit, si agatur de dispensatione in secundo, vel in primo & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu, sufficit autem in aliis, idque eo magis, quo plus recessit puella ab ætate annorum duodecim, qua nubilis esse incepit. Quia timere est, ne puella diu marito destituta, in suum corpus peccet, aut sine Parentum consensu nubat.

5ta: causa est *conservatio bonorum in eadem familia*, quia ampla unius familiæ bona ad aliam transferri non solent sine magno totius familiæ dispendio. Hæc tamen causa, si petatur dispensatio in gradu secundo, vel in secundo & tertio consanguinitatis & affinitatis, non admittitur, sine maximis favoribus. Huic autem causæ affinis est, *conservatio illustris familiæ*, quia illustres familiæ communi bono multum inserviunt, unde rationi maxime consonum est, ut conserventur.

6ta: Causa est *excellentia meritorum*: eos enim qui de Ecclesia bene meriti sunt, ab Ecclesia remunerari omnino conveniens est.

7ma: Causa est, cum mulier dispensationem petens liberis ex alio marito procreatis gravata est, & eorum curam fusceptarum se spondet affinis, aut consanguineus illius. Hæc causa facile non admittitur sola, & nunquam admittitur, nisi postquam petens dispensationem sufficienter cavit se prædictis liberis alimenta præstiturum.

8va: Causa est, cum Matrimonium contrahere volentes, ex certis, & rationabilibus causis moventur ad secum contrahendum. Et hæc dispensationis species vocatur *sine causa*, non quia datur sine justa causa, sed quia nulla in particulari exprimitur. Qui talem dispensationem exequitur, causarum illarum verificationem exigere non debet, quamvis in dispensationis instrumento ista apposita sit clausula, *diligenter informes.*

Causæ vero infamantes tres sunt. *1ma:* cum partes ob nimiam in tota sua agendi ratione familiaritatem, seclusa tamen carnali copula, scandalum vicinis dederunt adeo, ut nisi ambæ jungantur, neminem puella inveniat cui nubat.

2da: cum partium prædicta familiaritas ad procreandam usque prolem increvit, ita: ut non aliter, quam per utriusque conjunctionem, scandalo occurri possit.

3tia: cum partes licet consanguineæ, vel affines Matri-

trimonium contraxerunt, nec jam sine gravi ſcandalo, aut dispendio ſeparari poſsunt.

Quæres 6to: Quid ergo requiritur ut valida sit dispensatio?

Resp: Ut valida sit dispensatio requiritur, ut causa finalis, propter quam conceditur, vera sit, & reipsa ſubsistat, cum dispensatio conceditur. Præterea ut in petitione dispensationis, nihil omittatur eorum, quæ exprimi debent, nihilque reticeatur veri, ratione cujus dispensatio aut nullo modo, aut nonnisi cum certa conditione, vel limitatione daretur, alioqui enim dispensatio eſset obreptitia, vel ſubreptitia, adeoque nulla.

Quæres 7mo: Quomodo ſcribendum sit Romam pro obtinenda dispensatione?

Resp: Scribendum est stylo simplici & sine ullo verborum apparatu, alioqui enim petitio dilaceratur, communiter, communiter autem latino ſermone ſcribendum est. Porro aliter inscribendæ ſunt litteræ, quibus â Pænitentiaria, aliter illæ quibus à Dataria petitur dispensatio.

Quando itaque dispensatio petitur â Dataria ſupplices litteræ diriguntur ad ipsum Papam, unde Epistola exterius sic inscribitur. *Sanctiſsimo Domino Nostro Pio VII. Summo Pontifici. Romam.* intus vero ab his incipit verbis *Beatiſsime Pater.* Hujus Epistolæ exemplum tale est.

Beatiſsime Pater. *Vilnensis.*

Exponitur humiliter Sanctitati vestræ pro parte devotorum illius oratorum Petri Kwiatkowſki Diœcesis Vilnensis, & Margarittæ Dukſzynſka ejusdem Diœcesis ex Oppido Polany, quod cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status ſui conditionem, cum qua, ibi & propter angustiam dicti loci virum non consanguineum, (vel non affinem) *paris conditionis cui nubere poſsit, invenire nequeat, & dictus orator qui in memorato oppido domicilium fixit, cum dicta minus competente dote oratricem in uxorem ducere intendat, & si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non eſset competens, neque ſufficiens, ut virum paris conditionis invenire valeat. Quia vero tertio & quarto gradu consanguinitatis conjuncti desiderium ſuum in hac parte adimplere non poſsunt, humiliter ſupplicant Sanctitati vestræ, quatenus cum iisdem Oratoribus, quod impedimento tertii & quarti*

 con-

consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter ſe ſervata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnisare, & in eo post modum remanere libere, & licite valeant, dispensare, distantiam vero tertii, & quarti gradus prædicti eis non obstare declarare, prolemque ſuscipiendum exinde legitimam declarare dignemini de ſpeciali gratia, non obstantibus præmiſsis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis. Loco autem hujus causæ quæ in hac ſupplicatione opponitur insufficientia dotis, & angustia loci, alia quæcunque, modo vera, & ad obtinendam dispensationem ſufficiens causa allegari potest, exg. devitatio infamiæ, & ſcandali, dignitas Personarum, nec unquam ſupprimi debet copula carnalis, si notoria sit, cum hujus expreſsio neceſsaria omnino sit, sive habita fuerit ſub ſpe dispensationis facilius obtinendæ, sive etiam habita sit sine tali nefaria intentione. Debet etiam exprimi in ſupplicatione impedimentum in ſpecie, quale reipsa adest, consanguinitatis, vel affinitatis, & unum pro alio non ponatur, tum etiam alia simul adjungenda ſunt impedimenta, si quæ occurrunt, cum omnibus circumstantiis necessario exprimendis.

Si autem partes in forma pauperum dispensationem petant, Parochus eorum paupertatis fidem facere debet apud Episcopum, aut ipsius Vicarium generalem, qui eam ad Apostolicam ſedem simul cum petitione dispensationis transmittat.

Ad obtinendam vero pro foro interno dispensationem litteræ ſupplicationis diriguntur ad Majorem Pænitentiarium, qui unus est è Cardinalibus S. R. E. atque sic inscribuntur exterius.

Eminentiſsimo & Reverendiſsimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario. Romam.

Intus vero Epistola, ſeu ſupplicatio his incipit verbis.

Eminentiſsime, ac Reverendiſsime Domine.

Exponitur humiliter Eminentiæ vestræ pro parte devoti illius oratoris Titii, quod postquam idem orator carnaliter cognovit Fabiam, postea ignarus impedimenti bona fide tractatum habuit de contrahendo Matrimonio cum Sorore dicta

ctæ Fabiæ, cum autem dictum impedimentum occultum sit, tractatus vero publicus sit, & nisi ad effectum deducatur ſcandala exinde verisimiliter exoritura sint, cupit orator ad vitanda ſcandala, & pro conscientiæ ſuæ quiete, de præmiſsis, de quibus ſumme dolet, absolvi, & ſecum dispensari. Quare Eminentiæ vestræ humiliter ſupplicat, ut super his de opportuno remedio authoritate Apostolica providere dignetur.

Dignetur Eminentia vestra responsum dirigere N. ad me infra ſcriptum. Hic autem exprimendum est Nomen, & Cognomen illius, ad quem rescribendum est, item nomen Oppidi, aut Civitatis, ad quam, & per quam rescribendum est, & hæc quidem vulgari lingua, vel etiam latina, si ea facile denotari istiusmodi loca valeant.

Ne autem, dispensationis executio committatur Doctori in Theologia, vel Jure Canonico, debet petitionem ſcribens præcari, ut sibi committatur dispensationis executio, his similibus verbis. *Et quia in oratoris loco non facile reperitur Confeſsarius in Theologia Magister, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia vestra providere, & disponere ut etiam alius exequi valeat.* Quamquam modo Brevia Sacræ Pænitentiariæ non diriguntur ad ſolos Doctores

Quodsi petens dispensationem, impedimenti conscius tractatum habuit de contrahendo Matrimonio, scribendum est, *conscius impedimenti.*

Alia, & quidem brevior ſupplicationis forma hæc est:

Eminentiſsime, ac Revereneiſsime Domine Titius conscius (vel ignarus) *impedimenti contraxit in facie Ecclesiæ Matrimonium cum muliere cujus Matrem* (vel filiam, aut sororem) *prius carnaliter cognovit, quare cum absque scandalo separari non poſsint, & impedimentum sit occultum, humillime ſupplicat pro absolutionis, & dispensationis remedio. Dignetur* &c. Istiusmodi autem formulæ aliis etiam impedimentis facile adoptari poſsunt, cum in iis dispensatio postulatur.

Quæres 8vo: Quomodo conceſsa dispensatio executioni mandari debeat?

Resp: Dispensatio vel datur â sacra Pænitentiaria, vel ex Dataria expeditur. Prima executores habet eos, ad quos dirigitur, maxime Confeſsarios eorum, pro quibus obtinetur. Secunda Episcopum, ejusque Vicarium generalem ad quos dirigitur. Sed præstat hic prius ponere formam dispensationis, quæ à sacra Pænitentiaria conce-

di consvevit ut facilius intelligantur clausulæ ibidem appositæ, quas Confessarius in executione Rescripti dispensationis observare tenetur. Aliud vero datur Rescriptum dispensationis ad contrahendum Matrimonium, aliud ad remanendum in Matrimonio jam contracto. Prius sic se habet, atque exterius hoc modo inscribitur. *Discreto viro N. Confessario, Theologiæ Magistro, vel Decretorum Doctori, & approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium Pœnitentem eligendo, ad infra scripta specialiter deputato.* Sic quidem Rescriptum inscribitur, quando ipse, qui dispensatione indiget, illud obtinuit. Interius vero sic sonat: *Lucius miseratione divina S. R. E. Cardinalis, Discreto viro Confessori. Salutem in Domino. Ex parte Latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse de Matrimonio contrahendo tractavit cum muliere, quam & cujus matrem carnaliter cognovit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta carnalis cognitio cum præfata mulieris Matre sit occulta, & nisi lator cum dicta Muliere Matrimonium contrahat, periculum immineat scandalorum, ideo ad dicta scandala evitanda, & pro suæ conscientiæ quiete, cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque dispensari. Nos discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione, ac sublata occasione amplius peccandi cum dicta mulieris matre, ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consveta, injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, & aliud Canonicum non obstet, cum eodem latore, quod præmissis non obstantibus, Matrimonium cum dicta muliere, & uterque inter se publice, servata forma Concilii Trident: contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam pronuntiando in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo, ita quod hujusmodi absolutio in foro judiciario nullatenus suffragetur, nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, neque eas alteri restituas, quodsi restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ.*

Poste-

Posterius vero Rescriptum ad remanendum in contracto Matrimonio, sic communiter conficitur.

Lucius miseratione divina S. R. E. Cardinalis, Discreto viro Confeſsori salutem in Domino. Ex parte viri latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Matrimonium publice in facie Ecclesiæ contraxit, & ſuccefsive consummavit cum muliere cujus sororem antea carnaliter cognoverat. Cum autem, sicut eadem petitio ſubjungebat, dictus lator ob impedimentum ex præmissis proveniens, quod occultum est, in dicto Matrimonio remanere nequeat, absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ad evitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter se, & prædictam mulierem, exorirentur. cupit à præmiſsis, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Nos igitur discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, dictum latorem audita prius sacramentali confeſsione, a quibusvis sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmiſsa quomodolibet incurrit, incestu, & exceſsibus hujusmodi absolvas injuncta ei pro tam enormis libidinis exceſsu, gravi pœnitentia salutari, ac confeſsione Sacramentali semel quolibet Mense, per tempus arbitrio tuo statuendum, & aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum occultum sit, ſeparatio inter latorem & dictam mulierem fieri non poſsit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit, aliudque canonicum non obstet, cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus, certiorata, ſed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter se, de novo secrete ad evitanda scandala, prædictis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere, licite valeat, misericorditer dispenses, prolem ſusceptam si quæ sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo. in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis confeſsionis tantum.

In dispensationibus vero aut commutationibus Votorum simplicium castitatis, aut ingrediendæ Religionis, quæ quis vel transgrederetur, vel jam transgreſsus est, Matrimonium contrahendo, peculiares quædam clausulæ adduntur, in hunc modum.

Nos discretioni tuæ committimus, quatenus si ita est, dictum latorem absolvas, injuncta ei pœnitentia salutari, sibi votum præfatum ad hoc tantum ut Matrimonium legitime contrahere, & in eo debitum conjugale exigere,

gere, & reddere licite valeat, in sacramentalem confessionem, semel quolibet mense & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua Religionis, quam ingressurus fuisset, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis quæ hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris dispensando commutes, in foro conscientiæ tantum?

Quæres 9no: Quomodo intelligendæ sunt clausulæ, quæ in dispensationibus ponuntur?

Resp: In dispensationibus variæ ponuntur clausulæ, quæ à Confessariis in executione dispensationum observari debent, & breviter hic enucleantur. Et quidem *1ma* est. *Discreto viro, Doctori:* qui ergo Dispensationem exequitur, Magister Theologiæ, aut Juris Canonici Doctor esse debet. Laurea istiusmodi in aliqua universitate obtenta, alioqui dispensatio suo frustraretur effectu. Sed etiam simplices Confessarii dispensationem exequi possunt, etsi non sunt Doctores formales, si dispensationis executionem ad se dirigi postulaverint, & id obtinuerunt. Religiosi quoque Mendicantes, & qui cum ipsis in eorum Privilegiis participant, possunt Dispensationes Romanas exequi, quamvis non sint Doctores. Sed jam modo Rescripta Sacræ Pænitentiariæ non ad solos Doctores diriguntur.

2da: ex approbatis ab Ordinario, unde qui approbatus ad audiendas fidelium confessiones non est, licetsi Doctor sit, dispensationem exequi non potest. Debet autem approbatus esse hic & nunc, atque in loco, ubi dispensatio exequitur, quare non sufficit quod alibi approbatus fuerit. Si Rescriptum sit in favorem Religiosi, sufficit ut Confessarius ab eo eligendus, sit approbatus à Superiore Ordinis sui. Si agatur de Moniali, debet hæc eligere Confessarium ex iis, qui pro Monialibus sunt approbati.

3tia: hæc est, *quatenus si ita est.* Tenetur itaque Confessarius sub gravi peccato scrutari, an impedimentum, quod Pænitentiariæ propositum est, reipsa occultum sit, & an ex dispensationis denegatione oritura sint incommoda, quæ alioqui oritura petens dispensationem declaravit. Uno verbo inquirere debet, an expositæ preces veritate nitantur, & utrum à parte rei substistat causa finalis, quæ Pænitentiariam movet ad dispensandum, & qua seclusa, ipsa non dispensaret. Non enim semper suffici-

ficiunt, quæ prima fronte ſufficere videntur, unde ei, qui ut à caſtitatis voto liberaretur, expoſuit ſe ſtimulis carnis adeo agitari, ut ſe continenter vivere poſse non ſperet, non ſufficit ſola tentatio, niſi adeo gravis ſit, ut immineat probabile lapſus periculum. Hic tamen annotanda ſunt. *1mo*: ſi facti veritas Confeſsario nota ſit, non eſt opus examine. Si vero Confeſsarius veritatis neſcius, ſine prævio examine diſpenſet, graviter quidem peccat, quia ſuper hoc conſcientia ipſius oneratur, nihilominus, ſi preces veritate nituntur, et res ita ſe habeant, ſicuti in petitione diſpenſationis ſunt expoſitæ, valebit diſpenſatio. At non eſt muneris Confeſsarii ut expendat, an expoſitio Papæ facta vere ſufficiat ad obtinendam diſpenſationem, ſed tantum an res eo modo ſe habeant, quo expoſitæ ſunt. *2do*: credendum eſt Pænitentis aſsertioni, cum in foro pænitentiæ teſtes adhiberi non poſsint, nec ullus confici proceſsus judicialis. Quodſi Confeſsarius aliunde noverit rem non ita eſse, ut expoſita eſt, non debet diſpenſationem exequi, quidquid in contrarium Pænitens aſserat, niſi forte id, quod novit Confeſsarius, ex alterius Confeſsione ſciat.

4ta: clauſula hæc eſt, *audita prius ejus ſacramentali confeſsione*, unde neceſse eſt, ut ille, cum quo diſpenſandum eſt, peccata ſua confiteatur Confeſsario, qui diſpenſationem executurus eſt, idque verum eſt, etiamſi diſpenſatio concederetur in materia, quæ nullum Pænitentis delictum ſupponeret. Haud tamen neceſse eſt, ut confiteatur ea, etiam mortalia, quæ commiſit in materia, circa quam diſpenſatio verſatur, ſi hæc jam apud alium, vel apud eundem Confeſsarium depoſuerat, qui enim ſola venialia habens, hæc confitetur, prædictam clauſulam adimplet.

Quinta clauſula eſt, *ſublata peccandi occaſione*, quæ verba oſtendunt, non ante Pænitentem abſolvendum eſse, vel cum eo diſpenſandum, quam à ſe removerit peccandi occaſionem, voluntariam ſcilicet ipſo facto, eam vero quæ involuntaria eſt, atque neceſsario adhæret, animo, & corde.

Sexta clauſula eſt, *injuncta ei gravi pœnitentia*, quæ quamvis à Confeſsarii diſcretione, & perſonarum ſtatu dependeat, poſset tamen eſse jejunium exg. per ſex menſes ſemel in qualibet hebdomada, recitatio tertiæ partis Roſarii ter qualibet Hebdomada per tres Menſes, vel etiam aliud pietatis opus arbitrio Confeſsarii imponendum,

dum, frequens præsertim Confessio, eleemosyna, Missæ auditio, consideratis semper statu, & sexu pænitentis, & hoc advertendo, ut pænitentia talis imponatur, quæ nusquam Pænitentis delictum detegat. Si pænitens in aliis Confessionibus rite peractis, pænitentiam criminis, propter quod dispensari vult, parem impleverit, erit hujus præviæ satisfactionis ratio habenda, unde Confessarius pænitentias Brevi Romano præscriptas temperare poterit, sic tamen ut modum temperans, substantiam servet.

Septima clausula præcedenti similis est, illique cum agitur de relaxatione voti, hanc sacra Pænitentiaria subjungit, *votum præfatum ad hoc tantum dispenses ut Matrimonium legitime contrahere, & in eo debitum conjugale exigere, & reddere licite valeat.* Porro circa hanc clausulam hæc notanda sunt. *1mo:* monendi sunt Pænitentes voti dispensationem nonnisi ad contrahendi Matrimonii usum concedi, unde eo usque illo voto tenetur, quoad usque Matrimonium contraxerit. Quapropter si in gravi incontinentiæ periculo versentur, hortandi sunt, ut Matrimonium ineant, quam primum poterunt, ne interim multiplicentur voti transgressiones. Quodsi post Nuptias contra castitatem conjugalem peccent, voti transgressores erunt, quod nonnisi in ordine ad usum Matrimonii, relaxatum fuit. *2do:* cum voti dispensationi à Pænitentiaria concessæ, annexa sit quædam commutationis species in Sacramentalem confessionem quolibet Mense faciendam, hoc menstruæ Confessionis onus à Confessario pænitenti erit omnino imponendum. *3tio:* & cum præterea additur commutationem voti faciendam esse in alia insuper pænitentiæ opera, necessum est, ut Confessarius præter menstruam Confessionem, alia Pænitenti imponat pænitentiæ opera, puta jejunium, septem Psalmos pænitentiales & similia. Cum autem hæc pænitentiæ opera plurali numero exprimantur, debent esse adminus duo, & duo reipsa sufficiunt, ne gravetur pænitens. Porro hæc pænitentiæ opera tamdiu durare debent, quamdiu prædictæ commutationi locus erit. Unde obligatio prædictorum pænitentiæ operum ab eo solum die incipit, quo Matrimonium contrahitur, & consummatur, quia non ante dispensatio effectum obtinet. Sublato quoque per mortem alterius conjugis, commutationis usu, cessant etiam singula illius pænitentiæ opera, quia reviviscit voti obligatio. Id tamen locum non habet in dispensatione voti ingrediendæ Religionis, quia votum castitatis dissoluto Conjugio reviviscit, non

non autem votum ingrediendæ religionis, cujus proinde relaxationi, utpote perpetuæ, perpetua respondere debet pænitentia. *4to:* tandem, cum adhuc in dispensatione voti præcipiatur, ut inter opera pietatis quædam sint etiam, quæ Pænitens quotidie facere teneatur, ut ſemper primævæ voti ſui obligationis meminerit, inde evidens est, præter exposita pietatis opera, alia imponi debere, quæ singulis diebus impleantur. Hæc autem & faciliora, & utiliora præscribi debent exg. lectio quotidiana brevis libri ſpiritualis, conscientiæ examen, oratio mentalis ad minus per quadrantem, aliquod charitatis opus erga proximum. Cum vero hæc imponet Confeſsarius, monebit pænitentem, ut dum ea exequetur, meminerit vinculi à quo dispensatus est. Quodsi vero dispensatio detur in voto ingrediendi Religionem, tunc inter pænitentiæ opera à Confeſsario præscribenda, quædam eſse debent Religionis illius, quam Pænitens ingreſsurus erat, & quæ quotidie facere tenetur in ſui voti memoriam. In hoc autem operum ordine ſunt gestatio chordulæ illius Ordinis, Litaniæ quæ in dicto Ordine recitari consveverunt. Si dispensatio fiat cum eo, qui in Sacris Ordinibus existit, habenda est ratio officii divini ad quod tenetur, unde imponi ei potest commemoratio Sancti Institutoris Religionis quam voverat.

8va: clausula *aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda*, & hæc clausula ſubauditur, etiamsi non fuerit expreſsa. Ejus vero ſcopus est, ut si Pænitens in foro pænitentiæ dispensandus, alio Confeſsario peccata declaret, ex quibus ad restitutionem alieni boni, denigratæ famæ reparationem, aliave similia, teneatur, hæc ei à Confeſsario præcipiantur.

9na: clausula est, *dummodo impedimentum occultum sit*, & hæc est conditio, sine qua non dispensat Pænitentiaria, quæque ſemper est punctualiter observanda. Unde si Confeſsarius ex Pænitentis examine agnoscat factum eſse famosum, vel manifestum, vel notorium juris, aut facti notorietate, ulterius ad dispensationis executionem procedere non debet, neque potest, & interim Pænitentem monere, ut à Dataria dispensationem sibi procuret.

10ma: clausula est, *aliudque canonicum impedimentum non obstet.* Quare si partes Matrimonium contrahere volentes, alio impedimento sive occulto, sive publico ligatæ sint, rursus ad ſacram pænitentiariam recurrendum erit, pro occulto quidem ut ejus dispensatio, nova prioris

impe-

impedimenti mentione facta, ab eadem Pænitentiaria impetretur, pro publico vero, ut significetur eidem partes hoc impedimento teneri, à quo per Datarium dispensari satagent, exigit enim Pænitentiaria ut publicum, quo partes vinciuntur, impedimentum, sibi patefiat, neque enim aliter judicare potest an non satius sit spem quamcunque dispensationis adimere.

11ma: est, *præmissis non obstantibus*, quibus indicatur Confessarium non obstante præfato impedimento, & aliis quæ Pænitentiariæ exposita sunt, ad dispensationis executionem devenire posse, atque Pænitentem Matrimonium servata forma Concilii Tridentinii contrahere posse, hoc est præviis, vel omissis de licentia Episcopi denuntiationibus coram proprio Parocho, & testibus.

12ma: clausula hæc est, *in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum*, quæ verba demonstrant forum conscientiæ, de quo hic agitur, esse ipsum Pænitentiæ sacrum tribunal, extra quod dispensatio à Confessario executioni demandari nequit. Deinde in dispensatione subjungitur, & demandatur. *1mo:* ut data absolutio, ac concessa dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragetur. Unde si forte impedimentum ex occulto publicum fiat, & in judicium deducatur, dispensatio à Pænitentiaria concessa non proderit in foro externo, adeoque tunc ad Datariam recurrendum erit. Quamquam si dispensati maritali jure sine scandalo uterentur, non peccarent, quia vere coram Deo dispensati sunt, cum sacra Pænitentiaria dispensare & potuerit, & voluerit eo tempore, quo impedimentum occultum erat. *2do:* ut rescriptum dispensationis post illius executionem laceretur, neque Pænitenti restituatur. Scilicet quam primum moraliter fieri poterit, laceretur, ita tamen caute, ut nec Rescriptum, nec delictum Pænitentis dignosci aliquando possit. Quodsi vero Confessarius Rescriptum dispensationis Pænitenti, ab eo etiam obtentum, & sibi ad exequendum allatum restituerit, incurrit quidem excommunicationem in eodem Rescripto latam, executio tamen dispensationis semel facta, valet & permanet immobilis.

Eædem clausulæ, & iisdem fere verbis ponuntur in Rescriptis, quæ dantur ad permanendum in Matrimonio contracto cum quibusdam tamen differentiis, quæ hic breviter exponuntur.

1ma: clausula est, *à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis absolvas*, quas scilicet Pænitens, sive de jure

com-

communi, sive ex ſpeciali locorum lege ob inceſtus crimen incurrit, aut incurrere potuit.

2da: est, *injuncta ei Sacramentali confeſsione quolibet menſe.* Per ſex autem, vel ad minus per tres menses prædicta Confeſsio facienda, injungi Pænitenti debet.

3tia: clausula est, *& ſeparatio fieri non poſsit absque ſcandalo, & ex cohabitatione de incontinentia timendum sit.* Harum autem clausularum verificatio Confeſsarium torquere non debet, cum evidens sit personas, quæ palam pro legitimis Conjugibus habentur, nec poſse ſeparari sine ſcandalo, nec ſecum invicem, absque gravi incontinentiæ periculo habitare.

4ta: est, *dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata*, quia renovatio contractus Matrimonialis, & ipsius ratificatio ex errore facta, putando illum validum fuiſse, ac etiamnum ſubsistere, nihil efficit, neque Matrimonium præcedens revalidare potest, unde neceſse est ut pars impedimentum ignorans, propter quod irritum fuit Matrimonium, de illius invaliditate admoneatur, caute tamen, & quam prudentiſsime. Non tamen nullitatis hujus causa est declaranda, præsertim si fundetur in delicto alterius Conjugis.

5ta: est, *Matrimonium de novo inter ſe ſecrete contrahere*, ſecrete inquam, idest sine Parocho & testibus, adeo tamen ut Pænitens non prius in debiti conjugalis redditionem consentiat, quam præviam, eo quo poterit meliori modo, consensus Matrimonialis renovationem à parte impedimenti nescia, de nullitate tamen Matrimonii præmonita, obtinuerit, alioqui concubitus ille foret fornicarius.

Quæres 10mo: His omnibus clausulis expensis, & verificatis, quid tandem restat Confeſsario ad agendum?

Resp: In forma ſolita dare debet absolutionem à Censuris, & peccatis, & tandem dispensationem ſequenti exequatur forma, mutatis mutandis, pro impedimenti, à quo conceſsa est dispensatio, varietate dicens: *Et insuper authoritate Apostolica, mihi ſpecialiter delegata, dispenso tecum ſuper impedimento primi gradus affinitatis ex copula illicita à te habita cum ſorore mulieris cum qua contrahere intendis proveniente, ut præfato impedimento non obstante, Matrimonium cum dicta Muliere contrahere, consummare, & in eo remanere licite poſsis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Deinde ſubjungit.

Insuper eadem authoritate Apostolica prolem quam

ex

ex Matrimonio ſusceperis legitimam fore declaro. In nomine Patris &c.

Si dispensatio detur ad remanendum in Matrimonio contracto, ſequens erit dispensationis forma.

Et insuper authoritate Apostolica mihi ſpecialiter delegata, dispenso tecum ſuper impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita quam cum ſorore tuæ putatæ conjugis antea habuisti, ut illo non obstante renovato consensu cum præfata Conjuge, Matrimonium cum illa contrahere valeas. Et pariter eadem authoritate Apostolica prolem si quam ſuscepisti, & ſusceperis, legitimam fore decerno, & declaro.

Si dispensatio sit à voto castitatis, dicitur, *Insuper authoritate Apostolica mihi ſpecialiter delegata, tibi votum castitatis quod emisisti, ad effectum ut Matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere, & exigere licite poſsis, in opera quæ tibi præscripsi dispensando commuto. In nomine Patris &c.*

Eadem pene forma est dispensationis à voto ingrediendæ religionis, in ordine ad Matrimonium contrahendum. Quod si quis dispensetur tantum ut extra Religionem cælibem vitam ducat, non dicuntur illa verba *ad effectum contrahendi Matrimonium*: ſed hæc ſequentia, *ad effectum remanendi in ſæculo in vita cœlibe.*

Quodsi quis non obstante castitatis voto, Matrimonium inierit, dicitur. *Item te non obstante castitatis voto, quod emisisti, & transgreſsus fuisti, in dicto Matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere poſse, & debere declaro, & ut idem debitum etiam exigere licite poſsis, & valeas, tecum eadem Apostolica authoritate dispenso. In nomine Patris &c.*

ARTICULUS 2dus

De Matrimonii revalidatione.

Quæres 1mo: Quid facto opus sit, cum detegitur Matrimonium contractum nullum ac irritum eſse?

Resp: Matrimonium contractum nullum ac irritum eſse potest vel ex defectu consensus, ut si ficte Matrimonium contractum fuerit, vel ex aliquo impedimento dirimente, quod illud irritum, & nullum reddit. Ex quacunque autem causa irritum & nullum fuiſse Matrimonium advertitur, post obtentam impedimenti dispensationem, aut si per ſe impedimentum ceſsaverit, ut si metus gravis ad extorquendum Matrimonium incuſsus desierit,

vel qui ficte nupserat, jam sincere in Matrimonio permanere velit, consensus Matrimonialis renovari debet, & quidem *1mo:* exterius: nam interior consensus sicut ad contrahendum Matrimonium non ſufficit, ita etiam ad illud revalidandum ſufficere nequit, debet ergo exterius sive per verba, sive per signa de novo alteri parti manifestari, ut ab illa tacite ſaltem acceptetur. *2do:* debet hic consensus renovari, & Matrimonialis contractus iterum celebrari coram proprio Parocho & testibus, si invaliditas Matrimonii publica, & notoria fuerit, privatim vero si invaliditas illius occulta sit, & in facie Ecclesiæ juxta æscriptum Concilii Tridentini jam contractum fuit. *3tio:* ſemper pars quæ invaliditatis Matrimonii ignara est, de hoc præmoneri debet, ut ſciens & volens consensum Matrimonialem renovet.

Quæres 2do: Qua ratione pars invaliditatis Matrimonii ignara, de hoc præmoneri poſsit?

Resp: Id ſæpius funestos habere exitus, ac proinde Confeſsarius qui in hoc versatur casu, precibus auxilium Dei implorare debet, ut cognoscat qua sibi gradiendum sit via, tum mature perpensis Conjugum genio, moribus, indole, amore, vel odio, quo ſe invicem prosequuntur, varios qui à doctioribus Theologis ad hoc proponuntur modis rimabitur, & quem adhibere debeat, apud ſe constituet. Quinque autem ſunt, ex multis aliis ſelecti.

Primus est: ut conscius impedimenti & nullitatis contracti Matrimonii, dicat alteri ſe à principio initi Matrimonii invalide consensum ſuum præstitiſse, & prædicto Matrimonio non aſsensiſse, ut par erat, sive defectu debitæ instructionis, sive propter aliquam cordis alienationem, propterea ex consilio Confeſsarii oportere, ut pro ſecuritate conscientiæ, ambo invicem ſe amplectantur, & consensum Matrimonialem renovent. Quapropter ipse quidem libentiſsime iterum consentit & vult de novo accipere illam in uxorem, & optat ut ipsa etiam consentiat, & velit de novo habere eum in ſuum maritum, & tunc siquidem & ipsa ſuum præstet consensum, reintegrabitur Matrimonium.

Secundus: ut pars nullitatis Matrimonii conscia, generatim alteri parti indicet prioris Matrimonialis contractus nullitatem, & novum exigat, dicendo: *Suspicor te non eſse meam conjugem, & hoc ita est, ideo precor te, ut ad conscientiæ meæ pacem, nos denuo pro Conjugibus acceptemus, & habeamus.*

Tertius est: ut à parte impedimenti nescia novus obtinea-

tineatur Matrimonialis consensus sine exprefsa quidem, at non sine æquivalenti nullitatis Matrimonii insinuatione, puta si conjux alter alterum his verbis amice compellet: *Ita tibi afficior, ut si non efset inter nos Matrimonium, nihilominus acciperem te in Uxorem, & jam de facto ita te accipio in meam, numquid & tu similiter accipies me in tuum Maritum.* Si respondeat *Accipio*, vel eo affectu maritaliter copulentur, Matrimonium convalescit. Quia ignarus impedimenti non folum in Matrimonio prius contracto vult permanere, fed & novum intendit inire, si prius non valuerit.

Quartus modus est, qui cum Conjugibus tractari difficillibus adhiberi debet, fcilicet mulier absque eo quod parti insciæ aperiat Matrimonii contracti defectum, caute curet, ut utriusque consensus Matrimonialis renovetur, puta difsimulanter petendo à Marito ut pro fua consolatione ipsam habeat pro fua conjuge, & de novo det illi dextram fuam. Ipsa vero similiter dicat, manum fuam illi dando. *Et ego te in meum Maritum femper habere volo.*

Quintus denique modus, ad quem recurritur, cum ceteri adhiberi nequeunt, & instat fcandali, gravis infamiæ, aut divortii timor, is est, ut obtenta dispensatione habeatur copula maritali affectu ex parte illius, quæ impedimenti est conscia, quia pars altera, quæ impedimentum ignorat, eo affectu commercium conjugale continuat, ac proinde simul tunc concurrit utriusque Matrimonialis consensus, quo Matrimonium renovatur.

Verum ex his quinque Matrimonii revalidandi modis, nullus est præter primum, & forte tertium qui omnino tutus videatur, unde fatius est, ut Confefsarius, de licentia partis, quæ impedimentum novit, in fe istud fuscipiat negotium, & utrique Conjugi exageret, quam necefsaria ipsis sit gratia hujus Sacramenti, ad onera Matrimonii fupportanda, quæ tamen non confertur, si Matrimonium nulliter contrahitur, quod facile evenire potest, etiam inculpate propter aliquod interveniens impedimentum. His expositis fvadeat Conjugibus, ut inter fe de novo contrahant coram ipso, fub conditione dicente uno. *Si ex aliqua causa Matrimonium nostrum non efset validum, volo tecum ex nunc de novo Matrimonium contrahere*, alio vero respondente. *Volo pariter & ego tecum Matrimonium contrahere.* Sic Matrimonium revalidabitur. Et hæc methodus inservire aliquando potest, & licet in ea non sit formalis certioratio de invaliditate Matrimonii, partis id nescientis, fed tamen est æquivalens.

TRA-

TRACTATUS

DE

INDULGENTIIS, BENEFICIIS, & SIMONIA.

CAPUT PRIMUM

De Indulgentiis.

Indulgentias quidem negarunt multi Hæretici, eorum errorem damnavit Concilium Tridentinum, atque Indulgentiarum usum laudabilem eſse definivit, quæcunque ergo hunc laudabilem Indulgentiarum usum respiciunt, hic exponenda ſunt.

ARTICULUS 1mus

De Indulgentiarum natura, divisione, atquæ illarum effectu.

Quæres 1mo: Quid sit Indulgentia?

Resp: Indulgentia, est *remiſsio pænæ temporalis, quæ post culpæ, & pænæ æternæ condonationem luenda ſuperest, ab Ecclesia conceſsa, per applicationem ſuperabundantium ſatisfactionum Christi, & Sanctorum.* Dimiſso siquidem peccato, non ſemper tollitur omnis pæna, quæ pro peccato luenda est, in ſatisfactionem ſcilicet divinæ justitiæ. Omnis namque culpa, etiam mortalis, & pæna æterna illis debita per Sacramentum Pænitentiæ remittitur, temporalis vero pæna remanet, & hæc per Indulgentias ab Ecclesia conceſsas tollitur, dum nimirum ſuperabundantes Christi, & Sanctorum ſatisfactiones nobis applicantur, quibus pænæ temporalis divinæ justitiæ à nobis contracta debita exsolvuntur.

Quæres 2do: Quotuplex est Indulgentia?

Resp: Indulgentia multiplex est. Et quidem *1mo:* alia est *plenaria*, quæ totam pænam temporalem pecca-

tis nostris debitam remittit, alia *partialis* quæ solum hujus pænæ partem remittit, unde est modo *quadrigena* modo *ſeptena*, prout tot remittit pænas, quot per pænitentiam, antiquis ſæculis in Ecclesia usitatam, & ejusdem temporis decursu, ſcilicet quadraginta, aut ſeptem dierum, peractam, remiſsæ fuiſsent.

2do: Indulgentia modo est *temporalis*: quæ ad certum tempus, puta ad Septennium conceſsa est, modo *indefinita*: quæ absque temporis determinatione conceditur, modo *perpetua*: quæ in perpetuum conceditur. Indulgentia sine determinatione temporis conceſsa, eandem habet vim, ac illa, quæ in perpetuum datur, & durat donec revocetur.

3tio: Indulgentia est *localis, realis, & personalis*. Indulgentia *localis* est illa, quam lucrantur, qui certum locum visitant, & in eo præscriptas ad eam obtinendam conditiones adimplent. Circa hanc indulgentiam ſequentia notanda ſunt. *1mo*: una ac eadem Ecclesia non potest simul duas indulgentias habere, licet piæ Confraternitates ſpecialem, in loco communi jam indulgentia donato, indulgentiam obtinere poſsint. *2do*: non perit Indulgentia, si Ecclesia per partes tantum destruatur, atque reædificetur, ſecus si omnino concidat, nec reædificetur. Etsi vero censent aliqui ex Theologis, ſubsistere indulgentiam, si Ecclesia in eodem loco reædificetur, multo tamen tutius est, ut novæ indulgentiæ obtineantur. *3tio*: ad lucrandam Indulgentiam localem ſufficere, ut quis oret præ foribus Ecclesiæ, quam ingredi non potest, nisi requiratur actio, quæ sine hoc ingreſsu fieri nequit, exg. communionem in hac Ecclesia, aut visitationem altarium illius. Hæc autem visitatio altarium cum debeat eſse ſensibilis, aliquam ad illa requirit corporis, aut faciei conversionem.

Indulgentia *realis* est ea, quæ annexa est quibusdam rebus piis, puta crucibus, medallis, rosariis. Conceditur autem Fidelibus, qui res easdem devote gestant, aut apud ſe retinent, veluti Imagines, Cruces, ſub præscriptis Conditionibus. Circa hanc Indulgentiam ſequentia notanda ſunt. *1mo:* re, cui annexa est indulgentia, ita destructa, ut nec eandem formam gerat, nec eadem res eſse communi ſensu reputetur, perit indulgentia. *2do:* si vero priorem formam retineat, adeo, ut pro eadem re moraliter censeatur, indulgentia manet. Unde qui funiculum funiculo, vel pauca grana deperditis ſubstituit in minori numero, non amittit indulgentiam. *3tio*: ad lucrandam indulgentiam realem ſæpius neceſse est, ut res, cui anne-

annexa est indulgentia secum deferatur. *4to:* nemo potest lucrari indulgentiam utendo re alteri ad acquirendam indulgentiam concessa, quia indulgentia licet realis, ad personas refertur, quibus res sacræ conceduntur. Unde istiusmodi res sacræ nec donari, nec commodari, multo minus vendi possunt, quasi indulgentiam ipsis annexam in alium transfundendo. Indulgentia *personalis* ea est, quæ conceditur immediate ipsis personis, seu in particulari, seu in communi, non tamen omnibus generatim, sed tali exg: Sodalitio, vel Confraternitati adscriptis, & hi omnes ubicunque fuerint, indulgentiam per opera præscripta, seu sani, seu in articulo mortis lucrari possunt.

Quæres 3tio: Qui sunt indulgentiarum effectus?

Resp: 1mo: Certum est per indulgentiam non remitti peccata, quia indulgentiæ conceduntur nonnisi contritis, & confessis, ut ergo effectum habeant necesse est, ut peccata jam sint remissa, & à Deo condonata.

2do: effectus igitur indulgentiarum principalis hic est, quod pænam temporalem peccatis debitam, quæ sive in hac, sive in futura vita pænitentibus luenda superest, remittat. Sed quoto in gradu, & quantum, omnino incertum est, & hac in re inscrutabilia sunt judicia Dei. Hoc unum indubitatum est apud omnes, eo plus pænæ temporalis per indulgentiam remitti, quo major fuerit pænitentia atque devotio indulgentiam lucrantis.

Quæres 4to: Utrum indulgentiæ eximunt à consvetis pænitentiæ operibus?

Resp: Indulgentiæ imprimis non eximunt ab iis pænitentiæ operibus, quæ ad lucrandas indulgentias præscribuntur, sine his namque indulgentiam nemo consequi potest. Neque etiam eximunt ab iis pænitentiæ operibus, quæ in Confessione sacramentali injuncta, ac imposita sunt, quia hæc cum sint pars integralis Sacramenti Pænitentiæ, omnino implenda sunt, ne mutilum sit Sacramentum. Sed denique indulgentiæ non eximunt ab iis laboriosæ pænitentiæ operibus, quæ quilibet perficere debet, ut cum Deo reconcilietur, & justitiæ ipsius pro suis delictis satisfac at. Siquidem ex Christi præcepto debemus dignos pænitentiæ fructus facere, à quo Ecclesia per indulgentiarum concessionem neminem eximere potest, unde Concilium Tridentinum generaliter docet, Christianorum pænitentiam præter contritionem, confessionem, habere debere satisfactionem congruam per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia opera Deo exhibitam. Certe si per indul-

gentiam plenariam, persolutis paucis quibusdam operibus, â tota pro multis & gravibus etiam peccatis præstanda satisfactione, peccator eximeretur, enervaretur, & fere tolleretur Spiritus pænitentiæ, quo tota vita Christiani hominis vivificari debet. Indulgentiæ torporem, ac ignaviam Fidelium foverent, ac peccatorum horrorem minuerent. Indulgentiæ ergo inservire debent ad supplendam tantum nostram infirmitatem, ut dum propriis nostris operibus divinæ justitiæ totum, pro nostris delictis, exsolvere debitum non possumus, lucrando indulgentias, per superabundantes Christi ac Sanctorum ejus satisfactiones, reliquum exsolvamus. Merito itaque saniores docent Theologi, ad indulgentiam integre consequendam requiri seriam voluntatem, atque effectuosam sollicitudinem, per laboriosa pænitentiæ opera congrue Deo pro commissis peccatis satisfaciendi, quare proportione hujus sollicitudinis, tamquam dispositionis ad lucrandas indulgentias omnino necessariæ, major etiam vel minor percipitur indulgentiarum fructus.

Quæres 4to: Quis indulgentias concedere potest?

Resp: Indulgentias plenarias, in tota Ecclesia, atque omnibus, & singulis Christianis potest concedere Romanus Pontifex, quia est supremus Christi in terris Vicarius, Caput visibile totius Ecclesiæ, ac omnium Christianorum Pastor. Possunt etiam Episcopi indulgentias concedere, sed nonnisi in sua Diæcesi, Archi-Episcopi vero in tota sua Provincia, & suis nonnisi Subditis, etiam extra Diæcesim commorantibus. Majores autem indulgentias Episcopi concedere nequeunt, quam Indulgentiam unius anni in Dedicatione Ecclesiæ, & in anniversario illius, vel alia quacunque ex causa indulgentiam quadraginta dierum. Et id constat ex Concilio Lateranensi 4to cap: 62. Tales vero dierum Quadraginta indulgentias, etiam in perpetuum duraturas Episcopi concedere valent. Sed ut etiam Defunctis prosint, indulgere nequeunt.

Quæres 5to: Quæ requiruntur ut valeat concessa indulgentia?

Resp: Ut valide & licite concedatur indulgentia, necesse est. *1mo:* ut is, qui indulgentiam concedit, ad illam concedendam potestatem habeat. Quia indulgentiarum largitio est actus jurisdictionis, per eam siquidem reus â pæna subeunda absolvitur, requirit ergo ad id competentem potestatem, atque facultatem. *2do:* necessaria est justa causa illam concedendi, & quidem proportionata concessæ indulgentiæ. Quia potestas indulgentiarum, in ædi-

ædificationem Ecclesiæ à Christo concefsa est, non in destructionem. Porro indulgentiæ sine causa, & nulla ratione illas exigente concefsæ, in destructionem, & grave Ecclesiæ detrimentum vergerent. Sicuti enim declaravit Innocentius 3tius in Concilio Later, *per indiscretas, & superfluas indulgentias, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pænitentialis fatisfactio enervatur.* Hinc juxta edicta Romanorum Pontificum potestas concedendi indulgentias *ex justis & rationabilibus causis* exerceri debet. Porro causa justa, ac rationabilis ea est, quæ cum indulgentiarum distributione proportionem habet. Unde æque dissonum rationi est, pro modica causa indulgentiam magnam largiri, quam etiam modicam sine ulla causa concedere. Justæ vero ac rationabiles indulgentiarum causæ funt, Ecclesiarum constructio, atque illarum consecratio. Infidelium conversio. Hæresum extirpatio. Pacis publicæ atque procurandæ inter Principes concordiæ ratio. Belli, pestis extinctio. Christianæ plebis erga Sanctos pia devotio. Denique publica quævis fpiritualis, aut temporalis necefsitas, utilitasque. Verum quotiescunque indulgentia conceditur, femper pie credendum est, adefse justam ac rationabilem illius concedendæ causam.

Quæres 6to: Quando cefsant indulgentiæ?

Resp: Indulgentia cefsat. *1mo:* per revocationem ejus, qui illam concefsit, aut ipsius Succefsoris, Superiorisque. Verum indulgentia fubsistit, donec revocatio ipsius pervenerit ad locum, pro quo concefsa fuit. *2do:* cefsat, cum effluxit tempus, ad cujus decursum data fuit, exg. decennium, feptennium. Si etiam indulgentia concefsa fuerit, ut ad beneplacitum concadentis, perduraret, desinit ipsa per mortem illius, qui eam concefsit. Quodsi à Sede Apostolica ad illius beneplacitum concefsa fuerit, hæc morte Romani Pontificis, qui ipsam largitus est, non desinit, quia Sedes Apostolica non moritur. *3tio:* indulgentia, quæ rei alicui annexa fuerat, cefsat per ejus destructionem. Solet tamen indulgentia concedi cum hoc adjuncto, ut si amittatur, aut frangatur res illa, vg. imago, granumve, talem habens indulgentiam, pofsit aliud granum, vel alia imago in locum prioris cum eadem indulgentia fubstitui. *4to:* cefsant quandoque indulgentiæ, feu potius fuspenduntur ad tempus, propter concursum alterius indulgentiæ celebrioris, uti contigit tempore Jubilæi. Porro indulgentia pro certa die concefsa, exg. pro tali festo, femel tantum una, eademque die obtineri potest. Quæ

vero

vero concefsa est pro tota festi alicujus octava, singulis illius diebus lucrari potest. Hoc autem hic annotandum est, quod ex Decreto facræ Congregationis Indulgentiarum, *Translato festo, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concefsione speciali, id fuerit permifsum.*

Quæres 7mo: Quibus conceduntur indulgentiæ?

Resp: Indulgentiæ ab Ecclesia conceduntur. *1mo:* viventibus fidelibus, Ecclesiæ & Christo per charitatem conjunctis. Unde ab Ecclesia præcisi Hæretici, Excommunicati, tum etiam gravibus peccatis onerati, indulgentiarum participes non funt, quia priores, in bonis Ecclesiæ, à qua fejuncti funt, nullam habent partem, posteriores vero extra statum gratiæ positi funt, qui ad lucrandam indulgentiam omnino requiritur, non enim potest remitti pæna peccato debita, ipso peccato remanente.

2do: Mortuis fidelibus, quibus in Purgatorio aliquid expiandum fupereest, iis fcilicet indulgentias ab Ecclesia concefsas applicando. Verum illæ folum indulgentiæ defunctis applicari pofsunt, in quarum concefsione hoc est additum, quod per modum fuffragii etiam Defunctis applicari pofsint. Licet enim quilibet fidelis opus bonum à fe peractum pro Defunctis Deo offerre, & sic pro illis fatisfacere valeat, nemo tamen indulgentiam, cujus distributio penes Ecclesiam est, applicare potest, sine concefsione & indulto ipsius Ecclesiæ.

ARTICULUS 2dus

De iis quæ ad indulgentiarum consecutionem requiruntur.

Quæres 1mo: Quæ requiruntur ut quis concefsam indulgentiam consequatur?

Resp: Ad lucrandam indulgentiam, ut ea quis potiatur, requiritur. *1mo:* status gratiæ. Quia indulgentia est remifsio pænæ temporalis peccato debitæ. Porro pæna peccato debita remitti nequit, quamdiu ipsum manet peccatum. Hinc in Bullis indulgentiarum, hoc ponitur, quod fcilicet ipsæ concedantur *contritis, & confefsis,* aut *vere pœnitentibus.* Verum ut quis indulgentiam consequatur, necefse non est ut omnia ad illam afsequendam præscripta opera, in statu gratiæ exequatur. Sufficit ergo & requiritur ut ea adimpleat animo vere pænitenti,

& ut

& ut sit in statu gratiæ, cum ultimum ex præscriptis operibus exequetur. Nullum enim opus movere potest Deum, ad condonandam promeritam pænam, nisi vel in gratia fiat, vel ſaltem animo vere pænitente perficiatur. Certe quis cogitare potest hominem in affectu ad peccatum perseverantem, promereri apud Deum poſse remiſsionem pænæ istiusmodi peccato debitæ? Plenius tamen indulgentiam lucrantur, qui in statu gratiæ omnia præscripta exequuntur opera. Omnino autem neceſsarium est, ut ſaltem ultimum præscriptum opus in statu gratiæ perficiatur. Nam requiritur status gratiæ cum actu indulgentia applicatur. Porro indulgentia eo tempore applicatur, quo ultima conditio impletur, ſeu eo instanti, quo præscripta opera consummantur. Eo igitur instanti in statu gratiæ eſse debet, qui vult afsequi indulgentiam. Ex his autem hæc ſequuntur. *1mo:* eum, qui quædam ad consequendam indulgentiam præscripta opera cum affectu peccati mortalis perfecerat, indulgentiam non lucrari, nisi eadem repetat, vel purgata per Confeſsionem conscientia, vel ſaltem animo vere contrito, pie, ac religiose ea iterum adimpleat. Quodsi jam repeti nequeant, in alia pia opera à Confeſsario mutanda ſunt. *2do:* & quoniam vix contingit, ut quis omnem ad certas veniales culpas affectum, exuat, rariſsimum etiam est, ut ita lucretur plenariam indulgentiam, quatenus ab omni luenda pæna immunis evadat. Non tamen ideo indulgentias negligere debent illi, qui ſe in via virtutis languidos eſse advertunt, quia quas ex integro non lucrantur indulgentias, ex parte ſaltem percipiunt, quæ pars longe ſuperat opera, quæ vel ad lucrandam indulgentiam ex præscripto impleverunt, vel proprio etiam nutu perfeciſsent.

2do: opera ad lucrandam indulgentiam præscripta, adimpleri, & perfici debent, quia præscribuntur ut conditio, sine qua indulgentiæ lucrari nequeunt. Debent vero istiusmodi præscripta opera perfici. *1mo:* integre & totaliter, quia pro omnibus iis operibus plene, & integre adimpletis indulgentia conceditur, non vero pro parte illorum. Unde qui ſolum partem ex præscriptis operibus adimplet, neque partem indulgentiæ lucratur, nisi cuilibet operi divisim aſsignata sit indulgentia. Hinc ſequitur quod, qui opus aliquod injunctum, vel ejus notabilem partem omittit, & non adimplet, quamvis ex ignorantia, & oblivione, aut impotentia, nihil consequitur, quia non implet conditionem, ſub cujus onere conceſsa est indulgentia,

&

& concefsio atque indultum ultra intentionem concedentis non operantur. Si tamen omifsa operis injuncti pars, efset quid minimum, vg. in Rosario omifsum est unum *Pater* aut *Ave Maria*, non propterea quis indulgentia privaretur. 2*do*: perfici debent per eum, qui indulgentiam consequi desiderat, per alium vero si impleantur, indulgentia non ab illo, fed ab hoc obtinetur. Quia Bulla concedens indulgentiam, iis, qui ipsam consequi volunt, præscribit ut jejunent, orent, qui vero efficit ut alius jejunet, oret, ipse non jejunat, non orat. Ergo etiam indulgentiam non consequitur. Qui tamen per alium præscriptam eleemosynam tribuit, opus præscriptum adimplet, quia qui per alium de fuo pauperi benefacit, ipse eleemosynam dare censetur. 3*tio:* perfici debent tempore, loco, & ordine designato, quia sic fieri mandantur iis, qui indulgentiam consequi volunt. Unde si jejunium, aut aliud quodpiam opus certæ diei affixum sit, in aliam diem transferri nequit. Si oratio injungatur in hac Ecclesia, ubi folemnitas celebratur, in ea necefsario fieri debet. Quodsi vero opera præscripta non funt certæ diei affixa, & jam adimpleri nequeant, tunc â prudenti Confefsario commutari, vel etiam in aliud tempus differri pofsunt. 4*to:* si in Bulla, qua indulgentia conceditur exprefsa est intentio, qua præscripta opera perfici debent, exg. ut oretur pro concordia Principum, extirpatione Hæresum, curandum est, ut istiusmodi opera faltem generaliter juxta intentionem Ecclesiæ adimpleantur.

Unum hic addendum est, videlicet, dum juxta tenorem Bullæ indulgentia conceditur *contritis, & confessis*, non requiri confefsionem Sacramentalem iis, qui nullam mortalis peccati conscientiam habent, nisi exprefse Confefsio requiratur ut opus fejunctim imperatum. Quia dum generatim nonnisi Confefsio injungitur iis, qui indulgentiam adipisci volunt, ut medium ad consequendum statum gratiæ injungitur, sine quo indulgentia haberi nequit. Porro qui nullam mortalis peccati conscientiam habent, fupponuntur efse in statu gratiæ. Iis ergo ad lucrandam indulgentiam Confefsio Sacramentalis non omnino necefsaria est. Quodsi Confefsio Sacramentalis fpecialiter apposita sit, & veluti singulare opus, inter cetera ad consequendam indulgentiam afsignetur, sicuti alia præscripta opera, ita & Confefsio Sacramentalis perfici debet. Tutius attamen est, ut femper Confefsio Sacramentalis fiat ab iis, qui indulgentias lucrari volunt, quia vix discerni potest quan-

quando Confefsio præscribitur ut opus singulare ad consequendam indulgentiam prærequisitum, quando vero nonnisi ut medium ad comparandum statum gratiæ, & fæpius qui arbitrantur fe à peccato mortali immunes efse, eo vel maxime onusti funt. Ergo femper tutius, & fecurius est, ut qui indulgentiam consequi volunt, per Sacramentalem Confefsionem emundent conscientias fuas. Et id confirmatur Decreto Congregationis indulgentiarum 1759. lato, in quo annuente postea Summo Pontifice decisum fuit, Confefsionem Sacramentalem, quando in Brevibus indulgentiarum apponitur, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non funt, à qua tamen obligatione per posterius Decretum 1763. emanatum illi exempti funt, qui frequenti Confefsione, animam à peccatis expiare studentes, femel faltem in hebdomada ad Sacramentum Pænitentiæ accedere consveverunt, & nullius mortalis culpæ post ultimam Confefsionem admifsæ sibi conscii funt, ii enim omnes quascunque indulgentias sine actuali Confefsione lucrari pofsunt.

Quæres 2do: Qualia debeant efse istiusmodi ad consequendam Indulgentiam præscripta opera?

R sp: Cum præscribitur oratio, hæc debet efse vocalis, pia, ac religiosa, nec valet si fiat cum distractione voluntaria, aut cordis obduratione. Fieri etiam debet tempore, loco, & ex intentione, designatis. Si jejunium injungatur, illud fervandum est eo modo, quo alia observantur jejunia fecundum morem, & ufum loci. Si eleemosyna præcipiatur, hæc fieri debet juxta regulas prudentiæ, ita ut non detur quid minimum, fpectata facultate dantis. Demum si injuncta fuerit sacra Communio, hæc debet efse omni ex parte digna, ac devota, sacrilega non fufficit, & detestabilis est. Hæc vero omnia opera debent efse fupererogatoria, quare non fatisfit præscripto Bullæ, si fiant opera ad quæ quis jam alias tenebatur ex justitia videlicet, aut ex imposita sibi in Confefsione pænitentia perficere.

Quæres 3tio: Quæ necefsaria funt, ut Indulgentiæ Defunctis prosint?

Resp: Sequentia necefsaria funt. *1mo:* Ut pro Defunctis concefsæ sint. Si enim Indulgentiæ simpliciter *Fidelibus* concefsæ funt, Defunctis applicari nequeunt, quia per *Fideles* simpliciter nominatos, fideles vivi denotantur. Necefse est ergo, ut in Bulla, qua indulgentia conceditur scribatur *Fidelibus vivis & defunctis*, tunc enim

con-

conceſsæ Indulgentiæ etiam ad Defunctos extenduntur, iisque applicari poſsunt. *2do:* Ut vivens omnia ad consequendam Indulgentiam præscripta opera fideliter perficiat, & quidem ex intentione ut illa Defunctis prosint, ea ipsis applicando, ac tandem si non singula illa opera in statu gratiæ adimpleat, saltem ultimum illorum.

Quæres 4to. Quando incipiunt, & quando desinunt Indulgentiæ certis diebus affixæ?

Resp: Inspici debet conceſsionis tenor: Unde quando conceditur Indulgentia à primis vesperis ad solis occasum, ut concedi solet pro festis, hæc incipit hora, qua communiter vesperæ in iis locis decantari solent, & finitur postridie quando sol infra horisontem illius, aut vicini loci, descendit. Si vero Indulgentia conceſsa sit simpliciter pro certa aliqua die, exg. pro Feria 2da, vel 3tia ante Cineres, illa ſecundum communem uſum incipit à media nocte ilius diei, & similiter media nocte ſubsequente desinit.

Quæres 5to: Quæ circa Indulgentiarum usum, & illarum abusum scienda & annotanda ſunt?

Resp: 1mo: Indulgentia eadem, certæ diei affixa, semel tantum obtineri potest, non autem pluries, quamvis opera ad illam lucrandam præscripta iterentur. Ita decisum est â Congregatione Indulg: 1678. approbante Innocentio 11. Pariter etiam uno, eodem opere non poſsunt plures licetsi diversi generis ab eodem obtineri Indulgentiæ, sic exg. si quis habuerit duo Medalla, diversis Indulgentiis affecta, & uni sit annexa Indulgentia quadraginta dierum, alteri Indulgentia centum dierum obtinenda â recitantibus unum *Pater & Ave*, per unicam hujusmodi recitationem non lucrabitur utramque Indulgentiam, ſed debet duplicare talem recitationem, quia ad utramque illam Indulgentiam requiritur seorsiva, & iterata recitatio.

2do: Nullæ Indulgentiæ, etiam â Romano Pontifice conceſsæ publicari, & Populo fidelium proponi poſsunt, nisi ab Episcopo recognitæ, & admiſsæ fuerint. Sic statutum est in Concilio Tridentino Seſs: 21. Cap: 9. Semper igitur obtentæ Indulgentiæ prius Episcopo præsentari debent, & nonnisi habita illius facultate, & admiſsione, Fidelibus annuntiari poſsunt.

3tio: Graviter peccant qui annuntiant Indulgentias quæ vel nusquam conceſsæ fuerunt, vel quamvis aliquando conceſsæ fuerint, verum lapsu temporis desierunt, aut

jam

jam revocatæ ſunt. Sed & illi graviter peccant, qui Indulgentias quasi venales faciunt, & earum occasione turpes quæstus faciunt.

Quæres 6to: Quæ ſunt Indulgentiæ omnibus Fidelibus conceſsæ?

Resp: Sunt sequentes. *1ma*: Qui alios salutant, dicendo sive vulgari, sive latino sermone *Laudetur Jesus Christus* & qui respondent: *In sæcula sæculorum*, vel *Amen* aut *semper*, lucrantur singulis vicibus Indulgentiam centum dierum. Pariter devote, ac reverenter, nominantes Jesu, vel Mariæ nomen singulis vicibus consequuntur Indulgentiam Viginti quinque dierum. Qui vero talem piam retinent consuetudinem, & in articulo Mortis ore vel corde eadem sanctiſsima Nomine repetunt, indulgentiam plenariam consequuntur. *2da*: Qui recitant Litanias de Sanctiſsimo nomine Jesu, lucrantur Indulgentias trecentorum dierum. Recitantes vero Litanias B. V. Mariæ, lucrantur Indulgentiam ducentorum dierum. *3tia*: Qui ad Campanæ pulsum, devote, ac flexis genibus (exceptis toto tempore Paschali, & singulis totius anni diebus Dominicis à Vesperis Sabbati) mane, meridie, & vespere recitaverint, *Angelus Domini*, singulis vicibus lucrantur Indulgentiam centum dierum, & quolibet Mense, die ab ipsis eligendo, si contriti, confeſsi, sacram Communionem ſusceperint, plenariam obtinent indulgentiam. Gratiam hanc confirmavit Benedictus 14. Papa, ſed juſsit ut Paschali tempore, loco *Angelus Domini*: diceretur: *Regina Cæl*: cum versu & oratione consvetis, atque simul conceſsit, quod etiam à Benedicto 13. indultum erat, omnibus Religiosis Domibus, ut in iis commorantes prædictam Salutationem Angelicam differre poſsint post absolutos actus Religiosæ Communitatis, si cum in ipsis reperiuntur, contingat hora, et pulsus Companæ pro istiusmodi recitatione. *4ta*: Illi qui ſub horam noctis ad pulsum Campanæ recitant flexis genibus Psalmum *De profundis*, vel semel Oration m Dominicam, & Salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem æternam*: in ſuffragium Animarum in Purgatorio degentium, singulis vicibus lucrantur Indulgentiam centum dierum, & qui per annum præmiſsa peregerint, in uno die cujuslibet anni per unumquemque Christi fidelem ad ſui beneplacitum eligendo, si confeſsi, & sacra Communione refecti fuerint, indulgentiam plenariam consequuntur. *5ta* Conceſsa est Indulgentia centum dierum, pro singulis vicibus iis omnibus, qui singulis

gulis feriis sextis, hora tertia post meridiem, flexis genibus recitaverint, quinquies Orationem Dominicam & quinquies Salutationem Angelicam in memoriam Paſſionis & Agoniæ Christi Domini, pro qua recitatione ut Campana pulsetur, mandavit Benedictus 14. Papa. 6ta: Indulgentia plenaria à Clemente 13. 1765. anno concessa est omnibus Orbis Catholici Ecclesiis pro triduo expositionis SSmi Sacramenti in hebdomada sive Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, sive Quinquagesimæ, sive in singulis prædictis hebdomadis, vel in sola feria quinta infra hebdomadam Sexagesimæ.

CAPUT SECUNDUM

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Hic ea tantum de Beneficiis explanantur, quæ conscientiarum regimen, ac forum internum tangunt, iis omnibus prætermiſsis quæ forum externum respiciunt.

ARTICULUS 1mus

De natura, divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum, deque ad illa poſsidenda requisitis dotibus.

Quæres 1mo: Quid sit Beneficium Ecclesiasticum, & quotuplex?

Resp: Beneficium Ecclesiasticum est: *Jus perpetuum ac legitimum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico propter officium aliquod spirituale competens.* Beneficiarius ergo jus habet ad percipiendos fructus ex bonis Eccclesiæ, ſed non ad ipsa bona, quæ disperdere, alienare nequit. Hos vero de bonis Ecclesiæ fructus percipiendi Beneficiarius jus habet propter Officium quod ei annexum est, videlicet: Horas Canonicas recitandi, Missas celebrandi, Sacramenta administrandi, verbum Dei prædicandi, aliasque functiones Spirituales perficiendi. Ut enim docet Concilium Tridentinum Seſs: 21. Cap: 3. omne Beneficium propter aliquod officium

officium institutum est, & Cap: 15. de Rescript: in 6to dicitur: *Beneficium Ecclesiasticum datur propter officium.* Qui ergo officium non implet, ad percipiendos ex bonis Ecclesiæ fructus, jus nullum habet. Dividuntur autem Beneficia Ecclesiastica *1mo*: in Sæcularia, & Regularia. *Sæcularia* illa ſunt, quæ clericis sæcularibus competunt. *Regularia* quæ addicta ſunt Religiosis, iis videlicet: qui in aliquo Ordine vota solemnia emittunt, illiusque Regulam profeſsi ſunt. Beneficium præsumitur Sæculare, nisi probetur eſse regulare. Probatur autem Beneficium eſse Regulare vel ex Litteris fundationis illius, vel ex continua, ac pacifica ipsius per Religiosos poſseſsione. Ex iisdem à fortiori probatur Beneficium eſse Sæculare, nisi tamen Beneficium ex ſua fundatione Regulare datum sit Clerico Sæculari per Commendam, hæc enim statum antiquum Beneficii non mutat, ſed conservat.

2do: Dividuntur Beneficia in duplicia, & simplicia: Beneficia *duplicia* illa ſunt, quibus annexa est cura animarum, vel spiritualis jurisdictio in foro exteriori, vel aliqua præeminentia, vel denique administratio rerum Ecclesiasticarum. Talia ſunt Episcopatus, Parochiale Beneficium. Beneficia *simplicia* illa ſunt, quæ nihil horum adjunctum habent, scilicet neque curam animarum, neque aliquam jurisdictionem, aut præeminentiam, ſed solam Breviarii recitationem vel Miſsarum celebrationem adjunctam habent. Talis est Canonicatus, Capellania, & alia multa.

3tio: Beneficia dividuntur in collativa, patronata, & electiva. Beneficia *collativa* illa ſunt, quæ conferuntur per absolutam ac liberam Prælati, veluti Episcopi, voluntatem sine prævia alterius nominatione, sive præsentatione, & qui sic Beneficia conferunt, proprie, ac rigoroſe *Collatores* dicuntur. *Patronata* ea ſunt, quæ ad Patroni, qui apud nos vulgari lingua *Kollatorowie* nuncupantur, sive Laici, sive Ecclesiastici nominationem, præsentationemque ab Episcopo conferuntur, & nominati ab eo ab ipso instituuntur. *Electiva* ſunt, quæ per ſuffragia canonice electis conferuntur.

4to: Denique dividuntur Beneficia in compatibilia, & incompatibilia. Beneficia *compatibilia* ea ſunt, quæ posſunt simul teneri, & duo etiam simul poſsideri, atque istiusmodi ſunt Beneficia, quæ personalem Beneficiarii residentiam non exigunt, nec idem onus, ac officium eodem tempore persolvendum annexum habent: *Incompatibilia* illa

illa ſunt: quæ simul ab eodem poſsideri nequeunt. Et talia ſunt Beneficia Curata, ſeu Parochialia, tum illa, quæ personalem requirunt Beneficiarii residentiam, quemadmodum Episcopatus, aut denique, quæ in eadem Ecclesia instituta ſunt ad eundem finem, habentque idem onus ac officium eodem tempore persolvendum sibi annexum, ut duo Canonicatus in eadem Ecclesia.

Quæres 2do: Ad Beneficia Ecclesiastica poſsidenda, quæ requiruntur dotes, ac qualitates?

Resp: Ut aliquis capax, ac idoneus sit ad poſsidendum Beneficium, decem usque dotes, qualitatesque requiruntur. Hæc hic breviter explanantur. Et quidem imo legitimitas thori: Nam illegitime nati, sive naturales sint, sive ſpurii, ſunt incapaces Beneficii propter irregularitatem, à qua ſolus Romanus Pontifex dispensare potest ad omnes Ordines ſuscipiendos, & ad omnia Beneficia. Episcopus vero nonnisi ad primam tonsuram, minores Ordines, & ad Beneficium simplex capeſsendum. Id constat ex Cap: 2. *de filiis præsbyt*: in 6to.

2*do*: Clericatus, ſeu prima Tonsura, sine qua irrita est cujusvis Beneficii collatio. Quia Beneficium fundatur in officio ſpirituali, & propter illud confertur, cujus quidem officii incapax est Laicus. Si vero Beneficium ex ſua fundatione, aut ex Jure requirit certum sacrum Ordinem, carens illo Ordine est ad illud inhabilis, ex Cap: 22. *de electione*. Attamen ex consuetudine satis est, ut intra annum ille Ordo ſuscipiatur, ſed ultra differri non potest. Ita Concilium Trident: Seſs: 22. Cap: 4.

3*tio*: Ætas idonea, alioqui collatio est nulla. Hæc autem ætas varia requiritur pro varietate Beneficiorum. Ad Episcopatum requiruntur triginta anni completi. Ad Dignitates, & parochialia Beneficia annus vigesimus quintus inchoatus exigitur. Attamen ad Dignitates, quæ non habent annexam curam animarum, ſufficit annus Vigesimus ſecundus completus. Ad Beneficia simplicia annus Decimus quartus inchoatus. Id constat ex Concilio Trident: Seſs: 24. & 23. Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis jure novo requiritur annus Vigesimus primus.

4to Cælibatus; ita: ut si Clericus Minorum Ordinum ineat Matrimonium, ipso jure amittit Beneficium si quod habet. Et conjugatus ad Beneficia admitti non debet, *nisi forte castitatem voveret perpetuam, & qui unicam virginem habuiſset uxorem* Cap: 2. *de Clericis Conjug*:

5*to*: Immunitas à Censura & irregularitate etiam occul-

occulta, ita: ut nulla sit, non solum collatio Beneficii facta excommunicato, ſuſpenſo, vel irregulari, ſed etiam ejusdem eleotio, præſentatio, resignatio in ejus favorem facta: Id constat ex Cap. 7. *de Clericis excom:* Cap: 8. *de ætate* & Cap: 18. *de Sentent: Excom: in 6to.* Neophyti quoque ſeu recens ad fidèm conversi inhabiles ſunt ad Beneficia capeſsenda. Post biennium tamen ex Romani Pontificis, aut Episcopi dispensatione, si probatæ vitæ fuerint, poterunt ad Ordines & Beneficia promoveri.

6to: Morum probitas. Ratio namque ipsa dictat, Dei & Ecclesiæ Ministros maxime debere eſse virtutibus prædito s, cum alios monitis, & exemplis ad pietatem inflammare debeant.

7mo. Scientia, illa scilicet, quæ ad omnia munia Beneficio annexa rite obeunda requiritur, & ſufficit.

8vo: Corporis aptitudo, ea nempe, quæ ad officium decenter præstandum neceſsaria est. Hinc cæcus, mutus, ſunt incapaces Beneficii. Cæcitas tamen ſuperveniens non privat Beneficio, prius acquisito.

9no: Vocatio divina. Nam ad Deum pertinet ſua vocatione Ministros sibi eligere, alioquin qui sine divina vocatione Ministeria, & Ecclesiastica Beneficia arripiunt, periculo damnationis æternæ se exponunt. Cum Beneficiatorum status multis, ac graviſsimis obligationibus sit oneratus.

10mo. Intentio perseverandi in statu Ecclesiastico, & ſuscipiendi Ordinem muneri ſuo neceſsarium, nisi postea occurrat justa causa, quæ alium statum ſvadeat. Nam Ecclesiæ Beneficia pro iis dumtaxat instituta ſunt, qui Ministerio Ecclesiæ se mancipare voluerint, & qui hanc voluntatem non habent, sine tali proposito Beneficia ſuscipiunt, in re graviſsima Ecclesiam decipiunt, & Beneficiorum Fundatores defraudant. Quare qui Beneficium aliquod accipit animo ejus reditibus fruendi, donec studia absolverit, aut uxorem cum bona dote invenerit, mortaliter peccat, nec est abſolvendus, nisi vel animum mutet, vel Beneficium dimittat. Pariter & illi graviter peccant, qui Beneficium arripiunt, ut illud cum alio permutent, aut ex eo pensionem sibi reservent.

Imo qui Beneficia parochialia & curata accipiunt sine animo intra annum Sacerdotium recipiendi, ſed ea nonnisi voluntate illa acceptant, ut fructus ex illis per annum percipiant, & postmodum dimittant, non ſolum graviter peccant, ſed & ad restitutionem fructuum, quos ex tali Bene-

Beneficio perceperunt, obligantur. Quod constat ex Cap; 35. de Elect: in 6to. Quare Beneficium curatum adeptus, debet intra annum Sacerdotium ſuscipere, alioquin, nisi justa causa impeditus fuerit, Beneficio illo ipso facto privatur, propterea, qui sine tali animo Beneficium parochiale acceptat, ante omnem ſententiam Judicis fructus illius restituere tenetur, nisi mutata voluntate Sacerdotium ſusceperit. Pariter qui Beneficium etiam simplex recepit requirens sacrum ordinem, & animum non habet illum recipiendi, peccat mortaliter. Nihil enim absurdius est, quam Ecclesiasticum recipere Beneficium, quod divino obsequio est destinatum, illius fructus percipere, & interim, neque velle, neque curare ut ad illud perficiendum aptus efficiatur, ſed ſuis tantummodo terrenis servire emolumentis. Et hæc ratio probat, quod etiamsi Beneficium simplex nullum sacrum requirat Ordinem, qui illud fraudulenti ſuscipit animo, sine vera & sincera voluntate Deo, & Ecclesiæ debitum exhibendi famulatum, graviter peccare. Quia hic turpis intervenit fraus & dolus, qui à peccato gravi immunis non est.

ARTICULUS 2dus

De variis acquirendi Beneficia modis.

Quæres 1mo; Quot modis Beneficia Ecclesiastica acquiruntur?

Resp: Beneficia Ecclesiastica ſex modis acquiri poſſunt, scilicet. *1mo*: Patroni præsentatione, & ſubsecuta institutione. *2do:* Electione, ac electi confirmatione. *3tio*: Postulatione, & confirmatione. *4to*: Libera collatione. *5to*: Permutatione. *6to:* Resignatione cum ſubsecuta collatione.

Quæres 2do: *Quid sit Præsentatio?*

Resp: Præsentatio est personæ idoneæ nominatio, vel Episcopo, vel alteri, ad quem institutio ad Beneficium spectat, legitime facta per Patronum, qui ad id jus legitimum habet, quod jus patronatus vocitari ſolet, & sic definitur: *Potestas nominandi Clericum ad Beneficium sive per mortem, sive per ceſsionem vacans poſsidendum.* Nominatio siquidem, ſeu præsentatio ad Beneficium quod nondum vacat, irrita est, & nulla ex Cap: 2. *de Conces: Præbendæ*: hæc enim præbet occasionem desiderandæ mortis Beneficium poſsidentis & ob hanc causam prohibita est

etiam

etiam promiſsio Beneficii antequam vacet. Quod si tamen fiat: nulla est talis promissio, & inde ſubsecuta Provisio.

Jus autem Patronatus duplex est, Ecclesiasticum; & Laicale. Jus patronatus *Ecclesiasticum* est illud, quod competit personæ Ecclesiasticæ vel ratione Beneficii, sive Dignitatis, quam habet, vel quia ex bonis Ecclesiasticis, fructibusve eorum Ecclesiam fundavit, extruxit, aut dotavit. *Laicale* est illud, quod competit personæ Laicæ, aut instar Laicæ se habentis, quæ scilicet ex bonis sæcularibus Beneficium erexit, Ecclesiamve fundavit. Unde Ecclesiasticus potest jus Patronatus Laicale habere; si vel ipse; vel ejus Prædeceſsores ex bonis Patrimonialibus Beneficium, aut Ecclesiam fundaverit. His additur Patronatus *mixtus*, qui competit Communitati, aut Confraternitati ex personis Ecclesiasticis, & Laicis, compositæ.

Duo autem ſunt utriusque Patronatus discrimina. *1mo*: Patronus Laicus ad præsentandum habet tempus quadrimestre dumtaxat. Ita statutum est. Cap: unico *de jure patron*: in 6to. Ecclesiasticus vero sex habet menses, Mixtus pariter sex Menses: Et hoc tempus, juxta plurimos Canonistas currit non à die vacationis Beneficii, ſed à die habitæ notitiæ de obitu Beneficiati, aut quæ haberi potuerit. Quodsi intra id tempus Patroni non præsentaverint, potest Episcopus cui voluerit Beneficium conferre. Non currit tamen istud tempus 1mo: si lis sit inter Episcopum, & Patronum de jure præsentandi. 2do Si lis sit inter præsentatos, quia nimirum plures ſunt præsentati. Quando vero lis est inter ipsos Patronos, & tempus currit, & si elapsum fuerit, collatio Beneficii devolvitur ad Episcopum, qui tamen illud tempus prorogare potest.

2do: Patronus Laicus variare potest, hoc est vel plures simul, è quibus Episcopus unum pro libitu ſuo eliget, vel unum post alterum præsentare valet. Sed non valet variare nisi semel, neque excludere potest eum, quem prius præsentaverat. Tunc ergo Episcopus potest cuicunque ex præsentatis Beneficium conferre. Postquam vero semel data est institutio ad Beneficium, jam Patronus variare non potest. Si vero Patronus Laicus scienter indignum præsentaverit, variare non potest, ſed pro hac vice excidit à jure præsentandi. Si nesciens incapacem, indignum præsentavit, potest vel alium dignum, vel eundem; nondum finito quadrimestri de novo præsentare, si inca-

pacitas ipsius cessaverit. Patronus autem Ecclesiasticus unica præsentatione Episcopo notificata jus suum totum exhaurit, neque variare potest, unde si indignum scienter, vel ignoranter præsentaverit, alium præsentare non potest. Nominatio autem ad Beneficium, etiam subscripto Instrumento facta, non tam præsentatione, quam pro præsentandi proposito reputatur, quamdiu Episcopo rite non est notificata. Unde præsentatio, quæ rite Episcopo non est notificata, non obstat, quominus Episcopus elapso tempore Patronis ad præsentandum concessis, pleno jure conferat Beneficium cui voluerit. Et Patronus Ecclesiasticus, qui indigno instrumentum præsentationis subscripsit, cum illud Episcopo rite non est notificatum, potest alium deinceps, qui dignus est præsentare, illiusque institutionem urgere. Præterea si præsentatus præsentationem acceptare nolit, aut ante institutionem moriatur, Patronus Ecclesiasticus alium nominare potest.

His sequentia addenda sunt. *1mo*: Si duo, pluresve Patroni, diversas personas ad idem Beneficium nominaverint, & sint æqualia illorum suffragia, potest Episcopus cui voluerit, semper tamen digniori, Beneficium conferre. Cum vero numero plures Patroni in unam personam consentiunt, aliis licet dissentientibus, præfertur ille, pro quo stat maior Patronorum pars. Ita statutum est Cap: 3. *de jure Patronatus*. *2do*: Patronus non potest seipsum ad Beneficium præsentare ex Cap: 25. *de jure patron*: sed potest filium suum nominare, si idoneus sit, modo non sic, ut filius immediate Patri succedat, Episcopus autem motu proprio potest Beneficium illius Patrono conferre. Cum etiam multi sunt Patroni, unus alium præsentare potest, modo capacem, quia tunc præsentatio, est veluti electio quædam, in qua aliqui, qui eligere possunt, possunt etiam eligi. *3tio*: Beneficium à Patrono Laico pendens, nec in favorem alterius resignari, nec permutari, neque pensione gravari potest, sine ipsius consensu, quod aliter factum fuerit, caret robore.

Quæres 3tio: *Quomodo acquiritur jus Patronatus?*

Resp: Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus. Et quidem *Dos*, assignatis Ecclesiæ sufficientibus reditibus. *Ædificatio* seu Ecclesiæ constructio. *Fundus*, hoc est donatio solii seu areæ ad ædificandam Ecclesiam. Quamquam probabilior opinio teneat, per solius Areæ concessionem non acquiri jus Patronatus. Si tamen tres simul ad Ecclesiæ fundationem concurrant, primus ipsam con-

struen-

struendo, secundus dotando, tertius Aream ad eam ædificandam concedendo, ii omnes in solidum Patroni efficiuntur. Non acquiritur tamen jus patronatus, nisi Ecclesia dotetur, quia nulla Ecclesia, nullum Beneficium sine reditibus ſubsistere potest. Sed & aliis modis potest acquiri jus Patronatus, scilicet præscriptione, & ceſsione. Et quidem *præscriptione*, cum quis per tempus immemorabile ad aliquod Beneficium præsentaverit, & præsentationes ejus admiſsæ fuerunt. *Ceſsione*, potest enim Patronus, vel ſuo Compatrono, vel alicui Communitati, vel cuivis alteri jus ſuum, non quidem vendere, quod Simoniacum foret, ſed cedere, modo accedat consensus Episcopi. Transit quoque Jus patronatus jure hæreditario, ac donatione cum re vendita. Ipsum enim in seipso ſpectatum venditioni non ſubjacet. Non potest autem Patroni ſucceſsor mutare naturam ſeu conditiones Beneficii, quia ultima voluntas Fundatoris modis omnibus observari debet. Imo nequidem ipse Fundator, si jam perfecta sit fundatio, quidquam in deterius mutare valet. Potest tamen vel ipse, vel ejus ſucceſsor. novas apponere conditiones, quæ Ecclesiæ utiles sint, modo accedat consensus Episcopi.

Quæres 5to: Quæ ſunt jura, & onera Patronorum?

Resp: Jura Patronorum hæc ſunt. *Honor*: quia primum locum in Ecclesia habere debet. *Jus præsentandi*, quia ipse nominat dignum ad poſsidendum Beneficium. *Utilitas*: si quidem ad egestatem pervenerit, ali debet, & adjuvari ex Ecclesiæ bonis, secundum qualitatem ſuam, & collata ab eo beneficia. Onera vero ſunt. *1mo*: Debet Ecclesiam tueri, ac defendere. *2do*: De dignis Ministris Ecclesiæ providere. Porro ille dignus Ecclesiæ Minister censeri debet, qui cum omnibus corporis, animi, & gratiæ necesſariis dotibus præditus sit, ardenti gloriæ Dei, ſuæ, & aliorum salutis zelo accensus est. Indignus vero est, qui ad Ecclesiasticas functiones præstandas propter pravam vitam, ignorantiam, animi, aut corporis morbos, aliaque id genus impedimenta, ineptus est. Sed & ille pro indigno censendus est, qui bona inhiat temporalia, multo maiore in familiæ ſuæ augmentum, quam in Domus Dei decorem zelo movetur, ludis indulget, & epulis, periculosis, ac perniciosis conversationibus se immiscet, vitamque tepidam, ac otiosam ducit.

Quæres 6to: An semper digniores ad Beneficia Ecclesiastica præsentari, & eligi debeant?

Resp: 1mo: Qui Beneficium etiam simplex confert indigno, eumque præsentat, aut eligit, peccat mortaliter, quia ex malis, & indignis Ministris, omnia Ecclesiæ mala proveniunt, divini scilicet cultus negligentia, redituum Ecclesiasticorum dissipatio, Ecclesiarum ruina, ac totalis desolatio. Certe Beneficium datur propter officium. Si ergo ad officia sæcularia indignos assumere peccatum est, à fortiori grave est peccatum ad Officia Ecclesiastica indignos promovere. Unde Concilium Lateran: 4. sic habet: *Grave nimis & absurdum est, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus neque morum honestas, neque litterarum scientia suffragatur, unde quanta Ecclesiis damna proveniant nemo sanæ mentis ignorat.* Unde ibidem sic mandatur: *Præcipimus ut prætermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo, & Ecclesiæ velint, & valeant gratum impendere famulatum.* & Concilium Trident: Sess: 7. Cap: 3. statuit. *Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio omnino irritetur.*

Hinc mortaliter peccant 1mo: Episcopus si indignum etiam à Patrono præsentatum instituat, quia eum repudiare potest, & debet. 2do: Patronus qui viro sibi incognito ad Beneficium præsentationem tribuit, non enim sufficit, ut nihil mali de præsentato noverit, sed requiritur ut moralem de illius idoneitate certitudinem habeat. Quare Episcopus conferens Beneficium, Patronus, Elector, cui jus competit ad Beneficium eligendi, debent positive scire eum, cui Beneficium dandum est, reipsa illo dignum esse, & tenentur diligenter inquirere num sit ad illud idoneus, alioqui se exponunt periculo præsentandi, aut eligendi indignum ac incapacem.

2do: Peccat mortaliter qui omisso digniore, præsentat, eligit, etiam dignum ad Beneficium annexam habens curam animarum, vel jurisdictionem, vel magni momenti functionem, ut docendi, prædicandi. Quia Patroni, Electores, atque Beneficiorum Collatores qui ad ea instituunt, graviter tenentur tum ex officio, tum ex fide Ecclesiæ sic distribuere, quemadmodum bonum Ecclesiæ, & animarum, ad quod instituta sunt, exigit, atque utilitatem Ecclesiarum, Beneficiorum commodum, cultus divini augmentum quantum possunt, promovere obligantur. Hoc autem non præstant, dum minus dignos eligunt, præsen-

tant. Nam notabili fructu per digniores præstando, Ecclesias defraudant. Imo dant causam gravi ſpirituali damno, atque detrimento, quod ſemper sequitur ex prælatione minus digni. Et hoc ita decisum est à Concilio Trident: Seſs: 24. Cap: 1. de Refor: his verbis: *Omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcunque jus habent, alienis peccatis communicando mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, & quos vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, præfici curaverint.* & Cap: 18. de Parochis eligendis hæc mandat: *Episcopus ex dignis eligat digniorem.* Cum vero quidam Casuistæ per digniores à Concilio Trident: nominatos, intelligi vellent simpliciter dignos, eorum doctrinam veluti scandalosam, & in praxi perniciosam, damnavit Innocentius 11mus.

Quæres 7mo: Sed quid si quis Beneficium Simplex conferat simpliciter digno, prætermiſso digniore?

Resp: In casu etiam Beneficii simplicis peccat mortaliter, qui digniorem prætermittit. Quia omnes Beneficiati ſunt Ecclesiæ Ministri, ad functiones ſacras perficiendas aſsumpti. Jam vero in Ministros Ecclesiæ ſemper digniores assumi debent, & sacræ functiones per minus dignos deteriore modo peraguntur. Ad quodcunque igitur Beneficium ſemper digniores, & aptiores aſsumi debent.

Sunt tamen casus, in quibus sine peccato Beneficium simpléx minus digno conferri potest. Quando nimirum id postulat charitas, vel alia justa causa ad majus bonum Ecclesiæ ſpectans, & in illius commodum redundans. Et quidem 1mo: si alimenta ſubministranda ſunt Parocho infirmo, qui utpote officio jam impar ab animarum cura removeri debet. Pariter si quis Sacerdos aut Clericus non aliter ex inopia relevari poſsit, quam si ei conferatur aliquod Beneficium simplex, quia Beneficia etiam instituta ſunt ad pauperum ſustentationem. & tunc paupertas Clerici in partem causæ transit, propter quam ei Beneficium confertur.

2do: potest Episcopus instituere dignum, qui sibi à Patrono præsentatur, licet alios noverit illo digniores, qui prætermiſsi ſunt, quia non potest eum, qui à Patrono præsentatur, reijcere, modo dignus sit. Idem dicendum est si electio fieri debeat ex personis certæ Communitatis, tunc enim quamvis extra prædictam Communitatem digniores reperiantur, ex hac etiam minus dignus aſsumi potest, cum in ea dignior non reperitur. Pariter si ele-

ctio

ctio prorsus indigni aliter impediri nequit, nisi per afsumptionem hujus, licet aliis minus dignus sit. Quia utilior est Ecclesiæ dignus, licet minus, quam prorsus indignus. Ex his fequitur illum quoque, qui fuum Beneficium resignat in favorem alterius, aut illud permutat cum alio, digniorem omnino eligere debere. Quia fe habet instar Patroni, cum id fua resignatione permutatione efficiat, quod Patronus præstat, fcilicet ut huic & non alteri Beneficium conferatur, unde est causa omnium malorum, quæ ex collatione Beneficii minus digno consequuntur, atque propterea peccat, istiusque peccati omnes quoque rei funt, qui talem resignationem, aut permutationem, procurant, eamque promovent.

Quæres 8vo: Utrum ad restitutionem teneatur, qui indignos ad Beneficia promovent, vel dignos præferunt dignioribus?

Resp: 1mo: Æqualiter ad restitutionem tenetur, promovens, & promotus. Quia utérque est vera causa omnium malorum quæ inde patitur Ecclesia. Hinc promotus, qui officium fuum implere nequit, debet & perceptos Beneficii fructus restituere, & ipsum Beneficium dimittere.

2do: Si Beneficium ex concursu dari debeat, quod in nostris Regionibus vix practicatur, restitutio fieri debet digniori, qui prætermifsus est. Posito namque concursu, is jus strictum habuit ad Beneficium obtinendum. Ergo qui ei Beneficium negat, injuriam ei facit, quam reparare tenetur. Si vero Beneficium ex concursu dari non consuevit, fed detur ex præsentatione, electione, restitutio facienda est, non ei, qui licet dignior prætermifsus est, quia jus strictum ad Beneficium non habuit, fed Ecclesiæ, cui, ad Beneficium promotus præficitur; ei siquidem injuria fit, & ipsa non modicum læditur. Hæc vero restitutio fiet, si idonei minus digno ad Beneficium promoto accerseantur Adjutores, qui diligentia fua compensent id, quod ex focordia, & minori idoneitate Promoti, mali evenire potest.

Quæres 9no: Quid sit electio ad Beneficium?

Resp. Electio est per datum fuffragium designatio personæ ad vacans Beneficium obtinendum. Per electionem acquiritur jus ad rem, hoc est ad capefsendum Beneficium, jus vero in re, hoc est in ipso Beneficio, acquiritur fola confirmatione, quæ electionem consequitur. Quare si quis absque confirmatione immisceat fe administrationi Beneficii, censetur intrusus, & amittit jus, quod per ele-

ctio-

ctionem acquisierat. Ita statutum est Cap: 5, de Election: in 6to.

Confirmatio vero est concefsio juris in Beneficio facta á Superiore, veluti ab Episcopo, ei, qui electus est. Porro electus, fecluso impedimento, debet intra tres Menses à notificata, & acceptata electione, Confirmationem petere, alioqui electio est irrita. Sic habetur Cap: 6. de Elect: in 6to.

Quœres xomo: Quid sit Resignatio, & permutatio Beneficii?

Resp: Resignatio, est juris fui cefsio, sive libera, ac fpontanea Beneficii dimifsio facta coram legitimo Superiore eam acceptante, fcilicet Papa, vel Episcopo. Libera autem ac fpontanea efse debet, quæ enim foret per injuriam extorta, nulla est, aut certe annulanda. Hæc autem Beneficii cefsio vel fit *tacite*, cum Beneficiatus, exg. minor clericus, uxorem ducit, aut militiæ adscribitur, & ter monitus nolit arma deponere, vel *exprefse*, disertis fcilicet verbis, & hæc duplex est, *pura*, quæ fit sine conditione, & *conditionalis*, feu in favorem alterius, quæ fcilicet fit ea conditione ut Beneficium à Resignante designato conferatur, eaque vel est *simplex*, cum fit absque reservatione, vel *qualificata*, quando fit reservato sibi jure regrefsus ad idem Beneficium, vel reservata pensione ex eodem Beneficio sibi folvenda, sive certis illius fructibus retentis, sive denique causa permutationis.

Permutatio est Beneficii unius cum alio commutatio, sive similia, & conformia sint, sive non. Permutatio Beneficiorum tunc tantum legitima, & licita est, cum primarius illius finis intenditur, & præ occulis habetur, fcilicet Ecclesiæ bonum, atque utilitas.

Quœres xxmo: Quæ circa Resignationem Beneficiorum observanda funt?

Resp: Sequentia observari debent. *xmo:* Resignatio pura, sine ullo onere, & absque ulla apposita conditione fieri potest coram Episcopo, in manus ejus Beneficium dimittendo. Qui sic Beneficium resignat, non potest in instrumento fuæ dimifsionis nominare eum, quem sibi fuccefsorem dari exoptat, quamvis non uteretur clausula, *non alias, non aliter, non alio modo*, potest tamen Episcopum rogare, ut tali conferat Beneficium, fed illæ preces nullam imponunt necefsitatem, ut huic potius quam alteri conferatur Beneficium. Resignationes vero in favorem tertii aut cum reservatione pensionis, aut quocunque modo con-

conditionatas, & onerosas Episcopus acceptare nequit, ſed ſolus Romanus Pontifex.

2do: Ut resignatio etiam simplex sit licita, debet fieri ex justa causa, bonum Ecclesiæ, vel ſpiritualem Resignantis utilitatem ſpectante. Has Pius 5. Papa in ſua Constitutione anno 1568. emanata enumerat, ſuntque ſequentes. *1mo:* si Beneficiarius sit ſenex, ſeptuagenario proximus vel major. *2do:* si sit valetudinarius. *3tio:* si est corpore impeditus, paraliticus, apoplecticus, mutus, ſurdus. *4to:* si plura Beneficia obtinuerit incompatibilia. *5to:* si aliquem Ordinem Religiosum ingreſsus sit. Duas autem conditiones in istiusmodi Resignationibus idem Pontifex observandas eſse decernit ne Beneficia resignata quocunque modo, aut circuitione conferantur consanguineis, affinibus Resignantium. *2do:* ne promiſsio, aut conventio aliqua interveniat inter Resignantes, & Collatores, vel Præsentatores.

3tio: Ut resignatio in favorem tertii vel ſub onere pensionis sit valida, requiritur. *1mo:* ut Beneficium sit Resignantis. Nam resignatio est ceſsio ſui juris. Quod si Resignans commiserit delictum, ob quod certo privabitur ſuo Beneficio, modo non teneatur illud dimittere ante ſententiam Judicis, Resignatio ante illam facta valebit, ſed potest irritari. *2do:* ut in manus Papæ fiat. Nam Resignationes in favorem, & omnes pactiones in Beneficiis Jure communi fieri prohibentur. Cum itaque in his ſolus Romanus Pontifex dispensare valeat, tantummodo in manus illius tales Resignationes fieri, & ab ipso ſolo acceptari poſsunt. Debet itaque istiusmodi Resignatio acceptari à Papa, quodsi non acceptetur, Resignans non perdit jus ſuum. Debet quoque Resignatio acceptari ab eo, in cujus favorem resignatio fit, alioqui Resignans non amittit jus ſuum, quia non resignat nisi ſub conditione si acceptetur.

4to: Resignatio Beneficii cum reservatione pensionis ut licita sit, requiritur quoque justa causa, quæ est indigentia Resignantis, neque alia eſse potest. Reditus siquidem Beneficii, ita ſunt Beneficio annexi, ut corpus animæ, ideoque natura ſua pertinent ad eum, qui Beneficium poſsidet, ut poſsit ex eis honeste vivere pro ſuo ordine, simulque sustinere queat impensas pro divino cultu, & Templi, ſacrarumque ædium reparatione neceſsarias. Hinc ipsa Resignatio Beneficii, non est justa causa pensionis exigendæ, quia jus percipiendi fructus Beneficii fundatur

in

in Officio, quod resignans dimittit, & in alium transfert. Ratione autem Officii præteriti, nihil potest exigere, cum propter illud reditus jam perceperit.

5to: Benedictus 14. Papa Const: quæ incipit: *In sublimi:* Resignationes Beneficiorum cum reservatione pensionis, & pacto eam casſandi per anticipatas, vel anticipandas solutiones, damnat, & annullat, adjecta pæna privationis Beneficii, & inhabilitatis ad alia asſequenda, & restitutionis pecuniæ pro caſsatione pensionis perceptæ, atque irritantur istiusmodi caſsationes & extinctiones pensionum, ac ceſsionis commodi pensionis exigendæ.

Quæres 12mo: Quæ præterea circa Resignationes ſcienda, & annotanda ſunt?

Resp: Præter illa, quæ jam adducta ſunt, hæc circa Beneficiorum Resignationes ſcienda, & annotanda ſunt: *1mo:* Post resignationem etiam in favorem tertii factam, Beneficium neque à Papa conferri poſse sine ſcitu, & consensu Patroni, si Beneficium habeat Patronum laicum. *2do:* Beneficium in favorem tertii resignatum, ei, in cujus favorem resignatum est, conferri debere, non alteri, alioqui collatio Beneficii non valebit, quia resignans ſub hac conditione resignare censetur, ut huic conferatur, & non alteri. *3tio:* si Beneficium resignans sit infirmus, debet ſupervivere viginti dies post factam resignationem, alias censebitur Beneficium vacare per obitum, non per resignationem, ac proinde vigore illius facta Beneficii collatio irrita est, & nulla. Insuper ex jure communi non licet infirmo, in periculo mortis constituto ſuum resignare Beneficium ſub conditione regreſsus ad illud, si convalescat. Quod & Pius 5. Papa in ſua Bulla confirmavit. *4to:* tandem in Curia Romana non acceptatur resignatio Beneficii curati, nisi Resignans per tres annos illi inservierit.

Quæres 13tio: Quomodo permutatio Beneficiorum fieri debeat?

Resp: Permutatio Beneficiorum, valde affinis est Resignationi in favorem tertii factæ. Permutatio enim est quædam mutua, & reciproca beneficiorum resignatio, quæ adinvicem inter permutantes fit. *1mo:* igitur in facienda permutatione observare neceſse est, ut nunquam sine justa causa fiat. Multæ vero poſsunt eſse permutationis causæ, veluti loci intemperies, unde Beneficiario graves obveniunt infirmitates, inimicitiæ graves sive cum Patrono Ecclesiæ, sive cum Incolis loci, damna ſpiritualia,

vel

vel etiam temporalia gravia ratione talis Beneficii imminentia. Ex his autem omnibus ad cohonestandam permutationem, una exurgere debet causa quæ ſola ſufficere potest, ſcilicet major Ecclesiæ utilitas.

2do: permutatio Beneficiorum propria authoritate fieri nequit, ſed vel à Papa, vel ab Episcopo admitti, & recognosci debet, neque permutationes Beneficiorum quæ Juri patronatus ſubsunt, sine ſcitu, & consensu Patroni fieri poſsunt.

3tio: si permutatio fiat sine ullo adjecto onere, hæc ab Episcopo admitti potest: Si autem permutatio fiat cum adjectione oneris, vel pensionis, requiritur authoritas Romani Pontificis, quia Beneficia conferri debent sine diminutione redituum, & sine onere quod iis de jure non inest. Quod si beneficia sint inæqualia, quoad dignitatem, jurisdictionem, simonia erit hanc inæqualitatem per aliquid temporale compensare, quia hæc dignitas, aut jurisdictio est quid ſpirituale, & tunc res ſpiritualis æstimaretur, & compensaretur re temporali, quod aperte simoniacum est. Si vero inæqualia sint quoad reditus, & fructus, Papa potest ad inæqualitatem compensandam imponere pensionem Beneficio pinguiori tamquam conditionem ut alter indemnis ſervetur.

ARTICULUS 3tius

De vacatione Beneficiorum.

Quæres 1mo: Quotupliciter Beneficium vacare censetur?

Resp: Beneficium vacare dicitur, cum jam ab eo poſsideri nequit à quo antea poſsidebatur. Aliquando autem Beneficium vacat *ipso facto*: aliquando *ipso jure*: & hæc duo plurimum inter ſe differunt, cum enim Beneficium vacat *ſolo jure*, potest adhuc Beneficiarius ipsi renuntiare, sive simpliciter, sive in favorem tertii, re adhuc integra, idest si nemo alius â Papa, vel ab Episcopo idem Beneficium definitive impetraverit, ſed cum Beneficium vacat *ipso facto*, non relinquitur renuntiationi locus. Unde Beneficium hoc statim dimittendum est, nisi obtineatur ejusdem retinendi dispensatio, aut circumstantiæ non patiantur illud statim dimitti, quod ſæpius evenire potest, ut si vg. Parochus cedere Beneficio nequit sine

gravi

gravi populorum ſcandalo, qui ex ejus renuntiatione colligent eum grave aliquod commisiſse crimen, cujus jam ſuspectus est, & propter quod præsumi poterit Beneficio privari.

Quæres 2do: Quando Beneficium vacare censetur?

Resp: Beneficia quatuor modis amittuntur, atque vacare censentur. *1mo:* per naturalem mortem Beneficiati. *2do:* libera resignatione, à Superiore, Papa ſcilicet, vel Episcopo facta, & acceptata. *3tio:* per ſententiam Judicis propter crimen quod juxta Canones tali privatione puniendum est. *4to:* per alterius Beneficii cum priore incompatibilis conseoutione, nisi obtineatur à Papa Breve retentionis. *5to:* per Religiosam Profeſsionem. *6to:* per Matrimonium etiam nulliter attentatum, exg. à Sacerdote. *7mo:* per commiſsum crimen cui ipso jure annexa est Beneficii privatio, qualia ſunt hæresis, simonia, ſodomia, homicidium per pretio conductum siccarium perpetratum. Attamen reus istiusmodi Criminum, non tenetur statim ante ſententiam Judicis declaratoriam Criminis, Beneficium ſuum dimittere, nisi hoc expreſse habeatur in Jure constitutum. Sed tunc ſententia Judicis declaratoria retrahitur ad diem commiſsi criminis, ita ut non ſolum omnes Beneficii fructus ab illo die percepti amittantur, ſed etiam resignatio vel permutatio illius post admiſsum crimen facta, rescindi poſsit.

Quæres 3tio: Quid sit. & utrum licitus sit regreſsus?

Resp: Regreſsus est reditus ad Beneficium ante habitum, atque legitime poſseſsum, quod quis resignavit, permutatione, vel alio quovis modo amiserat. Regreſsus ad Beneficium est omnino à Concilio Tridentino prohibitus Seſs: 25. Cap: 7. his verbis: *Cum in Beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ succeſsionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, nemini in posterum acceſsus, aut regreſsus, etiam de consensu ad Beneficium Ecclesiasticum, cujuscunque qualitatis concedatur.* Id ipsum etiam vetitum est à S. Pio 5. Papa in Bulla quæ incipit. *Romani Pontificis.* Hinc ei qui ex gravi morbo in periculo mortis versatur, non licet resignare Beneficium ſub conditione etiam tacita regreſsus, si convalescat. Sed ideo Resignans manet in poſseſsione, & administratione Beneficii, donec Resignatarius Beneficii poſseſsionem ceperit.

CA-

CAPUT TERTIUM

De Simonia.

Peccatum Simoniæ sic dictum est, à Simone Mago, qui primus, quemadmodum habetur Actorum Cap: 8. Apostolis obtulit pecuniam, ut ab eis acciperet potestatem communicandi cuicumque vellet dona Spiritus Sancti. Peccatum in se grave, & Ecclesiæ valde perniciosum.

ARTICULUS 1mus

De natura, & multiplici Simoniæ divisione.

Quæres 1mo: Quid sit Simonia?

Resp: Simonia est: *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Porro per emptionem, ac venditionem intelligitur hic quilibet contractus onerosus. Sicut enim Simoniacus est qui ex parte dat alicui Beneficium, ut ille ipsi det equum, ita pariter Simoniacus est, qui convenit cum aliquo ut ipse eligatur in Decanum, & ille ab eo in Præpositum. Quamquam vero Simonia ut plurimum committatur cum aliquid pretio æstimabile detur pro spirituali, committitur tamen etiam Simonia quolibet contractu minime gratuito. Imo etiam vera Simonia est, si quis post collatum spirituale, vel spirituali annexum, nullo etiam præcedente pacto dat vel exigit aliquid temporale tamquam debitum, vel ut pretium, mercedem, sive compensationem. Nam tunc facto ipso, temporale æquiparatur ſpirituali, quasi eſset illius pretium, & ideo Ss. Patres Giezi servum Elizei Prophetæ Simoniæ arguunt, quod pecuniam pro curatione lepræ miraculose facta petierit, & acceperit. Pariter Simonia est, quando quis intendit pervenire aut pervenit ad ſpirituale, vel ſpirituali annexum contra Ecclesiæ leges. Per spirituale autem id omne denotatur quod est ſupernaturale ad cultum Dei, & animarum ſalutem ordinatum, qualia ſunt Sacramenta, Sanctorum Reliquiæ, omnis item potestas ſpiritualis, & illius

illius usus, veluti actus Ordinis & jurisdictionis Ecclesiasticæ. Quædam etiam temporalia ſunt, quæ adeo ſpirituali annexa ſunt, ut hæc vendi non poſsint, quin illud etiam vendatur. Sic vendi nequit, quod est in Beneficio temporale, quin etiam vendatur quod est ſpirituale.

Hinc ergo dupliciter Simonia committitur. *1mo:* Cum res ipsa ſpiritualis emitur, venditur. Res vero ſpiritualis, atque ſupernaturalis, vel est *formaliter*, ac per eſsentiam talis, veluti gratiæ divinæ, character, per Sacramenta animæ impreſsus, vel est *causaliter*, ratione spiritualis effectus quem producit, quo sensu Sacramenta, & Sacramentalia, sacræ Conciones, & alia quæ gratiam pariunt, ſpiritualia, ac ſupernaturalia dicuntur, vel est *effective*, prout est effectus à causa ſupernaturali proveniens, sic actus prophetandi, ſpiritualis est, quia nascitur ex causa ſpirituali, & ad salutem fidelium, ad ædificationem Ecclesiæ ordinatur. Tales etiam ſunt, Benedictiones, Consecrationes, usus Ecclesiasticæ jurisdictionis, veluti Dispensationes, Absolutiones.

2do: Committitur Simonia quando emitur, venditur, res temporalis, rei ſpirituali annexa. Porro annexum ſpirituali illud est, quod licet in se sacrum non sit, fit tamen aliquatenus sacrum, per ſuam cum rebus sacris connexionem. Hoc temporale ſpirituali annexum triplex distinguitur, aliud enim est annexum *antecedenter*, quod scilicet prius est in se, quam ſpirituale fiat per ſuam cum ſpirituali connexionem. Talis est fundus, cui advenit jus Patronatus, quod est ſpirituale, item Vas, Lapis, Balsamum, vestes, quæ postea consecrari, aut benedici contingit. Aliud est annexum ſpirituali *concomitanter*, quod nec antecedit, nec ſequitur, ſed comitatur ipsum ſpirituale; ut labor corporis in celebrandis Miſsis, & is quidem labor vel annectitur extrinsece, ut si Miſsa in loco remoto, aut arduo celebranda sit, vel intrinsece, ut labor qui Miſsam communem comitatur. Aliud est annexum *consequenter* quod præsupponit rem sacram, & per ſuam ab ea dependentiam, ſpirituale reputatur. Sic temporales Beneficii reditus, ſpirituale quid censentur eſse, quia pendent à causa ſpirituali, nempe à ſpiritualibus Beneficiarii officiis, propter quæ ipsa Beneficia instituta ſunt, & ex ipsius reditibus retribuuntur.

Quotiescunque ergo Spirituale pro temporali emitur, venditur, ſemper est Simonia jure naturali, & divino vetita: Sed etiam sæpius Simonia est, quando res tempora-

poralis, ſpirituali annexa pretio temporali comparatur.

Quæres 2do: Quotuplex est Simonia?

Resp: Simonia *1mo* triplex est, mentalis, conventionalis, & realis. Simonia *mentalis* hic non ea dicitur, quæ in sola mente consummatur, neque transit ad opus externum, ſed illa est, qua quis dat temporale pro ſpirituali, aut ſpirituale pro temporali, sine ullo quidem pacto tacito, vel expreſso exterius manifestato, ſed hac tamen interna mentis intentione, ut alium moveat ad dandum sibi ſpirituale pro ſuo temporali, aut vicissim. Hæc Simoniæ ſpecies aliquando ab uno solum, quandoque ab utroque committitur. Ab uno quidem, ut si Episcopo, Patrono, eorumve amicis, pro nulla, aut levi mercede serviat aliquis ea mentali prorsus intentione, ut ab iis Canonicatum accipiat. Ab utroque vero, ut si Prælatus Beneficium quod exterius gratis conferre videtur, ea intentione Titio conferat, ut is Secretarii, aut Capellani munus apud se gerat, & is eodem interiori animo illud acceptet. Quodsi eorum unus aliquid exterius agat, aut dicat, unde alter in notitiam perversæ hujus intentionis deveniat, jam Simonia quæ initio mentalis fuerat, transibit in conventionalem, quin & in realem effectu ſubsecuto.

Simonia *conventionalis* est venditio, vel emptio rei spiritualis cum pacto tacito, vel expreſso, ſed reali executione nondum utrinque completa. Si conventio solum peracta sit, nihilque prorsus traditum sit, aut receptum, Simonia erit *pure conventionalis*; si vero ex una parte aliquid datum sit, puta si pretium solutum sit temporale, ſed nondum tradita sit res spiritualis, aut viciſsim, erit Simonia *conventionalis mixta*, sive etiam *semirealis*. Neque hæc vera eſse simonia desinet, etiamsi qui promisit temporale se daturum, nunquam habeat intentionem solvendi, quod promiserat, quia qui promittit etiam ficte, mediante temporali, promiſsione scilicet, pervenit ad ſpirituale, quod simoniacum est. Haud tamen erit Simonia vere realis donec utrinque conventio peracta, ac completa, sive ex integro sive ex parte solum compleri cæpta fuerit.

Simonia *realis* est pactum pretii temporalis utrinque completum saltem ex parte, ut si datum sit Beneficium pro centum aureis nummis, ex toto, sive ex parte tantum persolutis, ſed persolutis realiter, non vero dato chirographo, quia Chirographum ſpondet rem tempora-

pora-

poralem, & pretio æstimabilem, ſed non magis ea traditur ſcripto, quam verbis. Traditio ergo chirographi non inducit Simoniam in sensu Canonum realem, quæ nimirum Canonicis pænis ſubjaceat. Quare etiam, si duo sibi scripto promisiſsent, ille pecuniam, iste Beneficium, & neuter pactum executus eſset, erit Simonia pure conventionalis.

2do: Simonia alia est quæ adversatur juri tum naturali, tum divino, alia quæ ſolum juri Ecclesiastico opponitur, alia denique dicitur confidentialis. Simonia quæ adversatur juri naturali, & divino, est ipsa venditio rei ſpiritualis, quæ ſacra est, ut si Chrisma majori pretio venderetur, quia consecratum est. Et talis Simonia ab intrinseco mala est, atque ideo prohibita, quia mala. Simonia quæ opponitur juri tantummodo Ecclesiastico, est quævis ratio comparandi ſpirituale, Ecclesiæ tantum legibus reprobata propter reverentiam rei ſacræ, & multa mala inde emergentia, ut cum quis Beneficium permutat propria ſua authoritate. Et hæc Simonia mala est, quia justis de causis ab Ecclesia prohibita fuit. Simonia *confidentialis* est *Simonia conventionalis mixta, qua quis procurat Beneficium alteri cum pacto tacito, vel expreſso, quod iste illud idem postea resignaturus sit, ſeu ipsimet procuranti, ſeu alteri cuilibet ad nutum procurantis, aut ex eo vel fructus, vel pensionem aliquam sine legitima authoritate constitutam ſolutus sit.* Est quidem *1mo:* simonia *conventionalis mixta*, quia ut confidentia ſubjaceat pænis per Canones constitutis, prærequiritur partium conventio ſaltem tacita, & ex parte ſaltem adimpleta, pura enim conventio nulla ex parte adimpleta, non inducit juris pænas, conventio itaque istiusmodi ſaltem ex parte adimpleri debet, nempe Beneficii traditione, & ex tunc pænæ Ecclesiasticæ incurruntur. *2do:* simonia autem hæc confidentialis reperiri potest, non in præsentationibus ſolum aut collationibus Beneficiorum, ſed & in resignationibus & electionibus. Non tamen habet locum nisi in Beneficiis. Unde reus Simoniæ confidentialis non est qui vel pensionem recipit ſub pacto futuræ retroceſsionis, vel consentit ut Beneficio, quod olim canonice recepit, pensio imponatur, præmiſso pacto quod Pensionarius post aliquot annos, vg. absoluto studiorum curriculo illam transferat in tertium. Quia Pensio non intelligitur nomine Beneficii in materia Simoniæ confidentialis. Qui tamen ut Beneficium recipiant, pensionem ſpondent, qui item Benefi-

neficium dando, pensionem exigunt, rei ſunt Simoniæ confidentialis, illiusque pænis ſubjacent. Simonia ergo confidentialis est, quando quis alteri Beneficium procurat, eligendo, præsentando, postulando, commutatione, commendatione, vel alia ratione, cum confidentia, hoc est; cum pacto expreſso vel tacito, ut is cui Beneficium procuratur illud aliquando resignet procuranti, vel alteri; aut ut pensionem, vel fructus aliquos ex eo præstet. Hæc graviter, & ſub graviſsimis pænis prohibita est, præcipue à Pio 4. Bullâ 85. & à S. Pio 5. Bulla quæ incipit *Intollerabilis.* Dicitur autem hæc Simonia confidentialis, quia procuratio Beneficii tota nititur confidentiæ pactionis, vi cujus Beneficium ipsum, vel fructus illius pensione expectatur, atque obtinetur. Jam vero ad istiusmodi Simoniam confidentialem requiritur. *1mo*: pactum, ſublato siquidem pacto, vel nulla occurret Simonia, vel non erit confidentialis. Hinc simoniæ confidentialis non erit reus, qui sine ullo pacto dat Beneficium Titio, confidens Titium eidem Beneficio in favorem tertii renuntiaturum eſse, si forte ad Episcopatum promoveatur. Pariter ab hac Simonia, immunis est, qui Beneficium quod ante poſsederat, abdicat, & Patronum precatur ut illud Nepoti ſuo conferat. Preces siquidem, si bona fide fiant, pactum nullum involvunt, & plenam Patrono relinquunt libertatem præsentandi ad Beneficium quem voluerit.

2do: Istud pactum quod ad Simoniam confidentialem prærequiritur, est de resignando eodem ipso Beneficio. Quare Simonia confidentialis non committitur nisi in duobus casibus. *1mo:* cum procuratur alicui Beneficium eo pacto ut illud ipsum vel procuranti, vel alteri aliquando renuntiet. *2do:* cum procuratur alicui Beneficium cum reservatione pensionis, aut fructuum ex eodem Beneficio sive ab ipso procurante, sive ab alio, quem ipse designaverit, percipiendorum.

Quæres 3tio: Quot modis Simonia confidentialis committitur?

Resp: Simonia confidentialis quatuor modis committitur, ſcilicet acceſsu, ingreſsu, regreſsu, & stipulatione pensionis. Et quidem *1mo: acceſsu*, quando is qui ad obtinendum Beneficium concurrit, confidit ex inito pacto idem Beneficium sibi vel alteri resignatum iri, cum ſublata impedimenta fuerint, propter quæ, Beneficium illud actu, & de facto ab eo obtineri, vel ab alio poſsideri nequit, & ideo confidentialis hæc Simonia dicitur committi

per

per acceſsum, quia per eum quispiam accedit ad Beneficium, quod non poſsidebat. Et sic exg. Episcopus volens alicui, per ætatem ad poſsidendum Beneficium inhabili, gratiam præstare, si illud alteri conferat ea conditione, ut quamprimum ille ad annos competentes pervenerit, ipsum ei cedat, Simoniæ confidentialis reus est, sicut & ille, qui hoc modo ad Beneficium pervenit.

2do: *ingreſsu*: cum quis Beneficium sibi collatum, ſed cujus poſseſsionem nondum cæpit, alteri resignat, ſervato sibi jure poſseſsionem illius capiendi posita certa quadam conditione: puta si Resignatarius præmoriatur, aut pingvius Beneficium obtineat.

3tio: *regreſsu*: cum quis eo pacto Beneficium resignat, cujus jam poſseſsionem aſsecutus est, ut jus habeat ad illud regrediendi, si exg. Resignatarius aliud recipiat incompatibile, aut si pensionem statutam non ſolvat.

4to: denique *stipulatione pensionis*, cum quis, ut Beneficium recipiat, ſpondet ſe ex ejusdem reditibus ſoluturum eſse pensionem conferenti, resignanti, aut alteri ex eorum voluntate,

Hinc non erit Simonia confidentialis, ſed tantum conventionalis, quando quis resignat, aut permutat Beneficium unum, ea conditione ut Resignatarius, aut Compermutatorius ſuum Beneficium, quod poſsidet, dimittat in favorem tertii. Quia ad Simoniam confidentialem requiritur ut acceſsus, ingreſsus, regreſsus, sit ad idem Beneficium, in hoc vero casu, non est acceſsus ad idem Beneficium, ſed ad aliud. Bene autem omnia ponderanda ſunt: quando, & in quibus ſe immiscet Simonia confidentialis, quia pænæ contra eam graviores latæ ſunt á Romanis Pontificibus, maxime Pio 4. & 5to. quam contra ceteras Simoniæ ſpecies, non quod ipsa gravius foret peccatum, ſed quia per ipsam plura in Ecclesiam invecta ſunt mala.

Quæres 4to: *Simonia quale est peccatum?*

Resp: Simonia est graviſsimum peccatum. Quia ex Actibus Apost: Cap: 8. constat, quod statim, ac Simon Magus ſuam de comparandis pecunia donis Spiritus Sancti intentionem Apostolis manifestavit, illico â S. Petro his perculsus est verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia poſsideri.* Hinc Gelasius Papa sic inquit: *Dantem, & accipientem damnatio Simonis involvit.* Paschalis quoque Rom: Pontifex ait: *Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ he-*

 resis

resis, *quasi pro nihilo reputantur*, & Canones Ecclesiastici Simoniam vocant, *execrabile flagitium*, *flagitium piaculare*. Et vero per Simoniam gravis irrogatur irreverentia rei ſacræ, ac per consequens ipsi Deo, qui rerum ſacrarum est author, ac institutor, dum ſcilicet res ſacra, sive illi indivulse adhærens, tamquam vilis, & profana tractatur, & cum sit inæstimabilis, atque invendibilis, pretio temporali æstimatur, atque comparatur, tamquam venalis tractatur, & per hoc deprimitur. Unde Simonia omni jure naturali, divino, & Ecclesiastico ſeveriſsime prohibita est.

Neque Simonia potest eſse veniale peccatum ex ratione parvitatis materiæ. Quia quo vilius offertur pretium pro re ſpirituali, eo magis contemni & vilipendi ipsa censetur, & res ſpiritualis quæcunque ea sit, etiam minima tantæ est dignitatis, & tam alti ordinis, ut indigna ipsius contrectatio & gravis sit, & gravem Deo inferat injuriam. Ut vero graviſsimum Simoniæ contrahatur peccatum, non est neceſse, ut quis det, vel accipiat temporale, tamquam pretium rei ſpiritualis, ſed ſufficit ut dando temporale, illo utatur tamquam motivo, ac medio ad ſpirituale obtinendum. Certe nullus inveniri potest tam rudis, ac hebes, ut pretium rei temporalis arbitretur æquivalere pretio rei ſpiritualis, nemo igitur eo usque delirabit, ut temporale tamquam pretium pro re ſpirituali offerat, ſed ipsa utitur tamquam medio ad aſsequenda ſpiritualia, ipsa offert, dat, ut moveat, excitet, a licat ad sibi ſpiritualia conferenda, atque hoc faciens, moraliter ac communi hominum ſensu censetur re temporali, ſpiritualem emere, & comparare. Sane qui dat munera Judici, ut iis ipsum attrahat ad proferendam iniquam in ſui gratiam ſententiam, & ille dicitur iniquitatem emiſse, & Judex justitiam vendidiſse reputatur, quia nempe dat unum pro altero, iniquam ſententiam pro acceptis muneribus. Ita pariter rem ſpiritualem pro temporali ille censetur emere, qui munera offert, ut iis sive Patronus, sive Collator permotus, Beneficium sibi conferat, atque Spirituale accipit pro temporali. Ille quoque vere reputatur pro temporali ſpirituale vendere, qui collatis sibi muneribus excitatus, Beneficium confert, quia pro temporali, reipsa dat ſpirituale. Hinc Innocentius Papa XI. ſequentem damnavit propositionem: *Dare temporale pro ſpirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed duntaxat tamquam motivum conferendi.*

di, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando per temporale fit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

Quæres 5to: Utrum committatur Simoniæ peccatum, si ematur, aut vendatur res temporalis, ſpirituali annexa?

Resp: 1mo: Quod est quovis modo annexum ſpirituali, nunquam potest sine Simonia emi, aut vendi ratione rei ſpiritualis cui annexa est. Nam tunc ipsa res ſpiritualis pretio æstimaretur, & venderetur. Hinc non licet calicem pluris vendere quia consecratus est, quam venderetur si non eſset consecratus, neque fundum plus æstimare, quia annexum habet jus Patronatus.

2do: Temporale antecedenter annexum ſpirituali, ſeu temporale, cui postea ſpirituale advenit, veluti fundus, cui postea accedit jus Patronatus, vas quod postea consecratum est, licite emi, & vendi potest, ratione ipsius temporalis materiæ, artificii, modo non vendatur majori pretio ob ſpirituale ei annexum, quam sine illo valeat. Quia res illa temporalis retinet ſuum valorem intrinsecum, nec ita dependet à re ſpirituali, ut ea vendita, hæc quoque vendi censeatur. Sic vendi poſsunt Calices consecrati, ad ſubveniendum neceſsitatibus Pauperum, & fundus cui annexum est jus Patronatus, quod tunc concomitanter transfertur cum fundo, ſed ipsum non venditur, cum pretium ſoli fundo respondeat. Verum ſunt quædam res ſacræ, quæ vendi omnino prohibentur, quales ſunt Ecclesiæ.

3tio: Vendi nequeunt temporalia, quæ concomitanter ſpirituali annexa, & ei intrinseca ſunt, ſeu per se ipsi conjuncta. Sic labor & alia opera neceſsaria ad exercendam functionem ſacram, veluti Miſsam celebrandam, Concionem habendam. exg. illius præparatio, studium. Quia labor, & opera istiusmodi cum sint intrinseca actioni ſpirituali & ab ea inseparabilia, vendi non poſsunt, quin ipsa actio ſpiritualis vendatur, & labor & opera neceſsaria ad actionem ſpiritualem perficiendam coalescunt cum ea in unum opus morale, & sic conditionem, & rationem ipsius induunt, neque æstimationem, aut utilitatem habent, nisi ratione operis principalis ad quod ordinantur. Seorsive ergo ab actione ſpirituali pretio æstimari nequeunt, nec proinde vendi poſsunt. Secus si labor, fatigatio, vel alia opera, sint actioni ſpirituali extrinseca, & per accidens ipsi adjaceant, ut fatigatio longioris itineris ad celebrandam Miſsam in loco diſsito, illa enim & per ſe pretio æstimabilia ſunt, & ratione ſui vendi, ac emi poſsunt.

Nam hæc nihil habent in ſe ſpirituale, & ab actione ſpirituali ſunt ſeparabilia.

4to: denique temporale consequenter annexum ſpirituali, ſcilicet temporale, quod præsupponit rem ſpiritualem, & ab illa dependet, sine simonia vendi non potest, quia non potest acquiri nisi ratione rei ſpiritualis, nec vendi nisi vendatur ſpirituale præsuppositum. Præterea, quod consequenter est annexum ſpirituali, ipsum ſpirituale ſupponit, & ſe habet velut ejus acceſsorium. Acceſsorium autem naturam principalis ſequitur. Ergo cum principale sine Simonia vendi nequeat, neque etiam ipsius acceſsorium poterit vendi. Unde Simonia erit vendere, vel emere reditus Beneficio Ecclesiastico annexos, aut ex officio ſpirituali provenientes.

Quæres 6to: Quale datum temporale pro ſpirituali oblatum, efficit Simoniam?

Resp: Datum temporale pro ſpirituali, *munus Simoniacum* vocatur, & juxta S. Gregorium Magnum triplex est, ſcilicet: *munus ab obsequio, munus â manu, munus à lingua.*

Munus ab obsequio, est quodlibet opus indebitum & temporale præstitum, aut præstandum in commodum & utilitatem alterius ſub pacto expreſso, vel implicito, aut cum intentione interius habita acquirendi rem aliquam ſpiritualem. Hinc Simoniaci ſunt. *1mo*: Qui Magnatum negotia gerunt, aut Liberos ipsorum in litteris instruunt, ut eorum favore Beneficium consequantur. *2do*: Pariter Simoniacus est, qui aliqua munia penes Episcopum exercet ut Canonicatum, aut Prælaturam aliquam obtineat. *3tio:* Qui dat Beneficium alicui cum pacto, vel ex ea intentione ut exinde suis consanguineis, vel aliis pauperibus provideat. *4to:* Qui confert alicui Beneficium ut extinguatur stipendium, quod alioqui solvere teneretur. *5to:* Qui ad Beneficium aliquem præsentant cum pacto, ut vel tot Miſsas pro iis celebret, vel quæ in fundatione præscribuntur, pro illorum commodo, certo die, & tali hora, aut loco celebret, cum ex fundatione Beneficii locus & tempus celebrandi prædictas Miſsas Beneficiarii libertati, ac voluntati permiſsa sint. Quia in his omnibus casibus, promittitur, datur, exigitur aliquid pretio æstimabile, aut imponitur obligatio, quæ & ipsa pretium habet. Si tamen exigatur debitum Spirituale, exg. obsequium Beneficio annexum, non erit Simonia.

Munus â manu, pecunia est. Porro per pecuniam intelli-

telligitur res quælibet externa, cujus pretium potest pecunia æstimari, sive res illa sit mobilis, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalis, atque etiam ipsius privatio, sive tandem imposita obligatio, factaque promiſsio. Hinc munus à manu dare, vel polliceri censetur. *1mo:* Qui Patrono, aut Collatori Beneficium sibi conferenti remittit pensionem, aut debitum præsens, vel futurum, qui enim remittit id, quod sibi debetur, moraliter illud donat. Ideo non solum qui debita sibi, ſed etiam qui debita Ecclesiæ remittere appromittit, Simoniacus est, quia munus temporale offert, licet ex re aliena. Pariter Simoniacus est, qui bona tradit Capitulo Ecclesiæ cum pacto, ut in ea pro Canonico recipiatur, qui Capellam fundat ea intentione, ut ipsa sibi conferatur, denique simoniacus est Episcopus, qui aliquem ordinat accepta promiſsione, quod nihil ab eo in locum tituli petiturus sit, & qui in bonis ſuis titulum pro ordinatione alicui constituunt, accepta ab eo promiſsione nihil unquam exigendi. *2do:* Munus à manu dare, & polliceri censentur, qui Beneficium accipiunt ſub conditione locandi domum ſuam, aut fundum prætio minori quam valeat, desistendi à lite juste inchoata, à repetitione pecuniæ mutuo datæ. *3tio:* Ejusdem sceleris rei sunt, qui solvunt expensas à Resignante Beneficium in ejus aſsecutione factas, qui ſuscipiunt in se onus restaurandi Ecclesiam, Domum Plebanalem, quam ille restaurare tenebatur, qui ex pacto emunt supellectilem Resignantis, ei jam inutilem, vel debita ipsius ex eodem pacto solvunt. Quia hæc omnia pretio ſunt æstimabilia, adeoque si ex pacto fiant, à simoniaca labe excusari nequeunt.

Munus à lingua est favor, sive laus, commendatio, adulatio, preces, & similia, quæ ex vi pacti expreſsi, vel taciti lingua exerceri solent in favorem illius, qui rem spiritualem, vel dat, vel aſsequi intendit. Hinc Simoniaci ſunt, qui dant Beneficium alteri, ut ejus pater apud Principem de se bene loquatur, qui obsequia spiritualia Magnatibus præstat, ut inde aliquod emolumentum temporale capiat, qui ad preces Magnatum Beneficia conferunt, ut eos sibi devinctos habeant. In his tamen si desit pactum, non alia erit simonia, quam mentalis.

Quæres 7mo: Estne simoniacus qui precibus sibi pro aliquo alio porrectis permotus, Beneficium ei confert?

Resp: Qui ad preces sibi ab aliquo porrectas ut eum sibi obliget, confert, aut promittit se alicui Beneficium

cium collaturum eſse, Simoniacus est. quia Collator per Beneficii hujus promiſsionem, collationem, negotiatur, atque temporalem favorem alterius quærit, eumque sibi obligatum vult habere, qui vero hac via intendit Beneficium obtinere, efficit ut is, qui pro eo preces porrigit, Beneficium conferenti subjectus, atque obligatus sit, quæ omnia pretio æstimabilia ſunt. Seclusa autem hac memorata intentione, aut simili motivo, qui ad alicujus preces Beneficium confert non est Simoniacus, potiſsimum si digno & capaci illud concedat. Quia preces ſumptæ ut nuda petitio, non impediunt ne gratis illud Beneficium detur, & qui pro digno, ac bene merito preces porrigit, ut ei Beneficium conferatur, opus bonum, & Ecclesiæ utile præstat. Quodsi preces pro indigno, & incapaci fiant, eique Beneficium conferatur, erit Simonia præsumpta. Quia cum tunc Collator non moveatur dignitate illius, cui dat Beneficium, præsumitur moveri favore humano, receptione, vel spe alicuius lucri temporalis, quod reipsa simoniacum est. Verum si hoc peſsimum desit intentum, Simonia non erit, ſed aliud erit peccatum grave, quia indigno, & incapaci dat Beneficium.

Ex his facile inferri potest, quid sentiendum sit de eo, qui donis, obsequiis, agit apud familiares Episcopi, Magnatis, qui plurium Ecclesiarum Patronus est, ut ii pro se apud ipsos agant, quatenus aliquod Beneficium obtineat. Is siquidem si hoc unum intendat, ut liberior ipsi pateat ad Episcopum, Magnatem, acceſsus, nihil hic erit Simoniæ. Si vero id quærat, ut eorum commendationibus Beneficium obtineat, utique Simoniacus erit. Si demum ut illi simpliciter merita, habilitatem, dignitatemque ipsius exponant, potest id quidem absolute à Simonia vacare, ſed ob periculum, vix, & forte nunquam in praxi id fieri debet, quia raro evenit, ut, qui hac via quærit Beneficium, non intendat aliorum precibus, & commendationibus illud obtinere, quod reipsa Simoniacum est.

Quæres 8vo: Quando munus, datumque temporale occasione rei spiritualis alteri exhibitum, à Simonia immune censeri potest?

Resp: Aliquando datum, ac munus temporale occasione rei spiritualis, immune est à Simonia. Et quidem *1mo*: Cum occasione rei spiritualis, aliquid temporale datur pure gratuito, atque liberaliter. Quia quod omnino gratis, ac liberaliter datur, nullo interveniente tacito aut expreſso pacto, non datur per modum pretii pro re spirituali.

rituali, neque ea intentione ut is cui fit donum, ad refusionem alterius doni spiritualis accendatur. Verum ſub hoc gratuitæ donationis titulo, sæpius latet Simonia, dum id, quod gratis dari dicitur, vix alia, quam obtinendæ rei spiritualis, exg. Beneficii vacantis intentione datur, aut datur ex pacto. Pactum vero ex natura ſua obligationem fidelitatis, & justitiæ importat, ac proinde gratuitæ donationis naturam evertit. Neque ad Simoniam requiritur pactum expreſsum, ſed ſufficit tacitum, quod ſemper præsumitur, cum dans Beneficium, & ſperans datum, munusque aliquod exigit, vel etiam verbis, aut nutibus alterum hortatur, monetque, ut suo tempore memor sit, gratumque se præbeat.

2do: Cum aliquid accipitur titulo stipendii, & congruæ sustentationis veluti occasione functionum Ecclesiasticarum, quæ à Ministris Ecclesiæ perfici solent, ut enim inquit Paulus Apostolus 1. Corinth: Cap: 9. *Quis militat suis stipendiis unquam*? Hinc culpa carent fideles, qui Ecclesiæ Ministris temporalia bona largiuntur, sive ipsi sacri Ministri, qui pias oblationes, vel alia stipendia consvetudine, aut Ecclesiæ legibus permiſsa accipiunt. Sæpe tamen ſub stipendii pretextu latet Simonia, vel aliquid instar simoniæ prohibitum, unde juxta multos Theologos, qui plus exigit stipendii, quam sibi vere debitum sit, non solum violatæ justitiæ, ſed & Simoniæ reus est, quia quod stipendii locum non habet, non alio excipi videtur titulo, quam in pretium ſpiritualis Ministerii. Idem dicendum de iis, qui de novo stipendio paciscuntur pro functionibus ſpiritualibus, ad quas, jam ex officio, vel fundatione tenentur.

3tio: Cum aliquid datur ad redimendam injustam vexam, dum illam quis pecunia, muneribus, arcere satagit, cum ad Superiorem pro juris remediis ad se liberandum recurrere non valet, & à consecutione boni ſpiritualis in quo jus habet, impeditur. Quia tunc non datur temporale pro spirituali, quod jam ipsius est, & in quo jus certum habet, ſed datur pro liberatione ab injuria, pro ceſsatione injustæ vexationis quæ temporalia ſunt, & de quibus pacisci licitum est.

Hic tamen observanda ſunt nonnulla. *1mo*: Ne res, quæ ad iniquæ vexationis redemptionem traditur, sit spiritualis. Si quis enim in pingui Beneficio vexetur, & tenue vexatori tradat, aut promittat, ut eum vexare desistat, simoniacus est, quia ſpirituale dat pro temporali, ut

ut scilicet â vexatione liber sit. *2do*: Ut vexatio, quæ redimitur, vere injusta, & iniqua sit, si enim justa sit, aut saltem probabile sit ipsam justam eſse, tunc redimi nequit, nam tunc temporale non daretur pro ceſsatione vexationis, non enim vexare censetur, qui jus ſuum prosequitur, ſed pro re ipsa spirituali, ad quam pervenire, aut in qua poſsidenda se stabilire vult, dat temporale. Certe non licet ope pecuniæ, aut muneribus, jus adhuc infirmum ac debile, quod quis in Beneficio habet, stabilire, ac firmare. *3tio*: Ne ista redemptio fiat ab iis, qui non habent *jus in re*, ſed solum *jus ad rem*, quod graviter est ponderandum, inde enim ſequitur eum qui à Patrono nominatus est ad Beneficium, cujus institutio sibi inique denegatur Simoniacum eſse, si vexationem hanc redimat, quia ſola institutio canonice facta, tribuit jus in re, firmatque Beneficium. Idem dicendum, qui, ut Collatoris consanguineum, & infenso sibi amicum reddat, eidem munera offert, ne diutius ipsius institutio differatur. *4to*: Cavendum summopere ne redemptio, & amotio vexationis, sit reipsa collatio, atque acquisitio rei ſpiritualis, quia sicut res ipsa ſpiritualis emi nequit, sic neque tunc vexatio redimi potest. Hinc electus ad aliquam Prælaturam, cujus confirmatio ab Episcopo dependet, si illam ipse etiam injuste deneget, hanc vexationem electus redimere nequit, quia in hoc casu removendo vexationem, acquiritur confirmatio electionis, quæ cum sit quid ſpirituale, emeretur ſpirituale pro temporali, quod Simoniacum est.

ARTICULUS 2dus

In quibus Simonia committitur, & quæ sint Simoniacorum pœnæ.

Quœres 1mo: *In quibus præcipue Simonia committi solet?*

Resp: Simonia præcipue committi ſolet in Beneficiis, Sacramentorum administratione, Ordinum sacrorum collatione, Ecclesiasticarum functionum exercitio, Religionis ingreſsu, & aliis quam plurimis rebus spiritualibus.

Quœres 2do: *Quando in administratione Sacramentorum committitur Simonia?*

Resp: Pro confectione, & administratione Sacramentorum exg. Baptismi, Pænitentiæ, Matrimonii, aliquid tem-

temporale exigere, accipere, Simoniacum est. Sacramenta siquidem ſunt Sacratiſsima, eorum confectio, administratio, actiones ſunt sanctiſsimæ, neque ergo pretio temporali æstimari, neque vendi poſsunt. Porro cum aliquid pro iis exigitur, atque exactione extortum accipitur, veluti pretium, solutioque pro iis debita accipitur, quod Simoniacum est. Quare istiusmodi exactiones graviter prohibitæ ſunt tum à Conciliis generalibus Lateranensi 3tio: & 4to: tum à multis Nostrarum regionum Provincialibus & Diæcesanis Synodis, & merito: ut enim habet S. Thomas Doctor. 2. 2dæ quæst: 100. *Hoc habet quandam venditionis ſpeciem.* Cum tamen invaluerit usus, ut aliqua penes administrationem Baptismi, Matrimonii offerantur, hæc licite recipi poſsunt, quia ex liberalitate, & devotione populi offeruntur, & dantur aut in ſustentationem Ministrorum Ecclesiæ, aut quatenus in pios uſus expendantur.

Pariter pro functionibus Ecclesiasticis, atque officiis ſpiritualibus, veluti Benedictionibus, Exequiis, Exorcismis, Concionibus, aliquid temporale exigere, & accipere, simoniacum est, quia hæc sacra, ac ſpiritualia ſunt, ac proinde nihil temporale pro iis exigi, aut accipi potest. Neque in his peragendis labor intrinsecus pretio æstimari potest, quia ipsam ſpiritualem functionem actionemque sacram constituit. Pro labore autem extrinseco, defatigatione accidentali, pro factis expensis exg. in perficiendo itinere, in adornanda pro Sepultura Ecclesia, aliquid exigere, & accipere licitum est, quod tamen moderatum eſse debet, ut vitetur omnis ſpecies turpis mercimonii. Sed præterea quæ occasione Sacrarum functionum à Fidelibus ſponte offeruntur, accipi poſsunt, quia rationem habent eleemosynæ, & pro ſustentatione, neceſsitatibusque temporalibus Ecclesiæ Ministris offeruntur. Parochi tamen ceterique Ministri, qui ex officio tenentur Sacramenta populis ministrare, mortuorum Cadavera sepelire, funeralia celebrare, & alia istiusmodi præstare, aliunde ex Ecclesiæ reditibus congruam habent ſustentationem, peccant, si hæc populis præstare omittunt, quia nova eis stipendia non porriguntur.

Quæres 3tio: Quot modis in collatione, & exercitio sacrorum Ordinum Simonia committitur?

Resp: Simonia committitur. *1mo*: Quando Ordines conferuntur, recipiuntur, mediante quovis munere temporali, scilicet propter pecuniam, sive propter alia dona temporalia

ralia. Quia per Ordinationem confertur gratia Spiritus Sancti, potestasque ſublimis, atque ſupernaturalis, cujus Miniſtri ſunt Epiſcopi, non venditores. Rarum quidem eſt, ut pro Ordinatione accipiatur pecunia, aut aliud munus, quod *à manu* dicitur. ſed ſummopere cavendum eſt, ne hic irrepat *munus à lingua*, *munus ab obſequio*, dum ſæpe ad Ordines admittuntur ſeu propter amicorum preces, ſeu intuitu servitii præſtiti, vel præſtandi ab Ordinato.

2do: Simoniaci ſunt, tum is qui præſentat, tum is qui ordinat aliquem, juramentum, vel promiſsionem ab illo recipiens, quod ſuper alimentis, quæ Epiſcopus debet ei, quem ſine titulo ordinat, non inquietet eum, & nihil poſtulet ab illo, tuncque Ordinator à collatione, præſentator vero ab executione Ordinum, & ordinatus ab Ordine ſic ſuſcepto donec diſpenſationem ſuper hoc per ſedem Apoſtolicam obtinere meruerint ſuſpenſi ſunt. Sic ſtatutum eſt Cap: 45. de Simonia.

3tio: Epiſcopi, & eorum Miniſtri gravis culpæ rei ſunt, ſi munera quamvis exigua, etiam ſponte oblata, non ſolum ante, ſed & poſt Ordinationem recipiunt. Notarii vero, pro litteris dimiſsoriis, aut teſtimonialibus collationis Ordinis decimam tantum unius aurei partem accipere poſsunt, quando nullum eis ſolarium eſt conſtitutum pro ſuo officio exercendo, nec Epiſcopus ex Notarii commodis ullum emolumentum ex iisdem Ordinum collationibus directe, vel indirecte percipit. Qui ſecus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem pænas à jure inflictas ipſo facto incurrunt. Sic ſtatuit Concil: Trident: Seſs: 21. Cap: 1: de Reform: Notarius ergo cui aliquid ſolarii, quantumvis modici ab Epiſcopo conſtitutum eſt, nihil recipere poteſt pro iſtiusmodi ſive Dimiſsoriis, ſive teſtimonialibus litteris. Quia Synodus Trident: iis tantum Notariis aliquid accipere permittit, quibus nullum ſolarium eſt conſtitutum, de illis vero qui modicum etiam ſolarium accipiunt, non poteſt dici quod nullum accipiant. Nihil ergo illi à Dimiſsoriis, atque literis teſtimonialibus recipere valent. Examinatores quoque Ordinandorum, atque ad Beneficia promovendorum, ſerio cavere debent, quemadmodum idem Concilium præcipit Seſs: 24. Cap: 28. de Reform: ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis, nec ante, nec poſt accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipſi, quam

dantes

dantes incurrunt. Si ergo pro collatione Ordinum, etiam primæ tonsuræ accipiatur, Simoniacum erit.

Quod vero attinet Ordinum exercitium, certum est, functiones quaslibet Ordinum etiam Minorum exercere propter ſolum temporale lucrum, & pro illis quidpiam exigere, accipere, Simoniacum est. Omnium siquidem Ordinum functiones ſacræ ſunt, vendi ergo & pretio temporali æstimari non poſsunt. Imo etiam exercere officia Ordinum, ac quascunque Ecclesiasticas perficere functiones principaliter propter temporalem retributionem, etiam ſponte oblatam, Simoniacum est, quia tunc per ſpirituale, tamquam per medium intenditur obtineri temporale, & illud ſpectatur veluti pretium rei ſpiritualis, atque pro illa expetitur, quod Simoniacum est. Hinc S. Thomas Doctor, Quodlib: 8. quæst: 6. art: 1. sic inquit: *Si retributiones temporales, quis respicit, ac recipit, quasi finem operis ſui principaliter intentum, simoniam committit, & peccat mortaliter. Si autem habeat principalem finem Deum in tali actu, ad retributiones autem hujusmodi temporales respicit ſecundario, non quasi in finem, ſed sicut in id quod est neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, non vendit actum ſpiritualem, & ita simoniam non committit neque peccat.*

Quæres 4to: Quando committitur Simonia in Beneficiis?

Resp: 1mo: Dare vel accipere aliquid temporale pro Beneficio Ecclesiastico, etiam ratione temporalis emolumenti ex eo provenientis, Simonia est. Quia emolumenta temporalia ex Beneficio promanantia, reditus nempe illius, ſunt Beneficio, prout Spirituale est, habetque ſua ſpiritualia officia, ac munera, annexa & ipsius acceſsorium. Acceſsorium autem, & Spirituali annexum, sine ſuo principali vendi nequit. Vendere autem ſpirituale pro temporali Simonia aperta est. Beneficium ergo Ecclesiasticum, etiam ratione temporalium emolumentorum ſpectatum sine Simonia vendi nequit, nec proinde pro eo adipiscendo aliquid dari, vel accipi potest.

Hinc dare, vel accipere aliquid temporale pro præsentatione, electione ad Beneficium, pro Confirmatione, institutione & pro quavis actione, qua jus etiam inchoatum ad Beneficium acquiritur, Simonia est. Illæ enim omnes actiones ſpirituales ſunt, ob respectum quem habent ad Beneficium quod ſpirituale est, & procedunt à potestate ſpirituali. Imo Simonia est, aliquid dare vel accipere pro immis-

immiſsione, traditione, introductione in poſseſsionem Beneficii. Nam per hæc acquiritur jus ſpirituale, administratioque Beneficii.

Pariter emere, aut vendere Præbendas Canonicales, Præstimonia, Pensiones, pro aliquo officio ſpirituali aſsignatas, Simonia est, quia hæc fundantur in Ministerio Spirituali, neque quis ad ea jus habere potest, nisi ratione talis Ministerii. Præbendæ quoque ſunt vera Beneficia, & Præstimonia dant jus ad percipiendos fructus ex bonis Ecclesiasticis. Quare etiam Simonia est, emere, vendere quamcumque Pensionem quæ ſoli Clerico conceditur, sive in sustentationem ipsius, sive ad absolvenda studia, quia ſunt annexæ officio Spirituali, recitandi ſcilicet officium parvum B. V. Mariæ ex Constitutione Pii 5. Papæ, atque ratione hujus officii, qui Clericalem pensionem habet, jus poſsidet ad percipiendos fructus Ecclesiasticos. Sunt itaque istiusmodi Pensiones quid ſpirituale, vendi ergo neque emi poſsunt pretio aliquo temporali.

2do: Simoniaca est permutatio Beneficiorum & cujuslibet juris Beneficia ſpectantis, atque omnis in Beneficiis pactio, conventio, vel apposita conditio, quæ obligat ad id, quod non est jure debitum, si hæc fiant privata authoritate. Resignatio etiam Beneficii ſub conditione, & pacto, vel onere, quod de jure non inest Beneficio, facta sine authoritate ſummi Pontificis simoniaca est. Hinc simoniaca est ceſsio Beneficii, sive juris etiam dubii ad illud habiti in manus Episcopi si sit onerosa, & non omnino gratuita. Item pactio ad impediendam, vel dirimendam litem ſuper Beneficio exortam, si ita fiat, ut unus litigantium cedat juri ſuo pro aliquo temporali dato, & alteri Beneficium pacificum relinquat, vel ut unus à lite desistat, & alter certam pecuniæ ſummam ſolvat, sive expensas factas compenset.

Licite tamen fit compositio inter litigantes per ſententiam Judicis, vel Arbitrorum Ecclesiasticorum ab Episcopo pro ineunda concordia deputatorum, si accedente partium consensu, & compromiſso, adjudicetur Beneficium illi, cujus jus probabilius est, eique imponant pendendam certam alteri pecuniæ summam, non ob compensationem juris, ſed ob bonum temporale pacis, & ut à lite recedat. Potest etiam in hoc casu ei, cui adjudicatur Beneficium, imponi pensio annua persolvenda, imposita non Beneficio, ſed Beneficiato, & ad hujus vitæ tempora. Talis tamen compositio privata authoritate facta, etiam ſub

condi-

conditione ut ab Episcopo approbetur, Simoniaca est, nec potest ab Episcopo approbari. Ita statututum est. Cap: 2. de Arbitris.

3tio: Permutatione autem Beneficiorum committitur Simonia non ſolum quando Beneficia propria authoritate permutantur, ſed etiam si permutantes compensent sibi mutua facta inter ſe pactione, inæqualitatem redituum ſuorum Beneficiorum, pecunia, aut pensione constituta, aut si unus alteri imponat onus aliquod, quod est Beneficio extraneum, exg. ut omnes facti ſumptus ſolvantur. Item si permutentur jura quælibet ad Beneficia, vel actiones ad illa pertinentes, ut si unus cedat ſuæ præsentationi, ut alter sibi aliam conferat. Vel denique si permutantes sic ſecum paciscantur: Tu elige, vel præsenta hunc ad hoc Beneficium, & ego eligam, vel præsentabo te, aut hunc ad illud, Do tibi meum ſuffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in alia. Te eligam, præsentabo, ad hoc Beneficium, si meo Nepoti resignes tuum. Tales itaque conventiones Simoniacæ ſunt, siquidem electio, præsentatio, resignatio, ſunt via qua ad Beneficia pervenitur, omnia ergo circa illa pacta, fædera, graviter prohibita ſunt.

Hæc vero mox dicta ad omnia Spiritualia extendi debent, quæ temporalia sibi habent annexa, etiamsi proprie & in rigore non sint Beneficia, qualis est Vicariatus amovibilis. Omnia siquidem circa ſpiritualia, & ſpiritualibus annexa, pacta, conventiones, jure Ecclesiastico prohibita ſunt.

Hinc ſequitur simoniacam eſse omnem transactionem qua remittitur, vel retinetur ſpirituale pro temporali, quia tunc permutatur, vel venditur ſpirituale pro temporali. Unde Simoniam committunt, qui accepta, vel tradita re pretio æstimabili, transigunt circa litem præsentandi ad Beneficium, vel circa poſseſsionem Beneficii, ad quod duo, vel tres nominati fuerunt.

Quodsi in transactione detur ſpirituale, pro ſpirituali, non erit Simonia. Unde qui altercantur circa Reliquias cujus sint, convenire poſsunt, vel ut Reliquiæ dividantur, vel si id fieri nequeat, ut unus eas ſervet, ſed alias similes alteri donet. Non tamen pacisci poſsunt, ut unus habeat Reliquias, alter mediam partem oblationum accipiat. Eſset enim tunc quædam Reliquiarum venditio, quæ sine Simonia fieri nequit. Quamquam vero ſpirituale pro ſpirituali transigendo, dare licitum sit, id tamen in materia Beneficio-

neficiorum jure Ecclesiastico prohibitum est. Unde qui litigat de pingui Beneficio, non potest cum adversario pacisci, ut ipse ſervet pingue Beneficium, & tenue tradat collitiganti, sic enim permutaret tenue Beneficium cum jure quod alter habet ad pingvius, Id autem privata authoritate fieri nequit.

4to: Tandem in Beneficiis conventio de remuneratione qualibet etiam gratuita, ſeu de obligatione dandi aliquid ex gratitudine, sive temporale illud sit, sive ſpirituale, vere simoniaca est. Quia talis conventio ex ſe parit novam obligationem fidelitatis, & justitiæ, quæ pretio æstimabilis est, & obligationi gratitudinis ſuperadditur, Talis ergo datio cum ex obligatione fidelitatis, & justitiæ fieri debeat, non est gratuita sed onerosa, ac proinde simoniaca.

Quæres 5to: Quot modis in resignatione Beneficiorum Simonia committatur?

Resp: Multis modis in Beneficiorum resignatione committitur Simonia. Et quidem *1mo*: simoniaca est omnis resignatio in favorem tertii, aut etiam cum reservatione pensionis facta sine authoritate & conſensu Romani Pontificis.

2do: si fiat resignatio ex pacto tacito, vel expreſso, quia omne pactum, & quævis conventio in Spiritualibus ac maxime in Beneficiis, prohibita ſunt. Hinc Simoniaci ſunt, qui faciunt resignationem reciprocam exg. Petrus resignat Beneficium ſuum fratri Pauli, ut Paulus ſuum ipsi vel Nepoti resignet. Pariter qui resignationem faciunt triangularem, Simoniæ rei ſunt, ut si Joannes Beneficium ſuum resignet Jacobo, ut Jacobus ſuum resignet Petro, & Petrus ſuum resignet Joanni. Simoniaci quoque ſunt, qui Beneficium litigiosum, non sine pluribus expensis acquisitum, & tandem pacifice poſseſsum, resignat cum pacto, ut Resignatarius ſolvat expensas. Istæ enim expensæ exigi non poſsunt ab alio, quæ in ipsius gratiam non ſunt factæ.

Quæres 6to: Quando in Religionis ingreſsu committitur Simonia?

Resp: Aliquid temporale exigere pro admiſsione ad Ordinem Religiosum, aut pro facienda in eo Profeſsione, Simonia est, quia status Religiosus, profeſsio in eo emitti ſolita, ſunt ſpiritualia, pro iis ergo nihil temporale, exigi aut accipi potest. Imo etiam ratione vestitus, & alimentorum ab ingredientibus Ordinem Religiosum nihil exigi,

nec

nec accipi potest. Quia ingrediens Monasterium jus habet vivendi de bonis Monasterii. Hinc Urbanus 4. Papa Extravag: 5. de Simonia authoritate Apostolica omnibus quarumcumque Communitatum Superioribus severe prohibet, *ne ante, aut post receptionem, quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis alium pium usum deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere aliquando præsumant, illa dumtaxat quæ personæ ipsæ ingredientes, pure, & sponte, ac plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, domibus & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi.* Idem statutum est in Concilio Lateranensi 4to: Licet tamen in ingressu Religionis, aut penes Professionem aliquid exigere ratione sustentationis si Monasterium sit vere egenum, neque sufficiat ad eum alendum qui admittitur, & non plus exigatur quam ad competentem Religiosi sustentationem opus est. Hinc Benedictus 14. de Synodo Diæces: lib. 7. Cap: 58. docet subsidium dotale quod exigitur à Puellis in Canobiis sese Deo devoventibus, non illico pronunciandum esse Simoniacum, quia receptus ubique usus illud approbat. Singula ergo Monialium Cænobia ad normam Decreti Concilii Tridentini Sess: 25 Cap: 3. tot moniales recipere debent, quot Episcopi judicio ex communibus reditibus, aut consvetis eleemosynis sustentari possunt, & à Monialibus intra præfinitum numerum comprehensis, seu in demortuarum locum subrogandis, nihil est Monasterio pendendum, nisi interim Monasterii reditus fuerint imminuti, nec amplius pares sint consveto Monialium numero sustentando, illæ vero quæ ultra præfinitum numerum in Monasterium recipi volunt, dotem offerre debent, cujus fructibus ali, & sustentari queant.

Quæres 7mo: Quæ sunt pœnæ contra Simoniacos constitutæ?

Resp: Triplex est genus pænarum quas Simoniacis imponunt Canones Ecclesiastici. Prima est pæna Censuræ, secunda invaliditas actus simoniace facti, tertia est restituendi obligatio; & hæ quidem pænæ multum inter se discrepant: censuræ enim non incurruntur nisi vel in jure expressæ sint, vel à Judice, seu Episcopo decernantur, actus vero simoniace facti ex natura sua invalidi esse possunt, & reipsa tales sunt, ubi jus sic disponit.

Certum autem est 1mo: nullam Simoniam quantumvis

vis completam, & realem inducere ipso facto pænas in jure contentas, & contra Simoniacos statutas, præter illam quæ est in Ordine, in Beneficiis, & in Religionis ingressu. Unde graviter quidem peccat, qui committit Simoniam in aliis præter Ordinem Sacramentis conferendis, vel recipiendis, in Consecrationibus, Dispensationibus, Benedictionibus, Vicaria temporali, & similibus, non tamen ſubjacet pænis ab Ecclesia contra Simoniacos latis.

2do: Certum est, nullas ipso facto incurri juris Ecclesiastici pænas ob Simoniam mentalem, aut pure conventionalem, imo probabilius videtur eſse eas non incurri ob Simoniam solum ſemirealem. Quia in materia pænali benignior interpratatio fieri debet, & pænæ juris graves impositæ pro aliquo criminoso actu, intelliguntur de actu perfecte completo, & ex omni parte consummato, nisi lex aliud diserte exprimat. Ergo Canones Ecclesiastici qui contra Simoniam pænas statuunt, intelligi debent de Simonia reali, utrinque completa, traditione scilicet rei ſpiritualis, simul & solutione pretii, sive partis illius, cum clare & distincte non loquuntur de semireali. Et id in praxi ſervat Curia Romana, ex Rota, ut testatur Navarrus, quare ibi Beneficium simoniace acceptum ipso jure non censetur vacare, nec ita provisus pro excommunicato reputatur, aut si in sacris celebraverit pro irregulari habetur, nisi pretium, aut saltem pars pretii pro accepto Beneficio acordati soluta fuerit, atque hunc Sacræ Pænitentiariæ eſse sensum, testatur Filliucius, qui multis annis Romæ docuit, & scripsit. Hinc si quis pro accepto Beneficio serio promiserit centum aureos, & pænitentia ductus non solvat, pænarum juris reus non erit, si vero post mensem, duos, aut tres aureos ſolvat, ex tunc & non ante tamquam Simoniacus realis, in omnes juris pænas incidet. Imo quantumcumque exiguum sit, id quod solverit, non effugiet censuram, quia jam verum erit, eundem Simoniæ realis, semperque mortalis reum eſse. Simoniæ tamen confidentialis conscii severius ab Ecclesia plectuntur.

Quæres 8vo: Quales pœnas incurrunt, qui Simoniam committunt in collatione Ordinum, & Religionis ingreſsu?

Resp: *1mo*: Qui simoniace conferunt, aut recipiunt Ordines, ipsam etiam Tonsuram, ſeu qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam in quibusvis Ordinibus commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrunt

Papæ

Papæ reservatam. Sic decrevit Paulus 2. Papa in Extravag: Cap: 2. *Cum detestabile.* 2do: Ordinans, á Collatione quorumcumque Ordinum, atque adeo ipsius primæ tonsuræ, & ab exercitio omnium munerum Pontificalium veluti à consecratione Altarium ſuspensus est, & ab ingreſsu Ecclesiæ interdictus. Ita Sixtus 5. Papa constituit in Bulla, quæ incipit: *Sanctum.* 3tio: Simoniace Ordinatus, est ipso jure ſuspensus non solum ab executione Ordinis quem simoniace ſuscepit, ſed ab eorum etiam exercitio quos antea sine Simonia ſuscepit. Unde si alicujus Ordinis functiones exerceat, fiet irregularis. Qui tamen Simoniam ignoravit, & sic Ordines ſuscepit, ab illorum executione non est ſuspensus, quia ſuspensio pænalis, qualis ista est, non potest incurri sine culpa. Porro non est in culpa qui nesciens simoniace ordinatus est. Censent etiam plerique Theologi ab istiusmodi pænis immunes eſse illos, qui in iis quæ solum ad Ordines ſpectant Simoniam committunt, exg. qui aliquid dant, exigunt, pro literis ſeu dimiſsorialibus, ſeu testimonialibus, de recepto aliquo Ordine attestantibus. Si quis tamen aliquid tribuat pro dimiſsoriis, aut aliis ad Ordines ſpectantibus ante conſecutionem Ordinum, vel etiam post, ſed ex pacto, Excommunicationem incurrit, quia tale datum cum ad Ordines referatur, simoniacum est.

Quod vero attinet ingreſsum Religionis, tam dantes, quam accipientes aliquid pro Religionis ingreſsu, si sint singulares personæ, excommunicationem, si vero sit Capitulum, aut Conventus, ſuspensionem eo ipso incurrit ſummo Pontifici reservatas. Ita Urbanus 5. Papa. Concedit autem prædictus Pontifex ut persona Monasterium pretio ingreſsa, in eodem permaneat, & quod ab ea exactum fuerat, á Monasterio retineatur, modo impendatur in communem Monasterii uſum, non vero in particularem.

Quæres 9no: Quæ pœnæ constitutæ ſunt contra Simoniam in Beneficiis committentes?

Resp: 1mo: Qui simoniace ad Beneficium eligunt, præsentant, instituunt, tum etiam qui sic eliguntur, præsentantur, instituuntur, item mediatores, procuratores simoniacæ Beneficii ſubsecutæ collationis, exg. Parentes, amici, & omnes qui suam hac in re interponunt operam, incurrunt ipso facto Excommunicationem Papæ resertam. Ita habetur Extravag. Cap: 2. de Simonia. Aliud est de pensione, unde qui eam dant, accipiunt simoniace,

etsi graviter peccent, quia Simoniam reipsa committunt, non incurrunt tamen istam Censuram, quia pensio hic in materia tam pænali, pro Beneficio accipi nequit, pænæ igitur contra simoniace Beneficia obtinentes latæ ad pensionarios extendi non debent. Idem dicendum est de Vicariatu temporali, quia non est Beneficium proprie dictum.

2do: Omnis simoniaca electio, præsentatio, atque ad Beneficium facta institutio irrita est, nullumque jus tribuit, ita ut sic de Beneficio provisus teneatur ante omnem sententiam Judicis Beneficium dimittere, & omnes fructus, Ecclesiæ restituere, cum nullum jus in Beneficium habeat. Ita sancitum est Extravag: Cap: 2. de Simonia. Nomine autem fructuum probabilius est, quod comprehendantur distributiones quotidianæ, quæ propter assistentiam in Choro recipiuntur, quia illæ recipiuntur ratione tituli spiritualis, qui propter Simoniam corruit, & nullus est. Aliud est de iis distributionibus, quæ proveniunt tantum occasione tituli spiritualis, sed non ex titulo, veluti stipendia pro Missarum celebratione, pro Concionibus, aliisque functionibus, ad quas Simoniæ reus non tenebatur ratione tituli spiritualis.

3tio: Simoniace de Beneficio provisus, inhabilis est ad idem Beneficium obtinendum, nec potest illud ex Episcopi dispensatione iterum obtinere. Quod constat ex Cap: 27. de Simonia, & Cap: penull: de Election: ubi excipitur si sit Beneficium simplex & ipso proviso ignorante, nec ratum habente Simonia commissa sit, tunc enim post puram resignationem, potest Episcopus dispensare, ut idem valeatBeneficium obtinere.

Istiusmodi autem pænæ, scilicet Excommunicatio, nullitas actus, & obligatio dimittendi munus, atque obtentum officium extenduntur ad Prælaturas Regularium, quia istiusmodi Prælaturæ non immerito inter Ecclesiastica Beneficia numerantur, & in Extravag: Paulus 2. Papa Cap; 2. de Simonia hosce Superioratus, & Prælaturas, perspicue recenset inter ea, quæ si simoniace obtineantur, Simoniæ pænas inducunt.

Est quidem in Jure sequens regula: ***Si qui quæcunque Beneficia; qualiacunque sint, absque simoniaco ingressu, per triennium pacifice possiderint, super iisdem Beneficiis sic possessis molestari nequeunt.*** Sed hæc regula Simoniacis non prodest, qui scilicet simoniace obtinent Beneficia, ut ex terminis Regulæ patet, quæ eos

excipit

excipit, & excludit ab istiusmodi triennalis posseſsionis privilegio, qui simoniaco ingreſsu Beneficia poſsident. Aliud eſset de illo, qui bona fide Beneficii poſseſsionem ingressus est, & toto triennio Simoniæ in sui gratiam factæ, nullam prorsus cognitionem habuit. Is enim cum non sit simoniace Beneficium ingreſsus, ei triennalis pacifica poſsessio, multum servit. Sed & is, si Simoniæ in ſui gratiam factæ, ante elapsum triennium rescierit, tenetur statim Beneficium pure resignare, & omnes fructus extantes restituere, non tamen eos, quos bona fide consumpsit. Sed præterea duo ſunt casus, in quibus simoniaca Beneficii provisio valida est. *Imus*: est, cum versutus aliquis Beneficiarii hostis, aliquid Collatori dedit, ut collationem irritam faceret, faciendo illam simoniacam. Ita habetur Cap: 27. de Simonia. *Secundus* est, cum providendus de Beneficio Simoniam ſuspicans expreſse contradixit, & quantum in se erat, prohibuit, ne pro ſua nominatione, præsentatione, aliquid tribueretur, Id constat ex Cap: 33. de Simonia. Quod tamen post factam istiusmodi contradictionem, resciverit ante ſuam ad Beneficium institutionem, provisionem simoniacam eſse, illam acceptare non poterit, quia Simoniæ cooperaretur, si vero nonnisi post ſuam institutionem id compererit, Beneficium quod bona fide occupaverat, retinere valet. Pariter si provisus de Beneficio promiſsam pro ſua nominatione, institutione pecuniam solvit iis quibus promiſsa fuit, tunc complendo Simoniam, simoniacus efficitur, adeoque ſubjacet omnibus Simoniacorum pænis. Si vero ſolum refundit pecuniam hanc iis, qui eam in ſui gratiam persolverant, scelus eorum non approbando, ſed execrando, tantummodo ne aliquid damni ipsi, propter se patiantur, neque Simoniacus est, neque peccat, & facit id, quod facit bonus Pater qui debita à filio per ſcelus contracta ſolvit, ne filius infamis habeatur. Quodsi eorum nundinationem ratam habeat, & approbet, atque pacto consenserit, refundendo quod solutum est, Simoniacus efficitur, & Simoniæ pænis ſubjacet.

Quæres Iomo: Utrum Simonia privet etiam aliis Beneficiis rite obtentis, atque incapacem reddat ad alia in futurum obtinenda?

Resp: Beneficia legitime prius obtenta, propter Simoniam ſubsequentem non amittuntur, neque vacare censentur, quia pæna privationis hujusmodi Beneficiorum nullibi in jure statuta est, & satis est, ut in quo quis peccat in eo puniatur. Omnia tamen Beneficia quæ quis admis-

so Simoniæ scelere consecutus est, necdum obtenta absolutione ab Excommunicatione, quam propter Simoniam contraxit, invalide acquisita ſunt, quia propter excommunicationem quam per Simoniam contraxit, incapax est ad obtinenda quævis Beneficia. Sed præter istiusmodi Excommunicationem, per Simoniam in acquisitione Beneficii admiſsam, contrahitur quædam inhabilitas ad alia etiam in posterum obtinenda Beneficia. Et id patet ex Bulla Pii 5. Papæ, quæ incipit: *Cum primum.* in qua sic statutum est: *Qui Dignitates Ecclesiasticas simoniace acquisierit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias obtinendas. Qui Beneficium, aut officium Ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, perpetuo sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia Beneficia obtinenda.*

Quemadmodum vero ſubſequens Simonia non privat Beneficiis antea rite obtentis, neque illorum acquisitionem irritat, sic neque per illam irriti fiunt actus ad Beneficium ordinati, prius legitime facti, veluti præsentatio, electio, adeoque satis erit si actus posterior, qui invalidus fuit, reparetur, si reparari poſsit. Quodsi actus primus propter Simoniam invalidus sit, ceteri ſubsequentes, etiam sine simonia facti, invalidi erunt.

Quæres 21mo: Quæ ſunt pœnæ Simoniæ confidentialis?

Resp: Pænæ contra Simoniam confidentialem graviores constitutæ ſunt, quam contra ceteras Simoniæ ſpecies. Igitur ex Bulla Pii 4. & ex Bulla Pii 5. Romanorum Pontificum pænæ simoniæ confidentialis ſunt *1mo:* excommunicatio Papæ reservata, quam incurrunt uterque contrahens, si sint Episcopo inferiores, Episcopi vero solum incurrunt interdictum ab ingreſsu Ecclesiæ. *2do:* Privatio Beneficii per simoniam confidentialem obtenti, & quidem ante omnem ſententiam Judicis, quia illius collatio nulla est. *3tio:* Inhabilitas ad idem Beneficium, & alia quæcunque acquirenda. *4to:* Privatio Beneficiorum antea legitime poſseſsorum, & Pensionum prius obtentarum. *5to:* Beneficia per simoniam confidentialem collata, & accepta, ſunt Papæ reservata, unde resignari non poſsunt in manus Episcopi, neque ab eo conferri.

Verum ut istiusmodi pænæ contrahantur, requiritur ut datum sit, & acceptum Beneficium, id patet ex his verbis Bullæ Pii 4ti. *Omnes & singulos, qui Beneficia, vel pensiones hoc intercedente vitio acceperunt.* Non tamen neceſse est ut pacifice Beneficii poſseſsio capiatur; quì

qui accepto Beneficio completur simoniæ confidentialis scelus. Cum autem Constitutiones Pii 4ti. & 5ti. novas pænas non superaddant ratione simoniæ confidentialis, nisi contra illum, qui per simoniam Confidentialem recipit Beneficium, vel pensionem, soli ergo recipientes privantur Beneficiis, & pensionibus, antea legitime obtentis, & acquisitis, non autem Resignantes sub pactione confidentiali, aut ad id cooperantes, ii tamen quia vere sunt simoniaci incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si confidentialis pactio fuerit ex utraque parte completa.

Sed hic caute notanda sunt sequentia. 1mo: Excommunicationem memoratam, aliasque pænas incurri etiam per simoniam confidentialem, quæ ex una solum parte executioni mandata est. Quare non est necesse, ut qui Beneficium per simoniam confidentialem accepit, promissionem suam impleverit, hoc est, vel pretium promissum solverit, vel suum Beneficium alteri resignaverit, vel impositam pensionem solverit, aut fructus Beneficii ab alio percipi permiserit. Atque per hoc simonia confidentialis gravius punitur, quam alia quævis simonia in Beneficiis eveniens. 2do: Iisdem pænis subijci eum, qui ex Beneficio confidentiarie dato pensionem exigit, aut sibi solvi consentit, quibus subjacet ille, qui Beneficium per Simoniam confidentialem recipit prout id aperte constat ex Bulla Pii 4ti. Privatio tamen Beneficiorum, ac Pensionum legitime prius obtentorum, quæ statuta est contra Simoniam confidentialem in assecutione posterioris Beneficii committentes statuta juxta multos Theologos, effectum non sortitur ante sententiam Judicis declaratoriam, quia justo titulo possidentur.

Quæres 12mo: Utrum simoniace acceptum, & acquisitum restituendum sit?

Resp: 1mo: Qui pretium pro re spirituali jam data accepit, illud restituere tenetur, quia illud retineretur, ac possideretur sine justo titulo, res enim spiritualis pretio æstimari nequit, ac proinde vendi non potest, nihil ergo pro illa exigi, nihil accipi potest, quod itaque pro ipsa exactum, prævia pactione acceptum est, injustum, ac iniquum est, restitui proinde debet. Porro prætium simoniace acceptum, semper est ei, qui dedit, restituendum, præterquam in Beneficiis. Quia jure naturali unicuique quod suum est reddi debet, nisi obstaret lex, aut justa sententia Judicis. Nulla autem lex prohibet

bet ne Simoniaco reddatur, quod ille ſacrilege dedit, niſi Simonia realis fuerit in materia beneficiali, tunc enim simoniace accepta reſtituenda ſunt Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, neque talis Simoniacus poteſt recipere id, quod illicite dedit. Quodsi quis pro Beneficio, bona fide, & ex ignorantia probabili aliquid dederit, tenetur quidem Beneficium dimittere, ſed ſua pecunia privandus non eſset. Hæc enim privatio est pæna ſupponens culpam, nulla autem est culpa, ubi est bona fides.

2do: Res ſpirituales simoniace acceptæ, quæ ad Beneficia non ordinantur, exg. Reliquiæ ſacræ, aliaque ſpiritualia, simoniace accepta non ſubjacent restitutioni, quia licet modus acquiſitionis eorum illicitus sit, quia Simoniacus, attamen ex parte acquirentis valida est acquisitio, juste ergo istiusmodi res ſpirituales retineri poſsunt. Si tamen repetantur restitui debent, cum datum pretium restituitur, quia facta conventio qua mediante res ſpiritualis accepta, & acquisita fuit, non ex utraque parte ſubsistit, qui enim pro re ſpirituali pretium accepit, cum illud pro re, quæ pretio æstimari nequit acceperit, nulliter illud accepit, ac proinde si restituatur, res ſpiritualis hoc modo accepta, reddi debet.

Hic unum addendum est, nimirum qui dant, vel accipiunt, aut promittunt aliquid pro aliqua justitia, aut gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda incurrunt ipso facto in excommunicationem Papæ reservatam, & justitia, sive gratia sic obtenta nulla est, quamvis nondum impleta sit promiſsio. Ita statutum est in Extravag: de Sentent: excom: in 6to: Quod etiam innovavit Gregorius 13. Papa in ſua Bulla 24.

3tio: Beneficia, Dignitates, officia, resque Ecclesiasticæ simoniace accepta, & acquisita, non poſsunt in conscientia retineri, ſed cum omnibus fructibus ante omnem ſententiam Judicis dimitti debent. Et id constat ex quam plurimis juris Ecclesiastici statutis, atque ex ſensu, & usu totius Eccleſiæ. Et vero quæ sine justo titulo poſsidentur, retineri non poſsunt. Porro omnis collatio, provisio Beneficii Simoniaca, nulla, ac irrita est, caret omni robore ac effectu, nullumque jus tribuit quemadmodum declaraverunt: Martinus 5. in Concilio Constantiensi Ses: 43. & Paulus 2. in Extravag: *cum detestabile:* de Simonia, à Pio 5. confirmata. Ergo Beneficia, Dignitates, Officia & alia ejusmodi simoniace adepta in conscientia retineri nequeunt, ſed cum omnibus fructibus ante omnem ſententiam Judi-

cis

cis dimitti debent. Restitui autem debent fructus, quos Beneficiarius accepit, aut ſua culpa non percepit. Poteſt tamen recurrere ad Papam, ut ab eo fructuum condonationem obtineat. Jam vero, non ſolum Beneficia ſimoniſce acquiſita dimitti debent, ſed & Penſiones per Simoniam adeptæ. Et id conſtat ex Can: 5. quæſt: 3 ubi Urbanus 2. Papa ſic ſtatuit: *Quidquid vel in ſacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus.* Penſiones autem res ſunt Eccleſiaſticæ ac ſpirituales, illius ergo ſimoniaca acquiſitio irrita eſt, ac nullas habet vires, retineri itaque in Conſcientia nequit, & inde percepti fructus ante ſententiam Judicis reſtitui debent. Idem ſentiendum eſt de Præſtimoniis, & iſtæ enim Eccleſiaſticæ ſunt.

Hæc vero reſtitutio fructuum ex Beneficio, aut Penſione ſimoniacis, nulliter perceptorum, fieri debet Eccleſiæ in qua eſt Beneficium, aut Penſio, ſive etiam in pios uſus converti, qui ſaltem indirecte illi Eccleſiæ proſint.

Predictæ autem reſtitutioni obnoxii ſunt etiam cooperatores Simoniæ in acquirendo Beneficio admiſſæ, quare ipſi in defectu Beneficiarii tenentur reſtituere omnes Beneficii fructus, ſi ipſe Beneficiarius impar ſit huic oneri.

4to: Occaſione, & ex ratione Beneficii ſimoniace accepta reſtitui debent Eccleſiæ in qua eſt Beneficium, aut pauperibus loci erogandum, quare reſtituenda ſunt quæ pro electione, præſentatione, inſtitutione accepta ſunt. Hæc enim ſine gravi ſalutis periculo retineri nequeunt. Et hoc verum eſt etiamſi intuitu emolumentorum temporalium ex Beneficio provenientium aliquid datum vel acceptum fuerit, quia cum temporalia ſpiritualibus inſeparabiliter annexa ſunt, atque unum quidpiam conſtituunt, quod datur pro temporali, datur & pro Spirituali. Unde Alexander 7. Papa damnavit ſequentem propoſitionem. *Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, hinc collator conferens illa beneficia pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur.*

Quæres xztio: Utrum ad reſtituendum & ad acquiſita dimittenda teneantur, qui ſolam in iis mentalem commiſerunt Simoniam, id eſt qui temporale pro ſpirituali acceperunt, aut ſpirituale pro temporali dederunt, ſed ſine ullo explicito, vel implicito pacto?

Resp:

Resp: 1mo: Certum est illa, quæ simoniace, simul & injuste comparata sunt, restituenda esse, quia justitiæ violatio onus restituendi inducit. Unde ad restituendum tenentur. 1mo: qui pretium acceperunt ut desisterent ab injusta vexatione in causa spirituali, quia acceptum est ab invito, & injuria extortum. 2do: qui ex justitia obligati ad functiones spirituales gratis exhibendas, veluti Paròchus ad Sacramenta administranda, Episcopus ad dispensationes concedendas, gratis hæc præstare nolunt.

2do: Probabilis, & bene fundata est opinio, quæ docet eos, qui per Simoniam mentalem sine ulla alia injustitia assecuti sunt rem spiritualem vg. Beneficium, non teneri ad restituendum. Et id evincitur ex Cap: ultimo de Simonia, ubi sic loquitur Gregorius 9. Papa. *Dicimus resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrinque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro Simonia hujusmodi non teneri.* Hi ergo de quibus hic summus Pontifex loquitur, rei sunt Simoniæ mentalis, attamen non tenentur ad rem sic acquisitam restituendam vel dimittendam cum iis sufficiat ut pænitentiam agant, quam, & quidem solam agendo satisfaciunt suo Creatori. Ergo ut inquit Glossa ibi apposita, hæc Simoniæ species, *sola pœnitentia purgatur sine renuntiatione.* Id ipsum docet S. Thomas Doctor hanc rem pertractans art: 6. ad 6tam ubi sic habet: *Quoad Deum sola voluntas facit simoniacum, sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere.* Et certe Ecclesia non iudicat de internis, neque punit pure interna, cum itaque Simonia mentalis, sit pure interna, illa pænis Ecclesiasticis non subjacet.

Quæres 14to: Quis pœnas contra Simoniacos latas tollere, & in iis dispensare possit?

Resp: Quintuplex est pæna, quam Simoniaci incurrunt, scilicet excommunicatio Papæ reservata, suspensio ab Ordinum simoniace receptorum exercitio, nullitas juris simoniace adepti Beneficii, obligatio illud dimittendi cum perceptis ex eo fructibus; atque restituendi simoniace accepta, maxime autem inhabilitas, tum ad Beneficium simoniace obtentum, tum ad alia Beneficia possidenda. Certum autem est 1mo: omnes istiusmodi pænas si notoriæ sint, etiam sola notorietate facti, ab Episcopis relaxari non posse, sed à solo Romano Pontifice. 2do: Nul-

Nullitas juris simoniace accepti Beneficii, obligatioque illud dimittendi, restitutio fructuum ex Beneficio simoniace obtento perceptorum, ac ipsa inhabilitas ad Beneficia, etiamsi occultæ sint, ab Episcopo tolli, & relaxari nequeunt, ſed à solo Romano Pontifice, tum condonatio fructuum male perceptorum, tum rehabilitatio ad obtinenda, & poſsidenda Beneficia, obtineri debet, hæc enim ipsi reservata sunt. *3tio*: Excommunicatio quoque, ac suspensio, Papæ sunt reservatæ, aliquando tamen cum occultæ sunt, raris in casibus ab Episcopo relaxari poſsunt, per hoc tamen simoniacus ad Beneficia poſsidenda non rehabilitatur. Ita decisum est à Sacra Congregatione Concilii Tridentini Interprete, his verbis: *Episcopus etsi à Simonia occulta absolvere poſsit, non potest tamen Simoniacum rehabilitare ad Beneficia, quæ per Simoniam occultam retinet.*

Si crimen Simoniæ sit occultum pro Dispensatione Romam ad Sacram Pænitentiariam recurrendum est, quæ, facta, ut fieri solet, casus expositi repetitione in Brevi dispensationis sic pergit, Confeſsarium alloquens cui dispensationis executio committitur: *Discretioni tuæ committimus, quatenus si ita est, dictum latorem, audita prius ejus Sacramentali Confeſsione, dummodo cum effectu prædictum Beneficium simoniace obtentum dimiserit, & non aliter, à quibusvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmiſsa, quomodolibet incurrit, simoniæ labe, & exceſsibus hujusmodi absolvas, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, quodque culpabiles in præfata Simoniæ labe, quantum potest moneat, ad impetrandam â Sede Apostolica absolutionem, nec non fructus â se ex præfato Beneficio perceptos, prout de jure restituat, & alii quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo præmiſsa occulta sint, cum eodem latore suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei Canonico non obstante impedimento, super irregularitate per eum ex præmiſsis quomodolibet contracta, quodque, & aliis præmiſsis non obstantibus, in suis Ordinibus ministrare, ac Beneficia Ecclesiastica, non tamen illud super quo commiſsa fuit Simonia, quatenus ei alias conferantur, recipere, & retinere licite valeat, misericorditer dispenses, in foro conscientiæ.* Ex tenore autem talis Brevis ad dispensandum conceſsi, manifestum est, ad illius executionem requiri *1mo*: Ut vera sit causa finalis Pænitentiariæ ad obtinendam dispensationem exposita,

sita, propter quam petens non modo vult à Censuris absolvi, sed & ad Beneficia deinceps Canonice obtinenda rehabilitari. *2do:* Petens dispensationem debet actu Beneficium dimittere super quo commiſsa est Simonia, si enim necdum illud dimiserit, nec licite, nec valide Breve dispensationis exequi poterit. Aliquando tamen, si id gravifsimæ expostulent causæ, videlicet vitandi scandali, gravisque suspicionis necefsitas, permittitur à Pænitentiaria, ut quis Beneficium Simoniace comparatum, servet, ac pofsideat, præsertim si eo nesciente ab alio in ejus gratiam commiſsa fuerit Simonia. Hæc ergo in petitione Dispensationis exponenda sunt, alias istud Beneficium retineri non poterit. *3tio:* Potest petens vigore istiusmodi Brevis absolvi â quibusvis Censuris, & pænis Ecclesiasticis, qui enim non obstante Simonia Ordinis sacri functiones exercet, præter excommunicationem quam incurrit, irregularis efficitur. *4to:* Debet petens dispensationem, fructus Beneficii Simoniace acquisiti restituere, Ecclesiæ scilicet in qua est illud Beneficium, nisi in istiusmodi Brevi prædicti fructus condonentur, quod in petitione Pænitentiariæ porrigenda exprefse est expostulandum, allegata, si vera est, paupertate petentis, aut facta cum Pænitentiaria compositione de certa parte fructuum restituenda, aliis sibi retentis. *5to:* attendi quoque debet in istiusmodi Brevi ad quæ Beneficia habilitas petenti conceditur. Si generatim & indistincte ad Beneficia habilitas conceditur, de solis simplicibus Beneficiis id intelligi, & accipi debet, & Beneficia curam animarum annexam habentia obtineri non poterunt, nisi exprefse ista rehabilitatio ad illa etiam extendatur. *6to:* Semper tamen excipitur Beneficium in quo commiſsa est Simonia, quod Simoniacus retinere nequit, nisi ad illud etiam pofsidendum, quia non haberet unde vivere pofsit, vel quia nullatenus dimittere valet, exprefse habilitatur. Hoc igitur ut obtineatur, in petitione dispensationis exprimendum est, & ratio postulati apponenda.

TRA-

TRACTATUS

DE

CENSURIS.

Censuræ, maxime Ecclesiasticos respiciunt, & tangunt, eorum proinde scientia apprime Ecclesiæ Ministris est necessaria ut & suæ conscientiæ bene consulere, & concredita sibi officia sine Dei offensa & absque Ecclesiasticarum legum infractione persolvere valeant.

CAPUT PRIMUM

De Censuris in Genere

ARTICULUS 1mus

De natura, causisque Censurarum.

Quæres 1mo: Quid sit Censura, & quotuplex.

Resp: Censura est pæna spiritualis, qua homini baptisato, delinquenti, ac contumaci, quorumdam bonorum spiritualium usus ab Ecclesia aufertur, donec á contumacia resipiscat. Censura igitur est pæna spiritualis quia hominem privat bonis spiritualibus, publicis videlicet suffragiis, atque Sacramentorum usu. 2*do*: Infligitur autem homini delinquenti, & contumaci, donec â contumacia recesserit, quia id unum Ecclesia in infligendis Censuris spectat, ut per eas tangat contumaciam delinquentium, eosque ad obsequium debitum cogat. Unde Censura dicitur *medicinalis*, *quia* delinquens contumax statim ac resipuit absolvi debet.

Censura dividitur 1*mo*: velut genus in suas species, & tres sunt excommunicatio, suspensio, & interdictum. Et id constat ex Innocentio 3tio: Cap: 20. *de Verborum signifi*: ubi sic inquit. *Quærenti quid per censuram Ecclesiastic*

cle-

clesiasticam debeat intelligi, respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi. Unde depositio, degradatio, irregularitas, ceſsatio à divinis, non sunt Censuræ, quare etiam ex stylo Curiæ Romanæ, is, cui conceditur facultas absolvendi à Censuris, ei non censetur conceſsa eſse facultas dispensandi in irregularitatibus.

2do: Censura dividitur in eam quæ est *ab homine*; & illam quæ *est à jure*. Censura *à jure* ea est, quæ per legem, vel statutum generaliter in omnes fertur, qui legem fuerint transgreſsi, talis est, quæ decernitur Can: *omnis utriusque sexus:* adversus eos qui Paschali defuerint communioni. Censura *ab homine* illa est, quæ fertur, ex causa, & facto particulari in certam, & determinatam personam, sive hæc Judici nota sit, sive non. Differunt autem istiusmodi Censuræ inter se *1mo*: Quod Censura *à jure* semper ligat transgreſsores legis donec lex ipsam decernens abrogetur, censura vero *ab homine* eos quos necdum ligavit, ligare iam non poſset, statim ac Superior, qui ipsam tulit potestate sua volens, vel nolens spoliatus fuerit, unde si quis excommunicatus sit sub conditione nisi intra sex dies reum criminis revelaverit, & Iudex ante elapsum terminum moriatur, non incurrit censuram etsi non revelaverit, quia Superior censuram fert, non ut legislator, sed ut Judex, porro Judicis authoritas eodem mortuo, amoto, ceſsat. *2do*: Censura *ab homine* semper est reservata, non autem ea, quæ est *à jure*, nisi reservatio exprimatur. *3tio:* Censura *à jure* eos etiam ligare potest, qui legislatori subiecti non erant tunc, quo tempore primum censura lata fuit, censura vero *ab homine* eos solum afficit, qui ei subjecti erant tunc, quando censuram tulit, quia istiusmodi censura fertur per modum imperij, imperium autem ad præsentes solum dirigitur.

3tio: Dividitur censura in eam quæ est *latæ sententiæ*, & illam quæ est *ferendæ sententiæ*. Prior ea est, quæ contrahitur ipso facto, seu sola criminis admiſsione absque Judicis sententia. Posterior ea est, quam Superior comminatur infligendam, unde etiam *comminatoria dicitur*; & quæ non incurritur nisi nova accedat Iudicis sententia. Reputantur autem censuræ eſse *Latæ sententiæ* quando iis appositæ sunt istæ particulæ, vel ipsis similes, *ipso jure, eo ipso, statim, mox, illico,* aut si expreſse dicatur Censuram incurri *Latæ sententiæ.* Verba etiam præsen-

tis,

tis, aut præteriti temporis, vg: *excommunicatur*, *suspendimus, suspensus est, noverit se excommunicatum*, censuram denotant latæ sententiæ. Pariter verba imperativi temporis, veluti, *excommunicationi subjaceat*, censuram latæ sententiæ continent, nisi mandatum dirigatur ad inferiorem Judicem, cui committatur aliquem censura punire. In dubio an verbum sit imperativi an vero optativi modi, habendum est pro imperativo, quia lex imperat, & mandat non optat, unde hæc forma, *anathema: sit* videtur eſse latæ sententiæ. Censura *ferendæ sententiæ* est, cum exprimitur verbis futurum indicantibus vg: *excommunicabitur*, aut cum dicitur: *sub interminatione anathematis*, vel etiam cum alicui præcipitur ut censuram ferat, & hæc, vel similia usurpantur verba, *jubemus*, *volumus suspendi*, excommunicari. In dubio judicandum est Censuram non eſse nisi ferendæ sententiæ, quia ex Regula juris 49. in 6to. *in pœnis benignior interpretatio facienda est.*

4to: Dividitur censura in justam, & injustam, in validam, & invalidam, seu nullam. Sed hæc divisio respicit Censuras quæ *ab homine* vocitantur, quia omnis Censura, quæ à jure constituta est, semper justa est. Censura itaque ab homine lata, ea justa est, quæ undequaque legitime lata est, ita ut nihil ei, qui ipsam tulit, exprobrari poſsit. Et talis est quæ fertur ab habente potestatem, in hominem subditum, ex causa sufficienter probata, denum lata est servato juris ordine. Hæc vero Censura semper valida est in foro exteriori, ſed aliquando potest eſse invalida coram Deo, ut si feratur contra eum qui quidem & falsis allegatis, & probatis juridice convictus fuit de crimine quod reipsa non admisit.

Censura injusta ea est, cui aliquid deest ex memoratis conditionibus prærequisitis, ut Censura justa sit, & hæc iterum duplex est, injusta sed valida, injusta simul & invalida. Censura *injusta valida* ea est, cui deest aliquid accidentale, nihil vero eorum, quæ eſsentialiter ad Censuram requiruntur, talis est Censura quæ fertur non servato juris ordine accidentali, licet substantialis & eſsentialis servatus sit. *Injusta & invalida* ea est, cui deest aliquid eſsentiale, sive ex parte Judicis, cum caret jurisdictione, sive ex parte illius, contra quem fertur Censura, quia culpa ejus vel evidentur nulla est, vel non sufficienter probata, sive denique ex parte juris, quia ordo substantialis prætermiſsus fuit.

Circa hæc sequentia in praxi tenenda sunt *1mo*:

Cen-

Censura injusta, sed valida, ut si vg. Judex ex odio, ira, excommunicat, aut formalitates in ferenda Censura accidentales omittet, habet suum effectum, & vere in conscientia etiam ligat, unde qui sic Censura innodatus, celebrat, fit irregularis, quia cum sit valida, vim totam habet, & effectum suum habere debet. Et id exprefse docuerunt S. Gregorius M. Homil: 26. in Evangelia, ubi sic ait. *Is, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injuste.* Et Urbanus I. inquit. *Valde timenda est sententia Episcopi, licet injuste liget aliquem.* Si etiam dubium sit an Censura justa sit, an valida, servari illa debet etiam in foro conscientiæ, quia id tutius est.

2do: Si Censura sit injusta simul & invalida, tunc vel est evidenter invalida, vel licet à parte rei nulla sit, non est tamen evidenter nulla. Si *1mum:* Tunc istiusmodi Censura nec coram Deo ligat, neque coram hominibus, quia nullitas, & injustitia illius à nemine in dubium revocari potest, utpote vel jam demonstrata vel aliunde notoria. Si *2dum:* Tunc is in quem lata est Censura, humiliter parere debet, & juris remedia quærere ad Superiorem recurrendo. Quodsi remedia juris invenire non pofsit, quia juridice probatus est nocens, cum reipsa sit innocens, debet humiliter sustinere Censuram, ac proinde in foro exteriori debet abstinere ab iis omnibus, quæ hujusmodi Censura innodatis prohibita sunt. Attamen ille, privatim, & coram illis, qui innocentiam ipsius perspectam habent, & secluso scandalo potest sacras suas functiones obire, Mifsam celebrare & alia munera sacra obire, quia talis ex falsis allegatis condemnatus, vere coram Deo innocens est, secluso ergo scandalo, non debet à sacris functionibus removeri, unde etiam sic injuste excommunicatus, non privatur communibus Ecclesiæ suffragiis

Quæres 2do: Quis potest ferre Censuras?

Resp: Censuras ferre pofsunt. *1mo:* Romanus Pontifex. *2do:* Episcopus etiamsi non sit consecratus, dummodo sit à Papa confirmatus. *3tio:* Vicarius Episcopi generalis, & Sede vacante Vicarius Capituli. *4to:* Concilia generalia pro tota Ecclesia, Provincialia pro tota provincia. Quia hi omnes potestatem jurisdictionis habent, quæ ad ferendas Censuras necefsaria est, ligare ergo, ac solvere sibi subditos pofsunt. Et hæc eorum potestas ferendi Censuras est ordinaria, quia ipsis competit vi officiorum quibus in Ecclesia perfunguntur, unde etiam proprio nomine illas ferre consveverunt. Ut tamen quis Censuras ferre

ferre poſsit, neceſse est ut sit Clericus, quia ferre Censuras est actus jurisdictionis spiritualis, & quidem fori exterioris, hæc autem ut legitime exerceri poſsit, neceſse est, ut sit Clericus, qui eam exerceat, & quilibet ac solus Clericus capax est jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Delegata etiam potestate poſsunt ferri Censuræ, si ab habente ad id potestatem ordinariam, ipsa alicui conceſsa fuerit. Non valet autem Censura ab eo lata, si jam tunc revocationis suæ notitiam habuerit, quia jam caret jurisdictione, quodsi Censuram tulerit antequam revocationis suæ notitiam habuerit valet Censura, nisi delegans contrarium expreſse statuerit. Porro potestas delegata ad ferendas Censuras, finitur morte delegantis, aut ipsius ab officio amotione, nisi causa ad quam quis fuerat delegatus, cæpta jam ac inchoata fuerit.

Quæres 3tio: An quis poſsit ferre Censuram extra proprium territorium, in quo jurisdictionem habet?

Resp. Inter eos, qui Censuras ferre poſsunt, quidam sunt qui limitatum territorium non habent, veluti Romanus Pontifex, qui cum sit supremus & universalis Pastor, in omnes fideles totius Orbis potestatem habet, in omnes igitur ubique Censuras ferre potest. Episcopi limitata & definita territoria habent, quare isti extra proprium territorium Censuras ferre nequeunt, quia in alieno territorio jurisdictionem exercere, & tribunal erigere nequeunt. Quando tamen causæ cognitio in proprio territorio jam præceſsit, vel quando delinquentis contumacia adeo manifesta est, ut causæ discussione non egeat, & monitio facta est, valide Censuræ ferri poſsunt ab Episcopo etiam in aliena Diæcesi existente. Censuras quoque in alieno territorio ferre Episcopus potest per modum præcepti ad evitanda delicta quæ timentur, quia tunc nulla requiritur causæ discusio ac cognitio. Absolute etiam in sibi subditum Censuras ferre potest Episcopus in aliena Diæcesi, si id ei ordinarius illius loci permiserit. Probabilior quoque sententia est, poſse Episcopum Censuras proprio subdito infligere, qui in suo territorio deliquit, etiamsi ille in alienum aufugiſset. Hinc potest Episcopus ad Synodum Diæcesanam sub excommunicationis pæna omnes Clericos sibi subditos vocare, & excommunicationem incurrerent, qui in aliena Diæcesi degentes proprii Episcopi mandato non obtemperarent. Qui etiam in alieno territorio peccavit, si reversus ad suam Diæcesim de Crimine convincatur, Censura à suo Episcopo plecti potest. Tandem a-

lie-

lienum subditum, in sua Diæcesi peccantem potest Episcopus loci Censuris punire, quia delictum sortitur forum loci in quo commifsum est, si tamen ab eo territorio discefserit, antequam causa illius cognoscatur, jam ab Episcopo hujus loci Censuris feriri nequit.

Quæres 4to: Quæ requiruntur ad ferendam & incurrendam Censuram?

Resp: Ad ferendam, & incurrendam Censuram videlicet excommunicationem majorem, suspensionem aut interdictum, requiritur *1mo*: Peccatum mortale. Quia istiusmodi Censuræ, sunt pænæ gravifsimæ, infligi ergo nequeunt, nisi ob graves culpas, ad illas ergo ferendas, & incurrendas requiritur peccatum mortaliter grave. Excommunicatio tamen minor quæ nonnisi propter civilem cum excommunicato vitando conversationem incurritur, & â qua omnis confefsarius absolvere potest, censetur levis efse pæna, adeoque propter levem etiam contrahitur culpam. Idem decendum est, de suspensione ad breve tempus duratura, & interdicto particularis personæ ad breve intervallum lato, hæc inquam inter minores Censuras computari solent, ac proinde ob levem culpam infligi pofsunt. Verum hic sermo est de Censuris prout communiter accipiuntur videlicet de excommunicatione majore, suspensione, & interdicto, & istæ ergo cum pænæ gravifsimæ sint, imponi nequeunt, nisi ob gravem culpam. Quæ ergo excusant à culpa mortali, excusant quoque ab incurrenda Censura. Unde non pofsunt Episcopi rem, quæ tum in se spectatis omnibus circumstantiis levis est, præcipere, aut prohibere sub gravi Censura, secus si res ea, licet in se levis, gravis fiat ex circumstantiis, vg: ratione scandali, aut periculi, ne culpâ levis, viam sternat ad culpam graviorem. Sic popinarum ingrefsus sub gravi Censura prohiberi Clericis potest, quia illarum fuga multum conducit ad sanctiorem Cleri disciplinam.

Ex his sequitur, quoties aliquid â lege vel ab homine prohibetur, aut præcipitur sub pæna gravioris alicujus censuræ, obligationem efse sub mortali, etiamsi res illa ex se non sit mortaliter mala, quia dum aliquid sub gravi censura prohibetur, aut præcipitur, semper id reputatur multum ad bonum commune conducere ac inservire, ac proinde juste, ac legitime potuifse sub gravi Censura præcipi, aut prohiberi.

2do: Debet efse peccatum externum, peccatum pu-

re internum Censuræ non ſubjacet. Quia illa solum peccata Censuris subjacent, de quibus Ecclesia judicare potest. Porro de pure internis Ecclesia nec judicat, nec potest Judicare, unde Innocentius 3. Papa sic ait. *Nobis datum est de manifestis tantummodo Judicare*, de internis vero judicat, *qui scrutator est cordium*. Certa pæna fori exterioris pro culpa solum exteriori decerni potest. Censura vero est pæna fori exterioris. Ergo nonnisi pro culpa exteriori infligi potest. Hinc illa fluxerunt Juris axiomata: *Non habent latentia peccata vindictam. Cogitationis pœnam nemo patitur.* Quamquam enim Ecclesiæ potestas spiritualis sit, sed quia ipsa per homines exercetur, & homines actus pure internos dignoscere nequeunt, ideo Ecclesia nec judicat, nec plectit actus pure internos. Hinc propter hæresim pure internam, & nullo signo exteriore manifestatam, non incurritur excommunicatio.

Neque etiam Censuras incurrit, qui ponit quidem actum malum, sed qui exterius ea caret malitia, quæ ad contrahendam Censuram prærequiritur; quare Censuram non contrahit qui actum ex affectu & intentione mortaliter mala perficit, qui tamen exterius spectatus, & precise prava illa voluntate nonnisi peccatum est veniale, quia cum ad incurrendam Censuram requiratur peccatum & mortale, & externum, illud exterius spectatum mortale eſse debet. Pariter qui actum exterius ponit, sed cui actus internus non adjungitur, exg. hæresim nonnisi verbis profert, quam corde non tenet, à Censura contra Hæreticos lata immunis est, quia actus exterior bonitatem, ac malitiam suam ab actu interno desumit, & ab eo specificatur. Ad contrahendas tamen Censuras non est neceſse ut actus sint notorii, aut publici, sufficit quod sint exteriores, quamvis occulti, unde qui in occulto libros Hæreticorum legit, aut internam suam hæresim clam prodit, ac exterius manifestat, incurrit excommunicationem contra Hæreticos, & eorum libros legentes latam.

3tio: Actus, qui Censuræ subiacet, ut ipsa per eum contrahatur, debet eſse exterius consummatus, atque perfectus. Unde si stuprum sit sub excommunicatione prohibitum, intelligitur copula carnalis consummata, si Censura lata sit contra homicidas, qui homicidium attentavit, sed propter quodcunque impedimentum obveniens non perfecit, Censuræ istiusmodi non est reus. Pariter quando Censura sub conditione lata est vg: contra eos, qui Do-

mum deprædati sunt, nisi restituant intra mensem, nonnisi finito termino Censura hæc incurritur: Ratio horum est, quia in meris pænalibus odia sunt restringenda, & lex, aut statutum non ligat, nec operatur ultra intentionem Legislatoris, ac Superioris Censuram constituentis, de qua ex verbis constare solet. Si tamen per legem, aut statutum non solum ipsa actio, sed & conatus ejus sub Censura prohibeatur, Censura incurreretur etiamsi actio non fuerit consummata, neque perfecta, sic qui ad Duellum provocat, illudque acceptat, sunt ipso facto excommunicati, quia Duellum etiam provocatione, acceptatione attentatum sub excommunicationis pæna prohibitum est.

4to: Ut Censuræ incurrantur requiritur peccatum proprium illius, qui Censuræ subjiciendus est, nam Censuris nemo plecti potest propter aliena peccata, cum ipse innocens est. Et præterea necesse est, ut in peccato quod ipse commiserat contumax sit, scilicet voluntarie, & malitiose perseverans, unde Censura ab homine ferri nequit nisi delinquens moneatur, quia Censuræ nonnisi in contumaces ferri possunt, quare qui paschali defuit communioni, Censura plecti nequit, nisi monitus, se emendare, vel condignam satisfactionem præstare recuset. Qui tamen legem cujus trangressioni annexa est Censura, sciens & volens transgreditur, contumax esse censetur & Censuram contrahit. Quia per ipsam legem jam monitus est, & contumaciter ei resistit. Verum tamen ad contrahendas illas Censuras, quæ latæ sunt contra *temere quidpiam facientes, qui istud facere ausi fuerint, qui scienter vel ex contemptu hoc egerint,* non quodlibet voluntarium etiam ad mortale sufficiens satis est, sed plus quidpiam requiritur quam ad alias contrahendas Censuras, quia ut illæ incurrantur opus est ut lex transgrediatur ausu temerario, scienter, aut ex contemptu, quæ non in omni voluntario reperiuntur.

Quæres 4to: Censuris qui ligari possunt?

Resp: Illi solum Censuris ligari possunt, qui subjecti sunt illi, qui tulit Censuras, quia ubi non est subjectio, ibi neque est jurisdictio, Censuræ autem sine jurisdictione ferri non possunt. Unde Religiosi qui quoquomodo à jurisdictione Episcopi exempti sunt, Censuris ab eo latis ligari nequeunt, sed in iis tantummodo casibus, in quibus exempti sunt, in quibus autem jurisdictioni Episcopi sunt subjecti, veluti in prædicatione verbi divini, in administrandis Sacramentis, in illis, Censuris ab Epi-

scopo

scopo latis stringuntur; hinc qui in proprio Episcopi sui territorio deliquit, Censuris ab eo latis ligatur etiamsi in alienum territorium aufugerit: quare si in aliqua Diæcesi lata sit excommunicatio contra homicidas, & in illa existens Petrus lethaliter vulneravit Paulum, ac in aliam mox aufugit Diæcesim, eo instanti ipse prædictam incurrit excommunicationem, quo Paulus ex accepto vulnere moritur. Et hoc verum est, licetsi Paulus quoque extra illam Diæcesim moriatur, quia semper verum est, istum homicidij crimen perpetratum fuiſse & in loco ubi excommunicationis pæna contra ipsum lata est, & ab eo admiſsum, qui legi sive statuto prædictam excommunicationem decernenti subjectus est. Eadem de causa qui Andream letaliter vulneravit in Ecclesia existentem, incurrit Censuram latam contra eos, qui occidunt in Ecclesia, etiamsi Andreas in domo sua moreretur, quia reipsa Crimen homicidij in Ecclesia perpetratur, licet effectus ejus extra Ecclesiam sequatur. A contrario vero, qui in Ecclesia positus hominem extra ipsam existentem occidit, non incurrit Censuram contra eos latam qui in Ecclesia occidunt, quam incurreret si extra Ecclesiam positus eum interimeret, qui in Ecclesia erat. Ratio est, quia prioris delictum consumatur extra Ecclesiam, posterioris vero intra Ecclesiam.

Ii vero, qui licet Episcopo Censuras statuenti subditi sunt, ſed extra ipsius territorium, & Diæcesim delinquunt, Censuris ab eo statutis non subjacent. Et id constat ex Cap: 2. de Const: in 6to: ubi sic habetur. *Statuto Episcopi quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur.* Nihilominus qui in suis Beneficiis non resident, & extra propriam Diæcesim morantur, incurrunt Censuras contra non residentes latas, quia præsumptione Juris in propria sua Diæcesi eſse censentur, atque ibi reputantur peccare, ubi non præstant id quod præstare tenentur.

Quæres 5to: An extranei, qui in alieno territorio delinquunt, ibidem statutas incurrant Censuras?

Resp: 1mo: Extraneus in alieno territorio delinquens, potest Censura plecti nisi satisfaciat, quia ex Cap: ult: de foro competenti, sortitur forum ratione delicti in eo loco commiſsi. Ergo quamdiu in illa Diæcesi remanet, legitime citari potest, & ab Episcopo loci compelli ad satisfa-

tisfaciendum parti læsæ, & si contumax fuerit, etiam excommunicari.

2do: Extranei, vagi etiam & errantes, subjacent Censuris per statutum loci latis. Ratio est, quia extranei tenentur legibus locorum in quibus vivunt, qui vero tenentur legibus locorum, subjacent etiam Censuris quæ harumce legum violationi annexæ sunt.

3tio: Si Censura feratur per modum sententiæ exg: *excommunicatus sit ipso facto, qui notitiam habet talis furti, nisi revelet*, non ligat eos qui territorium nondum ingressi erant eo tempore, quo lata fuit Censura. Quia talis sententia fertur per modum præcepti transeuntis, præceptum autem transiens non cadit nisi in eos, qui actu præsentes sunt. Qui vero licet extranei sint, actu tamen in territorio illo præsentes sunt, cum talis fertur sententia, illi, si sat diu ibidem morentur, ut commode istiusmodi præcepto satisfacere possint, ad id tenentur, aliud est de iis, qui quasi cursim transeunt, illi enim ex communi opinione istiusmodi præcepto non tenentur.

Quæres 6to: An qui mandant, aut consulunt crimen, subiaceant Censuræ contra criminis executores latæ?

Resp: *1mo*: Mandantes, & consulentes crimen cui annexa est Censura, ei non subjacent, nisi explicite, vel implicite in lege contineantur. Quia in pænalibus, ut sunt Censuræ, stricta fieri debet interprætatio, nec ab uno valet illatio ad aliud. Ergo cum is, qui aliquid fieri mandat, aut consulit, non dicatur stricte, & proprie illud exequi, pæna in unum lata, non statim ad alium est extendenda. Quodsi lex Censuram statuens, his aut similibus feratur verbis. *Quicunque fuerit causa talis delicti, qui mediate, vel immediate, qui per se, vel per alium fecerit, sit excommunicatus*, tunc satis exprimuntur mandans, & consulens, ut Censuram contraxisse censeantur.

2do: Etiamsi in lege vel statuto, mandantes aut consulentes expressi sint, non incurrunt Censuram, cum in effectum non influunt, nisi Censura statuatur adversus mandantes, aut consulentes independenter ab effectu. Quia mandans, consulens qui in effectum non influit, non est causa operis prohibiti sub Censura. Ergo non incurrit Censuram, nisi hæc lata sit primario contra consulentes, aut mandantes, ita ut ex solo mandato aut consilio obnoxii sint sicut Cap: 1. de homicidio in 6to: excommunicatur ipso facto, qui quempiam Christianorum per as-

sassi-

fafsinos non solum interfici fecerit, sed etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur.

Hinc liber est à Censura *1mo*: qui mandatum à se datum revocavit, modo sufficienter illud revocaverit, & revocatio innotuerit ei, cui datum est mandatum. Si enim non innotuit, communior opinio tenet, mandantem tunc Censura ligari. *2do*: Qui bono animo consuluit aliquod minus mali, ut retraheret ab inferendo majori malo, exg: qui volenti Clericum occidere, fvasit ut solum percuteret, talis immunis est à Censura, non enim influit culpabiliter in opus sub Censura prohibitum. Contra vero Censuræ obnoxius erit consulens, qui malo consilio in opus malum cui annexa est Censura influxit, & ad hoc sufficit, ut homini jam ad crimen determinato, voluntatem auxerit, eumque impulerit, ut citius, ardentius, & immobilius crimen exequeretur. Istud autem cognosci potest, tam ex confefso illius cui datum est consilium, si tamen dignus sit fide, tum ex conjecturis, ut si criminis patrator jam omnia ad delictum perpetrandum necefsaria præparafset, nec ejus efset indolis, ut verbis mandantis moveretur.

Quæres 7mo: An idem homo pofsit pluribus Censuris ligari?

Resp: 1mo: Idem homo potest pluribus subjacere Censuris, sive ejusdem, sive diversæ speciei. Quia qui jam Censura irretitus est, potest vel eandem, vel diversam transgredi legem, cujus violationi alia annexa sit Censura. Potest ergo plures incurrere Censuras. Unde statuitur Cap: 27. de Sent Excom: Titium, si constet ob duplicem causam excommunicatum fuifse, & exprefsifse tantum unam in literis quas super absolutione sua impetravit, semper habendum efse pro excommunicato, donec secundam ab altera Censura obtinuerit absolutionem.

2do: Multiplicantur ergo Censuræ prout moraliter multiplicantur numerice, aut specifice transgrefsiones, quibus annexæ sunt Censuræ, quia unicuique transgrefsioni completæ, sua alligata est Censura. Hinc *1mo*: Qui Clericum sæpius percutit sine morali interruptione, unicam incurrit Censuram quia percufsio cum certam, & definitam extensionem non habeat, non censetur perfici uno aut altero ictu, sed eadem numero reputatur, donec moraliter finita, & consummata fuerit. Contra vero qui sæpius, etiam sine interruptione cum eadem fornicariam copulam haberet, plures Censuras, si forte ei annexæ sint, contraheret, quia copula fornicaria terminum habet definitum.

nitum, & uno actu consummatur, & qui proinde pluries poni nequit, quin plura numero ponantur peccata, ac per illa plures Censuræ contrahantur. *2do:* Qui uno actu tres occidit Clericos, tres incurrit Censuras, duas vero qui furatur in Ecclesia, si Censura in fures, & in sacrilegos constituta efset, quia in occisione trium Clericorum, triplex numero scelus, in furto autem rei sacræ duplex specie distinctum occurrit crimen.

3tio: Qui facit actum ab eodem, vel pluribus Superioribus, eandem habentibus potestatem pluries prohibitum, non incurrit plures Censuras. Quia Censuræ non multiplicantur, nisi multiplicentur leges, statuta, Censuras constituentia. Porro idem Superior, aut plures ejusdem ordinis, unum idemque prohibentes, aut præcipientes novas leges, nova statuta non constituunt, sed unam eandemque legem constituere censentur, qui ergo illam transgreditur, unam, non plures contrahit Censuras.

Quæres 8vo: Qua forma ferri debeat Censura?

Resp: In jure communi nonnullæ præscribuntur formalitates, quæ servari debent, dum Censuræ in aliquem vibrantur. Quales sunt, ut in scriptis Censura statuatur, ut monitio præcedat, & aliæ quam plurimæ. Porro ex his aliæ sunt efsentiales, quæ si non serventur, invalide fertur Censura, aliæ sunt accidentales, quas si Judex Ecclesiasticus non observaverit, peccat quidem, sed Censura valet. Verum hæc cum magis respiciant forum externum â Juris Canonici explanatoribus recensentur.

ARTICULUS 2dus

De iis quæ ab incurrenda censura excusant, à quo, & quomodo ab iis absolutio obtineri pofsit.

Quæres 1mo: Quæ ab incurrenda censura excusare pofsunt?

Resp: Ab incurrenda censura eximere, & excusare pofsunt, ignorantia, metus, necefsitas, impotentia, dubium quoque sive juris, sive facti, & alia nonnulla.

Quæres 2do: Qualis ignorantia excusat ab incurrenda censura?

Resp: Ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti communis, aut particularis excusat à censura. Unde si quis invincibiliter ignoraret abstinentiam à Carnibus sub

pæna

pæna Excommunicationis eſse tali die prohibitam, immunis est ab istiusmodi censura etiamsi carnes comederit. Idem est si cognoscens legem prohibentem, inculpabiliter ignoret, id quod sibi ministratur carnem, aut ex carne eſse. Quia jus commune non vult ignorantes Censuris ligari, nisi eorum ignorantia craſsa, aut ſupina fuerit. Præterea ad censuram & peccatum mortale requiritur, & contumacia. Porro ubi est ignorantia invincibilis, ibi nec peccatum est mortale, nec contumacia reperitur.

Hinc 1mo: qui laborant ignorantia venialiter solum culpabili, uti illis contingere potest, qui non parum adhibent diligentiæ, ut eorum quæ scire tenentur, notitiam aſsequantur, nonnihil tamen hac in re negligentiæ rei ſunt, ii inquam Censuras quas ignorant, non incurrunt, quia censura gravis non incurritur sine peccato mortali, ubi vero negligentia solum venialis est, ibi deest peccatum mortale, neque ergo tunc Censura contrahitur. *2do*: Qui sciunt aliquid eſse quidem malum, ac lege etiam divina prohibitum exg. percuſsionem Clerici, qui & ipse proximus est, ac propterea eum percutere, verberare, ex ſe illicitum est, ſed invincibiliter ignorant idem quoque ſpecialiter ab Ecclesia graviſsime vetitum eſse, immunes ſunt à censura, quia censura quæ pæna Ecclesiastica est, non incurritur nisi per contemptum, & contumacem resistentiam legi Ecclesiasticæ. Quando autem invincibiliter ignoratur lex Ecclesiæ, ibi nec est contemptus ejusdem legis, neque contumax est resistentia. *3tio*: Imo qui scit rem aliquam jure Ecclesiastico prohibitam eſse exg. ingreſsum in Monialium Claustra, ſed invincibiliter ignorat Censuram quæ contra hoc in puncto delinquentes lata est, ab eadem Censura immunis manet: Quia ad contrahendam censuram requiritur contumacia, quam præcedere debet monitio ab homine, vel à lege facta. Porro qui invincibiliter ignorat Censuram pro tali exceſsu lege Eccleſiastica statutam eſse, non est monitus, non est proinde contumax, ac propterea non incurrit Censuram. Atque in hoc Censuræ, ab aliis pænis Ecclesiasticis exg. irregularitatibus, quæ ex delicto contrahuntur, differunt, quia illæ etiamsi ignorentur contrahuntur, non item Censuræ. Ignorantia itaque invincibilis solius etiam Censuræ ab illa incurrenda immunem facit. Verum cum non ita frequenter occurrit ignorantia invincibilis Censuræ lege universali latæ, ideo non facile ab ea exempti reputandi sunt, qui ejusmodi legem fuerint transgreſsi. Nemo igitur eum à Censura eximere

re poterit, qui exg. duellum committeret, sciens ab Ecclesia illud severe prohiberi, quia Censuram huic prohibitioni annexam eſse nesciebat. Quia ergo difficile est dari ignorantiam vere invincibilem, Censura quæ lege Ecclesiæ universali constituta est, ideo etiamsi quis ignorantiam illius allegaret, absolutionem ab ea petere teneretur. Aliud est de Censuris legibus, ac statutis particularibus constitutis, quia istiusmodi leges, ac statuta ignorari poſsunt, facilius etiam propter ignorantiam à Censuris per ea constitutis eximi delinquentes poſsunt.

2do: Ignorantia vincibilis, quæ à peccato mortali non excusat, non excusat etiam à Cenſura, quia istiusmodi ignorantia & ipsa peccatum est, & causa peccati, quemadmodum ergo non excusat à peccato, ita etiam non eximit à Censura. Quando tamen in lege dicitur: *Qui scienter hoc fecerit, qui facere præsumpserit, qui temerarie id fecerit*: ab istiusmodi Censuris excusat etiam ignorantia simpliciter vincibilis, quia leges cum talibus clausulis censuras statuentes maiorem requirunt notitiam, quam quæ in aliis, quæ his clausulis carent exigi ſolet. Affectata tamen ignorantia in his casibus ab incurrenda Censura non eximit, quia talis ignorantia pro scientia habetur, eique moraliter æquivalet. Idem dicendum est de iis qui agunt ex ignorantia non quidem affectata, ſed ita craſsa ut affectatæ æquivaleat. Qui vero agunt ex ignorantia simpliciter craſsa ab hujusmodi Censuris excusari ſolent, quia leges tales Censuras contra temerarios violatores, decernentes, quemdam contumaciæ requirunt gradum, qui iis deeſse videtur, qui legem licet non sine gravi sua culpa penitus ignorant, & ideo ipsam transgrediuntur.

3tio: Iugnorantia quoque concomitans, si vere invincibilis sit, excusat à Censura. Quia actus externus ex ignorantia concomitante, & invincibili factus, ex pravo quidem procedit affectu, ſed exterius non continet eam malitiam mortalem quæ ad contrahendam censuram prærequiritur. Hinc à Censura liber est, qui eum, quem invincibiliter credit eſse feram, vel Laicum, cum sit Clericus infensus, occidit, attamen si eum cognoviſset, nihilominus occidiſset, actus siquidem pravi licet, ſed pure interni Censuris non ſubjacent.

Quæres 3tio: An qui agit quidpiam dubitando an non ei annexa sit Censura, eam reipsa incurrat?

Resp: Qui dubitat an actioni quam faciendam meditatur annexa sit Censura, eam certo incurrit, si, reipsa hæc

hæc illi annexa sit, quia talis & vere peccat, & satis contra legem contumax eſse censetur, cum voluntarie faciat id, quod advertit forte ſub Censura prohibitum eſse. Si vero dubium versetur circa actionem jam peractam, an exg. ei annexa sit excommunicatio, aliaque Censura, talis debet se gerere pro excommunicato, ſuspenso.

Quæres 4to: An metus excusat á Censura?

Resp: 1mo: Metus levis ab incurrenda Censura non excusat, quia à peccato non eximit, neque ergo à Censura eximere valet.

2do: Si res quæ ex metu gravi agitur, prohibita sit tantum jure Ecclesiastico, qui eam facit, non incurrit Censuram. Quia qui legem mere humanam adimplere prætermittit ex metu gravi, puta vitam amittendi, famam, aut fortunas, non peccat, quoniam leges pure humanæ cum tanto damno, ac incommodo non obligant. Cum itaque metus gravis in iis quæ ſunt pure juris Ecclesiastici à peccato excusat, à Censura etiam eximit; aliud si metus etiam gravis incutiatur in contemptum Ecclesiæ, ut si quis ab Hæretico metu gravi ad manducandas Carnes die Veneris adigeretur, quia qui legem Ecclesiæ in ejus contemptum etiam ex metu gravi sibi incuſso transgreditur, non ideo à gravi peccato immunis est, ergo neque liber est â Censura contra istiusmodi peccatum lata.

3tio: Quod si res, quæ fit ex metu gravi, non Ecclesiastico solum, ſed divino etiam ac naturali jure vetita sit, probabilius est tunc incurri censuram, quia in tali casu metus gravis à peccato non excusat, ergo neque â Censura eximere valet. F. vero scopus ac finis Ecclesiæ Censuras decernentis est, ut homines potentius, ac efficacius retrahat ab iis quæ jam divino, aut naturali jure prohibita ſunt, igitur tam late extenditur Ecclesiæ censura, quam Dei, aut naturæ lex extenditur, unde cum divina, aut naturalis lex etiam in casu gravis metus obliget, in eo pariter ligat Ecclesiæ Censura.

Quæres 5to: Utrum impotentia faciendi id quod præcipitur ſub Censura. ab ea excuset?

Resp: Excusat, quia quod excusat à peccato, excusat etiam â Censura, Porro impotentia excusat à peccato, ergo excusat etiam à Censura. Hinc non ſubjacet Censuræ contra rerum alienarum detentores latæ, qui vel absolute restituere nequit, vel id non potest sine damno longe majori. Pariter qui die festo Miſsam audire non potuit, si ipsius omiſsioni annexa eſset Censura, ab

ea

ea immunis foret. Verum qui mane Misſam audire potuit & tunc non audivit, prævidens futurum quod deinceps audire non posſit, quemadmodum peccati reus est, ita etiam Censura ligatus manet.

Quæres 6to: Quis à Censuris absolvere posſit?

Resp: Censuræ vel reservatæ ſunt vel non. Præterea vel relaxantur pro foro interiori, vel in foro exteriori. Igitur *1mo*: in articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pænitentes, à quibusvis peccatis & Censuris reservatis etiam absolvere posſunt, ne scilicet quiſ pereat. Ita Concilium Tridentinum constituit Sesſ: 14. Cap: 7. quia in eo casu omnes Sacerdotes jurisdictionem habent ab Ecclesia sibi communicatam. Et hæc potestas competit etiam Sacerdoti præciso, & denunciato, prout nunc communiter docent Theologi. Non potest tamen Sacerdos non approbatus in articulo mortis absolvere cum præsens est Sacerdos approbatus, vel cum abſolutio à Censuris per literas à Superiore obtineri potest. Quodsi Confesſio Sacerdoti non approbato cepta fuerit, & ſuperveniat approbatus, poterit prior continuare, & absolutionem impertiri. Ceterum Sacerdos qui aliquem in articulo mortis à Censuris abſolvit, à quibus alios abſolvere non poterat, curare debet ut pænitens ſublato infirmitatis impedimento, quam primum fieri poterit, præsentet se Superiori qui de jure extra mortis periculum abſolvere poterat. Ita disponit Rituale Rom: de Sacram: Pænit: titulo 3. Cap: 1. Et id magis adhuc fieri debet, si Censura, qua moribundus ligatur, fuerit publice denunciata, ut scilicet à ſuo Superiore à Censura pro foro etiam exteriori absolvatur. Porro hic articulus & periculum mortis idem ſunt, ac promiscue ſumuntur. Quamquam vero in articulo, sive periculo mortis omnis Sacerdos ab omnibus peccatis, & Censuris absolvere posſe dicatur, id tamen intelligendum est de iis Censuris, quæ consecutionem gratiæ impediunt, ne scilicet, ut loquitur Concilium Trident: *occasione illarum quis pereat;* qualis est excommunicatio, interdictum personale, unde non est neceſse ut moribundus absolvatur à ſuspensionibus, aut irregularitatibus contractis, quia hæc consecutionem gratiæ non impediunt.

2do: A Censuris etiam non reservatis in foro exteriori nemo absolvere potest, nisi is, qui eam tulit, ejus ſuccesſor, ab ipso delegatus, & illius Superior. Quia ii ſoli in foro exteriori ordinariam, aut delegatam exercent jurisdictionem, in foro autem interiori Excommunicatio

catio à jure vel statuto lata, quæ non est reservata, ab omni Sacerdote ad audiendas Confefsiones approbato, relaxari potest, quia *conditor legis, ac statuti, eo ipso quo Censuræ hujus absolutionem sibi ſpecialiter non retinuit, concefsiſse videtur facultatem aliis eam relaxandi.* Sic inquit Innocentius 3. Cap: 29. de Sentent: Excom: Hæc tamen regula locum non habet *1mo*: cum Episcopus censuras quæ jure communi reservatæ non ſunt, sibi ſpecialiter reservavit. *2do:* Cum censuræ etiam non reservatæ ad forum contentiosum traductæ ſunt. Si reus se purgavit falsis etiam probationibus, jam Censura quam incurrerat, non magis reservata erit, quam ante intentatam ipsi litem, quia crimen quod non est in Judicio probatum, manet occultum. *3tio*: Cum censura fertur ab homine per ſpecialem ſententiam, hæc enim ſemper reservata est ei, qui ipsam tulit.

Suspensio autem & Jnterdictum ſaltem locale, & generale personale, ex communi ſententia censetur reservata eſse Superiori qui eam tulit, ita ut nullus Sacerdos pofsit ab eis absolvere sine potestate ad id à Superiore accepta. Sunt tamen Theologi qui dicunt Confessarium ordinarium ex concefsione Ecclesiæ poſse absolvere à Suspensione & Jnterdicto particulari, cujus pænitens non est sibi conscius, & ad hoc valere formulam usitatam, quæ in audiendis Confefsionibus adhibetur.

Quæres 7mo: Episcopi poſsuntne absolvere â Censuris Papæ reservatis?

Resp: A Censuris Papæ reservatis Episcopi absolvere pofsunt. *1mo*: quando istiusmodi Censuræ contractæ ſunt ex delicto occulto. De his sic habet Concilium Trident: Sefs: 24. Cap: 6, de Reform: *Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuspensionibus ex delicto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi ſubditos in diœcesi ſua per seipsos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere.* Et hanc potestatem Episcopi exercere pofsunt extra Sacramentum Pænitentiæ, quia forum Conscientiæ pro quo ista potestas Episcopis concefsa est, non ſolum est intra, ſed & extra Sacramentum Pænitentiæ, dummodo res occulte, & sine strepitu juris fiat. Nomine autem delicti occulti communiter illud delictum intelligitur, quod aut non est

dedu-

deductum ad forum contentiosum, aut non ita notum est ut non poſsit aliqua tergiversatione celari. Quare licet per testes probari poſsit, tamen si non est famosum, & ad forum contentiosum deductum, adhuc occultum manet, quia non omne quod à pluribus cognitum est, notorium censeri potest. Tunc vero ad forum contentiosum deductum eſse censetur, quando delatum ad Judicem est, & licetsi per unum ſolum testem probatum. Si vero reus accusatus in foro exteriori, se purgaverit, etiam per falsos testes & via iniqua, atque absolutus sit, tunc potest hunc, si reipsa reus sit, Episcopus in foro conscientiæ abſolvere, quia istiusmodi delictum perinde se habet, ac si non fuiſset ad forum contentiosum deductum, ac propterea occultum reputandum est. Hæc autem facultas Episcopis à Concilio Tridentino ſuper casibus, ac censuris occultis Papæ reservatis conceſsa, per Bullam Cenæ Domini, fuit revocata quantum ad casus in ipsa contentos.

2do: A censuris etiam non occultis Papæ reservatis poſsunt Episcopi absolvere, quando urget gravis neceſsitas, & valde difficilis est acceſsus ad Romanum Pontificem. Et in hoc eventu Episcopi valent absolvere ab omnibus Censuris & Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam illis, qui ſunt in Bulla Cænæ Dni contenti, sive hæc delicta publica sint, sive occulta. Tunc autem reputatur impoſsibilis, aut valde difficilis acceſsus ad Romanum Pontificem, quando est periculum mortis in via, gravis quoque infirmitas, ætas ſenilis, ac juvenilis, obligatio obediendi Parentibus, alendi familiam, obtemperandi alterius potestati. Hæc ſunt, quæ juxta communem Theologorum ſententiam difficilem reddunt ad Romanum Pontificem acceſsum, ac propterea in his casibus à Censuris etiam publicis Papæ reservatis Episcopi absolvere poſsunt, atque istud expreſse statutum habemus Cap: 26. & 58. de Sentent: Excom: ubi dicitur: poſse Episcopos à Casibus Papæ reservatis, etiam non occultis & quamcunque censuram habentibus absolvere eos, *qui imminente mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, puerili, vel ſenili ætate, fragilitate ſexus, vel alio canonico impedimento obstante* Romam recurrere non poſsunt. Et isti legitime sic impediti neque per Epistolam, neque per Procuratorem obstringuntur ſe ſummo Pontifici præsentare pro obtinenda ab eo absolutione, quia id jura non requirunt.

Nisi

Nisi id locorum usu stabilitum sit, quod & observari debet.

3tio: Tempore Jubilæi poſsunt omnes Sacerdotes, modo ab Episcopo ad audiendas Christi fidelium confessiones approbati sint, absolvere in foro Pænitentiæ à Censuris Papæ reservatis. Circa hæc ſequentia notanda ſunt. *1mo*: eum, qui Jubilæi gratiam lucrari studuit, si post transactum Jubilæi tempus recordetur peccati cum censura reservati, cujus oblitus fuerat in ſua Jubilæi tempore facta confeſsione, poſse deinceps â quovis Sacerdote absolutionem recipere, quia per priorem generalem peccatorum, & censurarum absolutionem omnis reservatio ablata est. Quod etiam locum habet quoties quis Sacerdoti pro reservatis approbato, quædam reservata peccata confiteri oblitus eſset, tunc enim prima absolutio reservationem tollit, unde peccata illa deinceps â quovis Sacerdote relaxari poſsunt. Sed qui Jubilæi tempore Confeſsionem ſua culpa nullam fecit, is non est â reservatis absolutus, unde post Jubilæum ad Sacerdotem pro reservatis approbatum recurrere debet. *2do:* quando in Jubilæo conceditur generalis facultas absolvendi à Casibus Papæ reſervatis non ideo datur poteſtas absolvendi á Cenſuris contentis in Bulla Cænæ Dni: niſi specialiter exprimatur, quia istiusmodi Censuræ sunt specialiter Romano Pontifici reservatæ, ſpecialia autem non continentur in conceſsione generali, nisi exprimantur.

Quæres 8vo: A Censuris Episcopo reservatis quis absolvere potest?

Resp: A Censuris Episcopo reservatis, quæ per ejus statuta latæ ſunt, absolvere potest ipse Episcopus, qui illam tulit, ejus ſucceſsor, qui ipso est major, ac ſuperior, denique ipsius delegatus, quia illi quemadmodum habent potestatem ligandi sive ordinariam, sive delegatam, ita quoque parem habent potestatem & absolvendi. A censuris etiam quæ feruntur per ſententiam particularem, & in certam ac determinatam personam, licet confuse expreſsam, & quæ stricte dicuntur Censuræ *ab homine*, licet expreſse non reserventur, reservatæ tamen ſunt illi, qui ipsas tulit, & nemo ab iis absolvere potest, nisi ad id ſpecialiter ab illo deputatus fuerit, quia alioqui peſsum iret Ecclesiastica disciplina, corrueret jurisdictio, & judiciorum ſubverteretur ordo. Quare etiam in Concilio Later: ſub Leone 10. habito, stricte prohibitum est Regularibus ne *Laicos, vel Clericos à ſententiis ab homine latis ullatenus*

tenus absolvere poſsint. Hinc qui Varsaviæ exg. nominatim excommunicatus est, neque ab Episcopo Diæcesis alterius, in qua domicilium fixit absolvi potest. Rursus qui in aliena Diæcesi ob aliquod delictum ibi commiſsum ſpeciali Censura ligatus fuit, ad ſua reversus, â proprio etiam Episcopo absolvi nequit. Quia ex trito axiomate: *Præventus à Judice, forum ipsius in ea causa declinare non potest.* Unde ad illum recurrendum est, qui ſententiam tulit. Denique qui censura particulari ad instantiam alterius, qui ab ipso læsus fuit, percuſsus est, non potest etiam post præstitam ſatisfactionem, & de ejus consensu, ab alio absolvi, quam ab eo qui censuram tulit.

Hic unum annotandum est, videlicet eum, qui â Papa delegatam habet potestatem absolvendi â Casibus ipsi reservatis, habere quoque potestatem absolvendi à Censuris eidem reservatis, quia casus non ſunt Papæ reservati nisi ob annexam illis Censuram. Qui autem potestatem obtinuit absolvendi à Casibus Episcopo reservatis, non potest idcirco á Censuris Episcopo reservatis absolvere, quia cum Episcopi ſoleant aliquos sibi reservare Casus quibus nulla est Censura annexa, inde fit, ut casus reservati, & Censuræ Episcopales sint duæ res distinctæ, nec unum in alio includatur.

Quæres 9no: A quo absolvi poſsit Titius qui in ſua Diœcesi degens censuram reservatam incurrerat, & alibi perveniens, ſua confitetur peccata?

Resp: Si in loco quo Titius pervenit Censura hæc viget, & reservata est, non poterit ille ab ea absolvi nisi per Sacerdotem, qui pro reservatis Casibus, Censurisque approbatus est. Si vero in illo loco ubi Titius commoratur, Censura hæc vel non sit constituta, vel non est reservata, poterit à quocunque Sacerdote simpliciter ad excipiendas Confeſsiones approbato absolvi. Quia etsi Censura directe in pænitentem cadit, eumque ligat, reservatio tamen in Confeſsarium cadit, eumque afficit, ac potestatem illius stringit, ubi ergo Censura reservata non est, ibi à quocunque Confeſsario tolli, ac relaxari potest. Nisi Titius ad declinandam Censuram ejusque reservationem, ac proinde ut facilius Criminis â ſe admiſsi absolutionem obtineret ex propria Diæcesi abierit, ac in aliam eo fine ſe transtulerit, quia fraus, & dolus nulli patrocinari debet.

Quæres 10mo: Cum quis pluribus ligatus est Censuris, potestne ab una absolvi remanente altera?

Resp: Potest, quia nulla est inter Censuras connexio,

xio, quemadmodum ergo ſeorsive, & singillatim poſsunt contrahi, ita etiam ſeorsive una potest tolli altera remanente. Hinc qui absolutionem â Censuris extra Confessionem vg. ab Episcopo petendo, unam expreſsit Censuram, & alteram reticuit, non debet judicari ab hac altera eſse absolutus, nisi merito conijci poſsit Episcopum sine restrictione ab omnibus Censuris absolvere voluiſse, quod nunquam præsumi debet, quando petens absolutionem ex dolo & fraudulenter aliquas Censuras in pétitione expressit, alias celavit. In Sacramento vero Pænitentiæ Sacerdos intendit absolvere ſuum pænitentem, quantum licite ipse potest, & pænitens indiget, unde tollit etiam illas Censuras, quæ è pænitentis memoria exciderunt. Quapropter si Confeſsarius à Censuris reservatis absolvere potuit, omnes ſaltem indirecte ſublatæ ſunt, tenebitur quidem pænitens peccata oblita confiteri, non autem denuo à Censuris absolvi debet, unde ab illis peccatis à quocunque Confeſsario absolvi poterit, quia reservatio ſublata est.

Quæres xxmo: An absolutio â Censuris dari poſsit extra Pænitentiæ Sacramentum?

Resp: Triplex est forum, videlicet *contentiosum* ſeu forum fori, in quo res exterius discusæ dijudicantur ſecundum juris ordinem, *Conscientiæ*, in quo res expediuntur absque judiciali strepitu. *Pænitentiæ*, est ipsum Sacramenti Pænitentiæ tribunal audita pænitentis Confeſsione. Itaque *1mo*: qui habent ordinariam potestatem absolvendi à Censuris, ab iis absolvere poſsunt non audita Sacramentali Confeſsione, sive in foro contentioso, sive in foro conscientiæ. *2do*: qui habet potestatem delegatam ad absolvendum à Censuris in foro conscientiæ, potest etiam ab ipsis abselvere non audita Sacramentali Confeſsione, id tamen ſecreto & in occulto fieri debet. *3tio:* qui delegatam habet potestatem absolvendi à Censuris pro foro Pænitentiæ, hanc exequi non potest nisi in tribunali Sacramenti pænitentiæ, audita prius pænitentis confeſsione.

Quæres x2mo: Qua forma danda est absolutio â Censuris?

Resp: Absolutio à Censuris non requirit certa verba, cum non sit Sacramentalis, ſed potest valide à Censuris absolvi per quælibet verba ſufficienter id exprimentia. Verum cum quis à Censuris absolvendus est, ſervari debet forma ad id præscrípta in Rituali Romano de Sacramento Pænitentiæ titulo 3tio Cap: 3tio 4to, & 5to.

Igitur

Igitur juxta ibi præscriptas formas absolutio â Censuris impertienda est.

Datur etiam aliquando absolutio â Censuris ad cautelam, quando scilicet dubium est an aliquis Censuram excommunicationis, suspensionis, aut interdicti personalis incurrerit, atque tunc sequens adhiberi potest formula. *Absolvo te â Censura Excommunicationis, aut suspensionis, si eam incurristi ob tale factum.* Imo omnibus Confitentibus in Sacramento Pænitentiæ, antequam â peccatis absolvantur, juxta præscriptum Ritualis Romani datur generalis, & absoluta absolutio â Censuris ad cautelam nimirum, ut tollatur impedimentum recipiendi prædictum Pænitentiæ Sacramentum, si quod forte subest.

Quamquam vero cessante contumacia delinquentis, & reo converso debeat ille â Censura per Superiorem, sive alium ab eo delegatum absolvi, tamen Censura reipsa non cessat, neque tollitur nisi per absolutionem, quapropter damnata est ab Alexandro 7. sequens propositio: *Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.* Quia etsi contumacia sit causa Censuræ, non est tamen causa ipsius durationis, & quemadmodum licet culpa sit causa pœnæ, hæc tamen manet licet illa tollatur, ita pariter licet contumacia sit causa Censuræ, illa sublata, hæc tamen manet, donec per absolutionem tollatur. Hinc quilibet Censuris innodatus, curare debet ut quam primum ab iis absolvatur, & cum id negligit, ac differt, peccat, & quidem graviter, si diu in Censuris sordescat.

CAPUT SECUNDUM

De Censuris in Specie.

Tres sunt species Censurarum videlicet: Excommunicatio, suspensio & Interdictum, his adjunguntur Depositio, atque Degradatio.

ARTICULUS 1mus

De Excommunicatione, ejusque effectibus.

Quæres 1mo: Quid sit, & quotuplex Excommunicatio?
Resp: Excommunicatio est Censura privans hominem bapti-

baptisatum communione bonorum Spiritualium vel ex toto, vel ex parte, quia scilicet excommunicatio alia est *maior* quæ ex toto privat communibus Spiritualibus Ecclesiæ bonis, alia *minor*, dicitur, quæ aliquibus nonnisi spiritualibus privat bonis, nempe Sacramentorum receptione. Hodie Excommunicationis nomen solitarie & sine addito acceptum, de maiori solum excommunicatione intelligendum est.

Duplicis etiam ordinis Excommunicati ſunt, alii videlicet non *tolerati & vitandi*, alii *tolerati*. Excommunicati non *tolerati*, & *vitandi* illi ſunt, quibus cum ceteris fidelibus prohibita est communicatio tam in divinis, quam in civilibus. Et tales ſunt illi, qui per ſententiam Judicis nominatim excommunicati ſunt, & ut tales in facie Ecclesiæ denuntiati, atque publicati, sive affixa sit valvis Ecclesiæ ſententia, quæ in eos lata est, sive coram populo in Ecclesiam congregato promulgata, unde ne ipsi quidem Hæretici, Calvinistæ, Lutherani ſunt vitandi, quia licet sint generaliter, & in cumulo excommunicati, non ſunt tamen nominatim declarati uti tales, neque nominatim denuntiati. Ut ergo quis excommunicatus sit vitandus, & non toleratus, debet ſententia excommunicationis in eum ferri nominatim, ipsius personam, & nomen exprimendo, atque etiam publice debet pro excommunicato declarari, nisi sit publicus, ac notorius Clerici percuſsor. Excommunicati tolerati, & non vitandi ii ſunt, quibus nec in Civilibus, nec in divinis cum ceteris fidelibus denegatur communicatio. Tales ſunt illi, qui violata lege cui annexa erat excommunicatio, eam reipsa incurrerunt, ſed publice pro excommunicatis non ſunt denuntiati, etsi forte per Judicis ſententiam crimen illud incurriſse declarati sint, quia criminis declaratio, non est excommunicationis annuntiatio. Et id patet ex celebri Decreto Concilii Constantiensis, à Martino 5. Papa confirmato, quod ita sonat: *Ad evitanda scandala & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere poſsint, Christi fidelibus misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicujus, Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, intus, & extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, à jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, aut censura hujusmodi lata fuerit, contra Personam, Collegium, Univer-*

sitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, à Judice publicata, vel denuntiata ſpecialiter, & expreſſe. Per hoc tamen non intendimus sic excommunicatos, suspensos & interdictos, aut prohibitos in aliquo relevare, aut quomodolibet ſuffragari.

Quæres 2do: Contra quos Excommunicatio ferri potest?

Resp: Porro excommunicatio ferri potest non ſolum contra privatas, ac singulares personas, ſed etiam aliquando contra totam Communitatem, exg. Collegium, Universitatem, si nimirum constaret de Crimine & contumacia omnium & singulorum Communitatis membrorum, quia tunc nulla eſset ratio timendi ne innocentes eadem, qua noxii, pæna obruantur. Verum excommunicatio lata in omnia Communitatis membra, quorum quædam noxia ſunt, alia innoxia, valida est pro noxiis, pro innoxiis valere nequit. Talem attamen ferre Excommunicationem, quæ omnia Communitatis indiscriminatim comprehendat membra, illicitum est, & à Jure prohibitum.

Hic advertendum, atque annotandum, quod Episcopi, quamvis juxta statutum Innocentii 4ti Cap: 4. de Sантent: Excom: in 6to. non incurrant Suspensionis, ac Interdicti Censuras, nisi de ipsis expreſsa mentio habeatur, non tamen eximuntur ab excommunicatione contra omnes lata, tametsi expreſse non nominentur, unde illam incurrunt, sicut & ceteri, cum aliquid faciunt ſub excommunicationis pæna prohibitum.

Quæres 3tio: Qui sunt effectus excommunicationis majoris?

Resp: Effectus excommunicationis majoris sunt sequentes. *1mo:* Privatio suffragiorum Ecclesiæ. *2do:* Privatio activa & paſsiva Sacramentorum, atque aliarum rerum sacrarum. *3tio:* inhabilitas ad ordines suscipiendos, illosque exercendos *4to:* Privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, ac communionis cum ceteris fidelibus. *5to:* Denique inhabilitas ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica, eorumque percipiendos ac retinendos fructus.

Quæres 4to: Quid, & quotuplicia sunt illa suffragia quibus excommunicatio privat?

Resp: Suffragium est quodlibet opus bonum proximo applicatum ad impendendum animæ ejus salutare auxilium, talia sunt Miſsæ sacrificia, indulgentiæ, orationes, jejunia. Hæc autem suffragia vel communia sunt, vel privata. *Communia* sunt spiritualia auxilia, atque subsidia, quibus Ecclesia suffragatur fidelibus, qui sunt membra ejus,

sive

sive ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro peccatis eorum, sive ad impetranda aliqua bona spiritualia, & quæ ad illa conducunt, atque inserviunt, Talia sunt Sacrificia, orationes, quæ nomine Ecclesiæ à Ministris ejus peraguntur. Superabundantes quoque Christi ac Sanctorum satisfactiones, quæ ex thesauro Ecclesiæ fidelibus, per Indulgentias applicantur. *Privata* suffragia sunt quælibet bona opera privata, veluti orationes privatæ, jejunia, eleemozinæ, quæ à Christianis, pro aliis offeruntur. Suffragia igitur communia nomine Ecclesiæ, fidelibus applicantur, & ab illius publicis Ministris dispensantur, privata vero â quolibet Christiano, tamquam à privata, & particulari persona alteri applicantur, & appropiantur.

Privata autem & communia suffragia in eo differunt, quod privata valorem suum perdunt, ex indignitate operantis, & applicantis, non autem communia, quæ semper eum servant valorem, quem habent ex se ipsis, & ab Ecclesia, cujus nomine perficiuntur, & fidelibus applicantur.

Quæres 5to: Quibusnam ſuffragiis privat Excommunicatio?

Resp: Excommunicatio privat communibus Ecclesiæ ſuffragiis. Quia bonorum Spiritualium dispensatio Ecclesiæ à Christo est concredita, istiusmodi autem potestate Ecclesia Excommunicatis, & putridis á se præcisis membris, ſua denegat ſuffragia, quod ex toto Jure canonico manifestiſsimum est, quare Cap: 28. & 38. de Sentent: Excomm: vetitum etiam est, ne pro Excommunicatis oretur, illosque ab omni Spiritualium bonorum participatione removet. Hinc peccaret, si quis Preces, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, pro excommunicatis funderet, quia Ecclesiæ prohibitionem transgrederetur. Imo non solum illicita est communium ſuffragiorum applicatio Excommunicato facta, ſed invalida illa foret, quia Ecclesia communium ſuffragiorum dispensatrix, istiusmodi applicationem annulat, & irritam facit. Atque hæc ſuffragiorum communium privatio afficit non ſolum Excommunicatos vitandos, ſed etiam illos, qui tollerati, atque pariter in illos istiusmodi cadit pæna. Imo qui nomine Ecclesiæ veluti ejus Minister oraret pro Excommunicato vitando, incurreret excommunicationem minorem, quia in divinis cum eo participaret, quod ſub excommunicatione prohibitum est. Omnes ergo excommunicati, sive tolerati sint, sive vitandi, communibus Eccle-

siæ suffragiis privantur, quia non sunt membra Ecclesiæ & extra unitatem ipsius existunt. cum sint ab ea præcisi. A privatis autem suffragiis Excommunicati non excluduntur. Unde licitum est cuivis privato nomine proprio pro excommunicato privatim orare. Licet quoque Sacerdoti, tamquam personæ privatæ tempore Missæ in *memento* pro excommunicato mentaliter orare, dummodo eum exterius non nominet, quia id Ecclesia non prohibuit, unde S. Bernardus ait: *Absit, ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus.* Orat quoque Ecclesia publice pro omnibus Excommunicatis in die Parasceves, ut imitetur Christum, qui pro inimicis suis in Cruce pendens oravit.

Quæres 6to: An, & quomodo Sacramentis priventur Excommunicati?

Resp: Excommunicati omnes, etiam tolerati mortalis sacrilegii rei sunt, qui antequam ab Excommunicatione absolvantur, Sacramenta recipiunt, quia hæc eis graviter ab Ecclesia prohibita sunt, unde mortaliter peccant eum hanc Ecclesiæ prohibitionem scienter transgrediuntur. Excusari tamen quis potest ab istiusmodi peccato, si hoc faceret ex inculpabili, juris vel facti ignorantia. Si autem excommunicatus sciens & volens Sacramenta recipiat, illicite quidem illa recipit, ac proinde nullam per ea assequitur gratiam, sed tamen illa quoad ceteros effectus, exg. characterem, valide recipit, præter Pænitentiæ Sacramentum, quando ab excommunicatione absolvi negligit. Ratio est, quia ad valorem Sacramenti Pænitentiæ requiritur sincerus de peccatis dolor, quo caret, qui in excommunicatione sordescit, nec ab ea absolvi satagit. Qui vero ad tribunal Pænitentiæ accedit invincibiliter ignorans, se excommunicatione esse ligatum, aut ad illud accedit eo animo, ut à peccatis & contracta per ea Excommunicatione absolvatur ab eo, qui ad id potestatem habet, valide, & licite percipiet Sacramentum.

Peccat quoque graviter qui Excommunicato vitando, & non tolerato Sacramenta ministrat. Quia in re gravi, gravem Ecclesiæ violat prohibitionem, sæpius namque Ecclesia stricte vetuit, Excommunicatis, maxime autem vitandis, & non toleratis Sacramenta ministrare, nisi periculum mortis immineat. Similiter peccat, qui Sacramenta ministrat excommunicato tolerato, quia indi-

gno

gno Sacramenta dari nequeunt, nisi petens sit occulte, excommunicatus, & publice Sacramenta petat.

Excommunicati tamen qui Sacramenta suscipiunt, antequam ab Excommunicatione absoluti fuerint, præter peccatum grave, cujus rei efficiuntur, nullas alias Ecclesiasticas incurrunt pænas, quia nullæ constitutæ ſunt, ſed qui excommunicatione ligati Ordines ſuscipiunt, ab iis ſuspensi ſunt. Qui vero Sacramenta excommunicatis administrant, si illi tolerati ſunt nullas etiam Ecclesiasticas incurrunt pænas, nisi quod peccent indignis Sacramenta dando, si vero sint vitandi, incurrunt excommunicationem minorem, & interdictum ab ingreſsu Ecclesiæ. Sic statuitur Cap: 8. de Privil: in 6to. Clericus vero, aut Sacerdos, qui scienter, & sponte cum excommunicatis à Papa, & denuntiatis participat, eosdem ad divina officia recipiendo, incurrunt Excommunicationem maiorem, eamque Papæ reservatam. Ita habetur Cap: 18. de Sentent: Excom:

Quæres 7mo: An Excommunicati Sacramenta administrare poſsint?

Resp: 1. Excommunicati tolerati valide omnia conficiunt Sacramenta, etiam Pænitentiæ, neque enim Excommunicatis toleratis aufertur jurisdictio quæ in Sacramento Pænitentiæ omnino neceſsaria est. Aliud est de Excommunicatis vitandis, ii enim cum priventur jurisdictione, Pænitentiæ Sacramentum valide conficere nequeunt. Sacramenta tamen alia, quæ jurisdictionem non requirunt valide conficiunt, quia ad illa ſufficit materia, forma, ac intentio Ministri. Unde qui Sacerdoti non tolerato, ac vitando peccata ſua confeſsus est, debet illam Confeſsionem repetere, nisi coram eo confeſsus sit in periculo, sive articulo mortis existens, vel in eo loco confeſsionem coram ipso peregerit, ubi Sacerdos ille ex errore communi, & titulo colorato reputatur pro legitimo Confeſsario, atque Excommunicatio ipsius nescitur.

2do: Excommunicatus sive toleratus, sive vitandus, mortaliter peccat conficiendo, aut administrando Sacramenta, quia id ei graviſsime ab Ecclesia prohibitum est; quam prohibitionem, cum sit gravis, & in re graviſsima, si transgrederetur, graviſsime peccaret. In casibus tamen graviſsimæ neceſsitatis excommunicatus etiam vitandus potest conficere, & administrare Sacramenta, quæ ad salutem neceſsaria homini ſunt exg. Pænitentiæ, Baptismi, id enim tunc eum facere permittit Ecclesia. Quare in periculo

culo mortis potest baptizare, confeſsionem sacramentalem excipere, & moribundum absolvere, si videlicet alius desit Sacerdos, qui id præstare poſsit. Reliqua vero, præter Baptismum, & Pænitentiam, Sacramenta, Excommunicati neque conficere, neque administrare unquam poſsunt, quia hæc non ſunt homini neceſsaria neceſsitate ſalutis.

3tio: Neque etiam licitum iest ab Excommunicatis, sive toleratis, sive vitandis, Sacramenta petere, vel recipere, nisi in casu neceſsitatis. Cum enim illa ipsi licite & sine gravi peccato administrare nequeant, ea ab illis petere, ac recipere pariter illicitum est. Et ab excommunicatis toleratis non aliter licite poſsunt peti, ac recipi Sacramenta, quam ab improbis Ministris. Ab excommunicatis vero vitandis nonnisi in graviſsima neceſsitate peti ac recipi possunt.

Porro Excommunicati sive tolerati, sive vitandi, qui extra casum neceſsitatis, ac proinde illicite Sacramenta conficiunt, administrant, irregularitatem incurrunt. Et qui ab Excommunicatis vitandis pariter extra casum neceſsitatis recipit, incurrit excommunicationem minorem.

Quæres 8vo: Quæ præterea Excommunicatis prohibita, & interdicta ſunt?

Resp: Excommunicatis sive toleratis sive vitandis prohibitum est. *1mo*: Divinis intereſse Officiis, quia omnis in divinis communicatio cum ipsis, ſevere ab Ecclesia fidelibus prohibita est, non poſsunt ergo divinis intereſse officiis. Unde Excommunicatus ſub gravi tenetur, quam primum potest absolutionem ab Excommunicatione sibi procurare, & interim si non intersit die festo Miſsæ Sacrificio non peccat, si vero absolutionem procurare neglexerit, divina omittens peccat, quia per ſuam ſocordiam neglexit amovere impedimentum, quo ab auditione Sacri removetur. Excommunicatus tamen, qui ad Horas Canonicas recitandas tenetur, ab iis propter excommunicationem non est liber, quia nemo ex ſua iniquitate & contumacia fructum reportare debet, ergo illas ſeorsim, ac privatim tenetur sine socio recitare. Excommunicatus qui ſpreta Ecclesiæ prohibitione divinis interest officiis, peccat quidem mortaliter, quia in re gravi Ecclesiæ prohibitionem transgreditur, nullam tamen aliam ab Ecclesia constitutam ob id incurrit pænam, nisi in duobus tantummodo casibus *1mo* Si Sacerdos excommunicatus, authoritate ſua procuraverit, ut Miſsa, vel alia Ecclesiæ officia coram se celebrentur, quia is moraliter tunc se gerit, ac si per

ſe ipsum

ſe ipsum celebraret, ideo ex communi Theologorum sententia irregularitatem incurrit, eandem tamen non incurreret excommunicatus, si vel Sacerdos non eſset, vel quamvis Sacerdos eſset, non coram se, ſed coram aliis excommunicatis faceret divina officia celebrare, quia jura, quæ istiusmodi pænam decernunt, loquuntur de Sacerdote excommunicato, qui causa est cur alius coram eo celebret. 2*do*. Si excommunicatus præsens Miſsæ, monitusque à Sacerdote, ut ab Ecclesia exeat, parere nolit; tunc enim incurrit excommunicationem aliam Papæ reservatam, cui etiam ſubjacet, tum interdictus denuntiatus, si in pari casu inobediens fuerit, tum ii omnes, qui impediunt ne excommunicatus, vel interdictus ab Ecclesia recedat.

Quæres 9no: Quid faciendum si excommunicatus vitandus divinis officiis intereſse velit?

Resp: Certum est eos qui coram excommunicatis non toleratis Miſsam, aut alia divina Officia celebrant, graviter peccare, quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem faciunt, ac præterea minorem incurrunt excommunicationem, atque interdictum ab ingreſsu Ecclesiæ, & si ante receptam ab interdicto absolutionem celebrent, fiunt irregulares. Ceteri vero divinis officiis præsentes, qui ab iis non recedunt, peccant, & minorem incurrunt excommunicationem, quia cum Excommunicato vitando communicant. Quare Sacerdos, ac ceteri Clerici potius Officia divina abrumpere debent, quam ea prosequi coram tali excommunicato, antea tamen ille monendus est ut ab Ecclesia exeat, si vero foras abigi nequeat, ipsa etiam Miſsa dimitti debet, nisi jam perventum sit ad hæc in Canone verba: *Qui pridie quam pateretur*: tunc enim, populus quidem ab Ecclesia exire, & recedere debet, Sacerdos vero, uno ministro secum remanente, reliqua prosequi debet usque ad Sanguinis sacri ſumptionem atque Calicis purificationem, quia Sacrificii integritas, jure divino præcepta, legi Ecclesiasticæ prævalet. Sed post Calicis purificationem, Sacerdos relictis aliis, nimirum Orationibus, ab Altari recedere debet in Sacristiam, ibique reliqua perficere, ac complere. Quodsi excommunicatus toleratus in Ecclesia præsens, divinis intersit officiis, propterea illa non debent iotermitti, quia non est evitandus.

Quæres 10mo: Quibus præterea Excommunicatus privatur?

Resp: Excommunicati vitandi privantur post mortem ſepul-

ſepultura Ecclesiastica, in loco scilicet sacro, qualia ſunt Templa, Cæmeteria, Claustra, & alia loca ad divina officia celebranda deputata, quia æquum non est, ut ille post mortem cum fidelibus communicet, quem illi vivum fugere & evitare tenebantur. Et ita habetur Cap: 12. de Sepult: ubi sic dicitur; *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiastica ſepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerant.* Atque istud extenditur etiam ad eos excommunicatos, qui ante mortem pænitentiæ signa dederunt, nec absoluti fuerunt, quia deerat qui absolvere poſsit, debet autem excommunicatus, qui ante mortem pænitentiæ dat signa absolvi à quocunque etiam Sacerdote, & si tempus ſuppetat ad Superiorem recurrendum est, ut ab eo pro foro etiam exteriore absolvatur, si tamen interim moriatur quam publice absolutus fuerit, non debent ei Cæmeterium & alia Ecclesiæ ſuffragia denegari, quia ad hoc ſufficit absolutio Sacramentalis, debet ergo cum aliis fidelibus ſepeliri. Hic tamen excipiuntur Duellantes, qui si in ipso conflictus loco, aut extra eum, ſed paulo post, eadem vg. die deceſserint, non poſsunt in loco sacro ſepeliri, etiamsi pænitentes, & à Censuris absoluti deceſserint. Si autem excommunicatus, qui ante mortem pænitentiæ signa dederat, & sine quacunque absolutione demortuus, in loco sacro sepultus fuerit, non debet exhumari, ſed absolvi, habita ad id facultate ab iis, qui eam concedere valent. Qui vero nulla doloris signa ante mortem exhibuerunt, & sic sine pænitentia, & absque absolutione mortui, in loco sacro ſepulti fuerunt, exhumari debent, & foras proijci, si cadavera etiam ab aliis corporibus secerni poſsint, postea autem Ecclesia, sive Cæmeterium solemni aquæ benedictæ aſpersione reconciliari debet, quia polluta ſunt.

Ceterum qui excommunicatum vitandum, cum aliis Fidelibus ſepeliunt, aut funus ejus comitantur honoris causa, adminus incurrunt excommunicationem minorem, huic enim æque ſubjacet qui mortuis, quam qui viventibus excommunicatis communicat. Qui vero eundem in loco sacro ipsi ſepeliunt, vel sepeliri procurant, ſubjacent excommunicationis ſententiæ, à qua nullatenus abſolvi debent, nisi prius ad arbitrium Episcopi satisfactionem exhibuerint. Ita statutum est. Clement: 2. de Sepultura. Quia tamen ſepulturæ, ac aliorum Ecclesiæ ſuffragiorum denegatio

negatio multas turbas excitare aliquando potest, in casibus istiusmodi consuli debet Episcopus, ipsius enim est perpendere an excommunicatus omnino impænitens decesserit.

Quod attinet Excommunicatos toleratos, & illos, antequam abſolvantur, in loco sacro ſepelire non licet, attamen si tales ſepeliantur, neque a ſepelientibus eos Excommunicatio incurritur, neque Ecclesia, aut Cæmeterium polluitur. Quia ex Decreto Concilii Constantiensis, Excommunicati tantum ac nominatim denuntiati, vitandi ſunt, & Ecclesia, sive Cæmeterium non polluitur, nisi per ſepulturam, vel excommunicati nominatim denuntiati, vel cujuslibet hominis propter infidelitatem non baptisati, Clerici quoque qui nec ſpecialiter interdicti erant, nec interdicto causam dederunt, poterunt in loco sacro ſepeliri, ſed cum silentio sine precibus publicis.

Quæres 2do: Quam inhabilitatem contrahunt Excommunicati?

Resp: 1mo: Excommunicatus etiam toleratus & occultus ad Beneficium obtinendum, & illud poſsidendum inhabilis est. Unde collatio Beneficii facta excommunicato etiam tolerato, & occulto nulla, ac invalida est. Ita definivit Innocentius 3. Papa Cap: 7. de Clerico Excom: Minist: quia Beneficium datur propter officium, ad quod Excommunicatus admitti non debet, nec potest. Neque hæc collatio, aut quæ ad eum prævia ſunt, veluti electio, præsentatio, aut resignatio, per absolutionem ab Excommunicatione obtentam, convalescunt, quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubsistit, unde renovari debent obtenta, post abſolutionem, dispensatione. Excipiuntur ab hac lege Beneficia à Romano Pontifice conceſsa, etiamsi ipse Censuram ignoret, qua ligatus est, cui Beneficium confert, quia in talibus provisionibus apponitur clausula absolutionis à Censuris ad effectum gratiæ consequendum. Sed hæc Pontificis absolutio neque prodest irregulari, neque propter hæresin excommunicatis.

Quodsi collatio Beneficii facta sit ei, qui tempore collationis excommunicatus est, non autem ipso præsentationis tempore, valida erit præsentatio, quam Censura nondum existens irritare non potuit, invalida vero institutio, quam jam contracta censura nullam facit. Si quis autem tempore præsentationis excommunicatione irretitus fuit, & ab ea ante institutionem absolutus, invalida erit

tum

tum præsentatio; tum etiam institutio præsentationi huic innixa, nisi censura innodatus sese curaverit rehabilitari. Et hæc vera ſunt, etiamsi collatio Beneficii facta fuerit ei, qui invincibiliter ignorabat se eſse Censura ligatum, quia ignorantia non tollit inhabilitatem, ſed ſolum excusat à culpa.

2do: Verum per excommunicationem nemo privatur Beneficio, ante eam, legitime adepto, quia nullum est jus, quod id statuat, nisi Crimen, propter quod quis Censura percuſsus est, ex his sit, quæ Beneficii vacationem per se inducunt. Sed quamvis excommunicatus Beneficio ante legitime obtento ipso facto non privetur, potest tamen per Sententiam Judicis illo privari, imo non facit ex illo Beneficio fructus ſuos, durante illa Excommunicatione, perceptos, quia excommunicatus, est ipso facto ab officio ſuspensus. Cum igitur fructus Beneficii dentur propter officium non secus ac merces propter opus. Ergo qui ſuspensus est ipso facto ab officio Beneficio annexo, à perceptione etiam fructuum ejus ſuspensus eſse censetur. Et id habetur Cap: 52. de Appelat: ubi sic dicitur: *Illi proventus Ecclesiastici merito ſubtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Debet ergo istius fructus ipse restituere. Sed utrum id facere teneatur ante Sententiam Judicis, an vero nonnisi post eam latam, disputant inter se Theologi. Quæstio ad decidendum difficillima, tutius est, pro Condonatione horum fructuum recurrere ad Papam.

Quæres 12mo: An Excommunicatio privet etiam Jurisdictione Ecclesiastica?

Resp: Excommunicati omnes illicite faciunt illa, quæ ſunt jurisdictionis Ecclesiasticæ. Quia omnibus Excommunicatis graviter ab Ecclesia prohibita est cum fidelibus communicatio in divinis. Porro Excommunicati, qui Ministeria Ecclesiastica, aut officia obtinent, vix quando jurisdictionem Ecclesiasticam in alios exercere valent, nisi in divinis cum ipsis communicent. Cum igitur prædicta communicatio sit omnibus Excommunicatis ab Ecclesia interdicta, est quoque ipsis inhibitus usus Ecclesiasticæ jurisdictionis. Excommunicato igitur, sive toleratus sit, sive vitandus, omnis Ecclesiasticæ jurisdictionis usus prohibitus est. Unde peccant graviter qui jurisdictionis actus exercent, cum sint excommunicatione ligati, nisi neceſsitas à peccato excuset. Acta tamen, ac gesta jurisdictionis Ecclesiasticæ, si fiant ab Excommunicato tolerato, quamvis illicita sint, quia in iis exercendis, ac perficiendis

peccat, attamen valida ſunt. Et id constat excommuni Theologorum ſensu, ex Bulla Martini 5. Papæ *Ad evitanda*, per eam siquidem omnes actus jurisdictionis ſpiritualis ab Excommunicatis toleratis exerciti validi, ac rati declarati fuerunt, alioqui magna eſset in Ecclesia confusio, nec satis animarum saluti provisum, aut discrimini earum cautum fuiſset, si exg. Episcopus excommunicatus toleratus invalide dispensaret sive in votis, sive in juramentis, si nulliter approbaret ad excipiendas Fidelium confeſsiones.

Quodsi Excommunicatus eſset vitandus, non ſolum illicita, ſed & invalida ſunt ea, quæ ipse Ecclesiasticæ jurisdictionis exercuerit. Quia excommunicato vitando omnis ab Ecclesia aufertur jurisdictio, ipsiusque exercitio ipse privatur. Quare excommunicatus vitandus etiam ea, quæ nonnisi ſunt jurisdictionis improprie dictæ, valide exercere nequit; & talia ſunt Beneficii collatio, electio, præsentatio, institutio, ii enim actus cum ab Excommunicato vitando exercentur omnino invalidi ſunt. Etsi vero præsentatio ad Beneficium facta â Patrono Clerico excommunicato vitando, qui in hoc Ecclesiastica fungitur jurisdictione, nulla sit, si tamen ab eodem præsentatio fiat, non titulo dignitatis Ecclesiasticæ, ſed titulo ſui Patrimonii Laicalis, valida erit præsentatio. Idem & magis dicendum est de Laico Patrono excommunicato vitando, & ejus siquidem præsentatio valida est: Quia neuter in his usibus Ecclesiasticam exercet potestatem. Jam vero quod attinet resignationem Beneficii factam ab excommunicato vitando. Si quidem resignatio fuerit simplex, tunc illa valida est, quia nihil est aliud quam ceſsio Beneficii, quæ fieri potuit, imo ex quadam neceſsitate fieri debuit ab eo, qui Beneficii munia adimplere nequit. Si vero eadem resignatio sit in favorem tertii, invalida erit, quia excommunicatus vitandus usu & fructibus Beneficii privatur, resignare vero Beneficium in favorem tertii, est Beneficii usu, & fructibus illius quid præstantius. Si ergo his privatur, privatur & illo.

Quæres 13tio: Utrum civili etiam cum fidelibus communicatione priventur Excommunicati?

Resp: 1mo: Excommunicati vitandi privantur civili etiam, ac forensi cum aliis fidelibus communicatione. Siquidem Cap. 29. de Sentent: Excomm: prohibetur, ne quis cum excommunicato communicet, non solum in oratione, ſed etiam in mensa, ſalutatione, colloquio. Et hoc ideo

ideo statutum est, ut excommunicati vitandi civili etiam commertione privati pudore ſuffusi, citius ad pænitentiam redeant, atque resipiscant, neve etiam aliis offendiculo sint. Qui ergo in civilibus etiam communicat cum Excommunicato vitando peccat, & minorem incurrit Excommunicationem, nisi neceſsitas excuset. Neque tamen istiusmodi peccatum erit mortale, ſed veniale tantummodo propter materiæ parvitatem. Si tamen frequens, ac discontinuata fuerit, poterit eſse mortaliter culpabilis, tum propter periculum perversionis, tum propter scandalum quod aliis præberetur, tum denique quia per hoc Ecclesiæ potestas, ejusque prohibitio contemneretur. Gravius autem ab Ecclesia prohibetur fidelibus communicatio cum Excommunicato vitando in divinis, unde qui cum eo in sacris scienter communicat, ordinarie mortaliter peccat, & minorem incurrit excommunicationem. Porro quæ universim Excommunicatis vitandis negari debent, sequenti exprimuntur versu: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur* scilicet 1*mo*: denegari debent. *Os* id est colloquia, allocutiones, aut scripta, & quævis amicitiæ signa, veluti oscula, amplexus. 2*do: Orare* cum eo, etiam privata oratio, 3*tio: Communio*, sive societas omnis, quæ habetur in communi habitatione, in contractibus & negotiis, aliisque actionibus, ita ut non liceat cum eo contrahere, laborare, iter agere, aut quodvis opus præstare. 4*to*: *Mensam*: omnem convictum, simultaneitatemque cibi ac potus. Hæc tamen licite excommunicatis vitandis etiam exhiberi poſsunt, quando id exigit, ac permittit, utilitas, neſsitas, aliaque, quæ sequenti exprimuntur versu: *Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſse*. Et quidem 1*mo*: *utilitas* sive ipsius excommunicati, sive cum eo agentis, sive alterius tertii, unde licet Medicum excommunicatum consulere, eum invisere, remedia sanitatis ab eo requirere. 2*do*: *Lex* matrimonii videlicet, quare licitum est uxori cum Marito excommunicato simul habitare, atque convivere, in domus, familiæ gubernatione consulere, adjuvare. 3*tio*: *Humile* videlicet dependentia militum à Ducibus, famulorum à ſuis Dominis, filiarum à ſuis Parentibus. 4*to*: *Res ignorata* si nimirum excommunicato quædam præstantur ex ignorantia, quæ ipsi præstari non debent, modo hæc ignorantia invincibilis sit, alias nec à culpa, nec à censura excusabit. 5*to*: *Neceſsitas* gravis cujuscunque, cui ſuccurrere neceſse est, non enim lex Ecclesiæ naturali charitatis obligationi impedimento eſse potest.

His

His ergo exigentibus causis licita est civilis, ac forensis cum Excommunicato ac vitando communicatio, extra prædictos casus prohibita est, & qui tunc quidpiam Excommunicato vitando præstaret ex iis, quæ ipsi deneganda sunt, peccaret, & excommunicationem minorem incurreret.

2do: Excommunicati vero tolerati non privantur civili communicatione cum fidelibus, quia ex Bulla Martini 5. Papæ non sunt vitandi, ac proinde fideles qui cum ipsis communicant, nullam admittunt culpam. Attamen ipsi excommunicati etiam tolerati, & occulti ex sua parte, quantum possunt tenentur vitare ceterorum fidelium communicationem tam in divinis, quam in civilibus, quia hæc communicatio semper illis ab Ecclesia prohibita fuit, & hucusque interdicta est. Licet enim Martinus 5. Papa per Bullam suam, ad evitanda scandala, fideles exemerit, & absolverit ab obligatione vitandi Excommunicatos, quando ipsi non sunt nominatim denuntiati; quia tamen per hæc non intenderat ipsis Excommunicatis favere, aut in aliquo suffragari, ideo ipsi semper ea tenentur obligatione, ut ex parte sua quantum possunt fidelium declinent communicationem, quatenus hoc pacto magis excitentur ad resipiscendum, & citius cum Ecclesia reconciliandum, procurando sibi de illius benignitate absolutionem ab excommunicatione qua ligati sunt.

Quæres 14to: *Qualem excommunicationem incurrunt Clericorum percussores?*

Resp: Incurrunt excommunicationem maiorem, & Papæ reservatam. Sic habetur in Concilio Lateran: Can: 15. *Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrat quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum eum absolvere præsumat, (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Porro hanc excommunicationem contrahunt *1mo:* Cujuscunque status, sexus, & conditionis homines, sive viri sint, sive mulieres, sive puberes, sive impuberes, dummodo rationis sint compotes, Laici, sive Clerici, ac Religiosi. Neque excipitur qui Clericum volentem percusserit, quia licet ei, utpote qui juri suo cedit, personaliter injuriam non faciat, facit tamen injuriam Ordini Clericali, cum ille Concilii Lateranensis Canon non in favorem Clerici particularis, sed in favorem Ordinis Clericalis constitutus sit. *2do*: Ipse etiam Clericus qui

seipsum

seipsum ex ira & indignatione percutit, mutilat, occidit, aut aliam sibimet injuriam irrogat, quia sic verum est quod violentas in Clericum inferat manus cum injuria Ordinis Clericalis. *3tio*: Ii quoque huic excommunicationi ſubjacent, qui Clerici percuſsionem mandant, consulunt, qui eam nomine ſuo factam approbant, atque ratam habent. Id colligitur ex variis Canonibus. Jlla vero percuſsio dicitur fieri *suadente Diabolo*, quæ non fit sine peccato mortali. Ut autem hæc magis intelligantur, & omnia huc pertinentia percipiantur, sequentia annotari, & animadverti debent. *1mo: Clerici* nomine intelligi eos etiam qui prima tonsura initiati ſunt, modo tamen habitum portent Clericalem. Ab hoc vero Canonis privilegio excidunt, qui cum habitum clericalem non portent, probabiliter ignorantur eſse Clerici. Per *Monachum* vero intelliguntur non solum Religiosi profeſsi, ſed etiam Novitii, ac ipsi fratres Coadjutores. Moniales quoque sive profeſsæ, sive Novitiæ sint. *2do*: Per *manus violentas* intelligitur quævis percuſsio, pugnis etiam & pedibus, baculo, fustibus, actio denique quælibet injuriosa, sive in personam Clerici, sive in res ei aliquo modo adhærentes, ita ut vis ei inferri censeatur. Unde qui Clericum conspueret, aut vestes, quas indutas habet laceraret, è manibus ejus quidpiam per vim raperet, excommunicationem incurreret. Pariter qui Clericum in custodia publica, aut etiam in domo privata detinet, custodesque apponit, ut eum apprehendant si de domo exierit, adeo: ut sine strepitu & confusione ex ea exire nequeat, excommunicatus est.

Haud tamen ad incurrendam istam excommunicationem ſufficit gravis contra honorem Clerici injuria, qualis est in verbis, vel aliqua actione exteriore, fustis vg. exhibitione comminatoria, ſed requiritur vis apprehensione manuum, tactuque exteriori, ac gravaminoso consummata, quia alia quævis injuria violentam manuum injectionem non denotabit. Unde liber est ab istiusmodi excommunicatione qui ſubdole Clerico aufert marsupium, cingulumve quo erat præcinctus, pariter qui metu per sola verba, non autem per injuriosas quaspiam actiones, incuſso, cogit Clericum ut de certo quodam loco exeat, quia in his casibus manus violentæ in Clericum non iniiciuntur.

Quæres 15to: Quinam ab hac excommunicatione eximuntur?

Resp: Ab hac excommunicatione, eximuntur *1mo* qui

qui Clericum percutiunt in justam defensionem vitæ, honoris, aliarumque rerum suarum, quia vim vi in continenti repellere, omnes leges, omniaque jura permittunt. Sed hic servandum est inculpatæ tutelæ moderamen, intra quod sistere censetur, qui id solum facit, sine quo aliter se, aut res suas servare non potest. Qui tamen justæ defensionis modum nonnisi aliqualiter excederet, ex ea videlicet commotione, quæ in tali casu invitis etiam nonnunquam irrepit, non incurreret excommunicationem.

2do: Eximitur qui Clericum cum uxore, matre, sorore, vel propria filia turpiter inventum percutit. Secus si Clericus deprehendatur in stupro vel adulterio cum persona, quæ nunc percussorem non tam proxime consanguinitate attingit. Porro censetur Clericus turpiter esse inventus, qui in oculis, amplexibus, imo qui solus cum sola in loco suspecto reperitur, & ipse, ac ipsa rationabiliter pro suspectis habentur. Qui sic inventum Clericum cædit, tunc solum ab hac excommunicatione immunis est, quando eum percutit in continenti, quia tunc magnus doloris sensus, quo quis agitur, aliquid mereatur indulgentiæ.

3tio: Excusatur Pater, Magister, qui disciplinæ & correctionis causa Clericum verberat, modo in hoc notabiliter non excedat. Item qui justa de causa vim infert Clerico, ut exg. ex Superioris Mandato eum trahat ad judicium. Pariter ab ista excommunicatione immunis est, si quis leviter Clericum cædendo nonnisi venialiter in hoc peccet, quemadmodum in rixis, & jocis fieri solet. Quia tamen quandoque difficile discernitur gravitas percussionis, quæ ad mortale sufficiat, quoties in his verum occurret dubium, petenda erit absolutio ad maiorem cautelam.

Quæres 16to: Ad quem pertinet hujus excommunicationis absolutio?

Resp: De jure communi Papæ reservata est, potest tamen aliquando ab Episcopis, aut ab aliis Superioribus tolli. Et quidem *1mo*: cum percussio Clerici levis est, & modica, quo nomine non illa percussio levis censenda est, in qua nonnisi venialiter peccatur, quia talis percussio cum non sit peccatum mortale, per illam tam gravis excommunicatio contrahi nequit, sed illa levis reputatur quæ opponitur enormi ac mediocri. Percussio *enormis ac gravis* ea est, quæ pervenit usque ad occisionem, aut mutilationem membri, ejectionem oculi, illationem vulneris magni, vel effusionem multi sanguinis aliunde quam ex naribus

naribus. *Levis* à contrario illa est, ubi nec abscinditur membrum, nec dens evellitur, nec multum sanguinis effunditur, qualis satis communiter ea eſse ſolet quæ fit palma, pugno. *Mediocris* levem inter & enornem media ponitur. Fatendum tamen hæc omnia ad viri prudentis arbitrium dijudicanda eſse ex circumstantiis personarum, loci, temporis, modi ipsius percuſsionis. Quod enim leve est respectu junioris Clerici, veluti alapa, mediocre, aut grave eſse potest, respectu Sacerdotis senis, Superioris, Prælati. Pariter quod fit occulte non ejusdem est gravitatis, quam quod fit in frequenti cætu, quod fit domi, levius est, quam quod fit in Ecclesia Ministro ad Sacra jam parato. Porro in arbitranda læsionis gravitate, ſufficit ad Episcopum recurrere, ex quo enim ipsi certis in casibus conceditur absolutio á prædicta excommunicatione, eidem etiam conceditur potestas ad videndum num hi, vel illi casus ad ipsum ſpectent, an non. Verum si Episcopus dubitet num percuſsio gravis, an levis sit; pro gravi reputanda est. Sed quamvis percuſsio Clerici gravis fuerit, si sit occulta, & ad forum contentiosum non deducta, Episcopus poterit ab ea absolvere.

2do: Regularis, qui Regularem ejusdem Monasterii verberavit, â ſuo Superiore absolvi potest, secus si Clericum sæcularem feriat, aut alterius ordinis Regularem; nam in primo casu ab Episcopo, in secundo tum à proprio Superiore, tum ab alterius Religionis Præposito absolvi debet, nisi sit enormis percuſsio.

3tio: Mulieres quæcunque per Episcopum absolvi posſunt à qualicunque percuſsione, etiam enormi, quia Jus indistincte in his potestatem Mulieres absolvendi concedit Episcopis. Idem est de impuberibus, etiamsi nonnisi post adeptam pubertatem absolvi debeant. Pariter inopes, ægri, senes ab Episcopo absolvi poſsunt.

4to: Clerici qui in communi vivunt, â percuſsione Clerici, modo non enormi, per Episcopum absolvi poſsunt, facile enim communio discordiam parit, unde casus iste merito in jure Episcopo commiſsus est. Idem est de Janitore, qui in exercitio ſui officii Clericum leviter, etiam injuriandi animo percutit.

Quæres 27mo: Utrum Clericorum percuſsores vitandi ſunt?

Resp: Publici, ac notorii Clericorum percuſsores vitandi ſunt. Porro notorii censentur Clericorum percussores, quorum percuſsio vel ad forum contentiosum dedu-

ota est, vel ita est publica, ut nulla poſsit tergiversatione tegi, nec ulli juris ſuffragio celari. Tales ergo Clericorum percuſsores, notorii scilicet, facti vel juris notorietate, licetsi nominatim non fuerint denuntiati, vitandi ſunt. Verum in uno loco notorius Clerici percuſsor, si ad alium se transferat locum, ubi crimen ejus secretum est, non est vitandus.

Quæres 18vo: Quid sit excommunicatio minor, & qui ipsius effectus?

Resp: Excommunicatio minor est censura Ecclesiastica, quæ privat hominem nonnullis tantummodo bonis Spiritualibus. Hæc modo non contrahitur nisi tunc, quando quis cum Excommunicato vitando communicat in rebus prohibitis, sive divinis, sive civilibus, ea ipsi præstando, exhibendo, quæ jure vetita ſunt.

Effectus hujus Excommunicationis ſunt sequentes. *1mo*: Privat Sacramentorum receptione; quare mortaliter peccat, qui hac excommunicatione irretitus, aliquod ſuscipit Sacramentum. Pariter & ille graviter peccat, qui sic excommunicato Sacramenta tribuit, nisi gravis excuset neceſsitas. Qui etiam innodatus excommunicatione, quamquam minore solum, Miſsam celebrat, graviter peccat, quia tunc quoque Sacramentum ſuscipit, quod ei ab Ecclesia graviter prohibitum est. Si vero alia conficiat Sacramenta, videtur saltem venialiter peccare, quia qui à Sacramentorum participatione repellitur, indecens est, ut ea conficiat, & aliis administret.

2do: Privat electione paſsiva ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, unde hac irretitus excommunicatione, ad Beneficia, & Ecclesiasticas Dignitates licite nequit eligi, præsentari. Si tamen nihilominus eligatur, præsentetur, instituatur, validi ſunt istiusmodi actus.

Hic nonnulla notanda ſunt. *1mo*: Excommunicatione minori ligati nullam incurrunt irregularitatem pœnamve canonicam sive conferendo, sive recipiendo Sacramenta, & ipsi poſsunt divinis intereſse Officiis, Ecclesiæ frui ſuffragiis, actusque jurisdictionis exercere. *2do:* Ab hac minore excommunicatione absolvere potest omnis Sacerdos simpliciter ad audiendas Christi fidelium Confeſsiones approbatus.

Quæres 19no: Quomodo se gerere debet qui dubitat num aliquam excommunicationem incurrerat?

Resp: Qui dubitat num ipse aliquam excommunicationem incurrerat, debet se gerere pro excommunicato,

sive dubium sit *juris*, ut cum quis tale commisit delictum, & dubitat an ei annexa sit excommunicatio, sive sit *facti* ut cum quis scit huic delicto annexam esse censuram, sed dubitat an tale delictum commiserit, vg. an is Clericus fuerit, quem percussit. Ratio est, quia sic expresse Jus statuit, sic enim habetur Cap: 5. de Clerico excom: ministrante. *Quia in dubiis via est tutior eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Hinc qui non facit id, quod in se est ad excutiendum istiusmodi dubium quo laborat, regulariter loquendo temere se Sacris ingerit, ob periculum, ne excommunicatus, vel alia ligatus Censura celebret, vel aliud quid similе faciat, quare imprudentissime agit, qui stante tali dubio, non curat saltem ad cautelam absolvi prius, antequam Sacramenta conficere, aut ministrare attentet.

ARTICULUS 2dus

De Suspensione, & Interdicto.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex sit Suspensio?

Resp: Suspensio est *censura, qua Clerico prohibetur exercitium alicujus Ministerii sacri.* Suspensio itaque in solos cadit Clericos, & tantummodo prohibet exercitium eorum Ministeriorum, quæ sacra sunt, atque solis competunt Clericis, unde Suspensio non prohibet illa, quæ in divinis officiis à Laicis quoque perfici possunt.

Porro suspensio alia est *medicinalis*, quæ fertur ut quis resipiscat à malo, alia *pœnalis* quæ fertur in vindictam criminis perpetrati, atque præteriti. Pœnalis alia est *temporalis*, quæ fertur cum præfixione temporis, ad quod durare illa debet, exg. ad biennium, alia *indefinita* cui nullum præfigitur tempus, & tunc intelligitur duratura, donec aliter visum fuerit ei, qui illam tulit. Medicinalis vero vel est *totalis*, quæ simul privat iis omnibus, quibus privare potest, Ordine scilicet, Officio, & Beneficio, vel est *partialis*, quæ non privat simul his omnibus, sed tantum aliquibus, exg. ab Ordine solum non vero Beneficio.

Quæres 2do: Qui sunt effectus Suspensionis?

Resp. 1mo. Suspensio simpliciter, & absolute lata, suspendit ab Ordine, Officio & Beneficio. Quia nulla est ratio cur sic lata Suspensio ad Beneficium tantummodo,

aut nonnisi ad Ordinem, vel Officium coarctetur, cum enim simpliciter, generaliter, & absolute lata sit, omnia comprehendit, quæ comprehendere potest, scilicet Ordinem, Beneficium, & Officium, & ad illa omnia extenditur.

2do: Suspensio ab Officio simpliciter & absolute lata, privat usu Ordinis, jurisdictionis, & omnis Ecclesiastici Ministerii, quod nonnisi à Clerico exerceri potest. Unde sic ſuspensus nec Celebrare, nec Sacramenta administrare potest, quia hæc ſunt actus Ordinis, Item non potest Censuras ferre, Indulgentias concedere, ad audiendas fidelium Confeſsiones approbare, quia hæc pertinent ad jurisdictionem, & nomine Officii Ecclesiastici in Jure intelligitur usus Ordinis, jurisdictionis, & ea, quæ utrique annexa ſunt, qui ergo ab Officio ſuspenditur, ab his omnibus ſuspensus manet.

Hic tamen notanda ſunt. *1mo*: Per ſuspensionem ceſsare jurisdictionem in iis, qui nominatim denuntiati ſunt, incapacitatem vero ad obtinenda Beneficia induci ante omnem denuntiationem. *2do*: Suspensio ab officio, etsi late extendatur, non privat tamen ſuspensum iis Ministeriis quæ Clericorum propria non ſunt, unde ſuspensus potest Sacramenta alia præter Ordinem recipere, Indulgentias lucrari, celebranti Miſsam inservire, cum aliis in Choro divina Officia canere, non tamen Orationes vel Capitula, quia hæc functio ex usu Solis Sacerdotibus competit.

Potest etiam ſuspensus ab Officio, in Miſsæ solemnis celebratione Epistolam canere, cum alba etiam & Tunica, ſed sine manipulo, *3tio*: Qui ſuspensus est ab una ſolum parte officii, non ideo ſuspenditur ab altera parte, quæ ei non est neceſsario connexa, ſuspenditur tamen ab audiendis confeſsionibus qui ſuspensus est ab Ordine, quia potestas Confeſsiones fidelium excipiendi fundatur in potestate Ordinis, à quo ille ſuspensus est. *4to*: Qui ab officio ſuspensus est, non ideo censeri debet ſuspensus à Beneficio & fructibus ejus. Beneficium siquidem & officium diversa ſunt, quapropter alia est Suspensio à Beneficio, alia ab Officio, alia denique ab utroque. Ergo qui ſuspensus est ab Officio, non ideo ſuspenditur à Beneficio, vel fructibus illius percipiendis. Et hoc verum est, etiamsi ſuspensio sit *ab homine*, aut quæ contracta sit propter gravem culpam, modo talis non sit, quæ ex se privationem Beneficii inducat.

5tio: Suspensus simpliciter ab Ordine, ſuspensus est

ab omni Ordine, quia nulla est ratio cur ille ab uno potius, quam ab alio ſuspensus eſse reputetur. Suspensus vero ab Ordine Superiori, non ideo suspensus est ab Ordine inferiori. At qui ſuspensus est ab Ordine inferiori, regulariter est etiam ſuspensus ab Ordine ſuperiori, quia cui non lìcet quod minus est, nec ei licere debet, quod majus est. Hic tamen excipitur *1mo:* si quis ſuspendatur à functione inferiori propter culpam in ejus exercitio commiſsam, quia in eo quisque punitur in quo peccavit, sic ſuspenditur á collatione Clericalis tonsuræ Episcopus, qui homini alterius Diæcesis eam dare præsumpserit. *2do:* si ordo inferior, â quo quis ſuspensus est, non includatur in ſuperiore, unde si Episcopus ſuspensus sit à Pontificalibus, non poterit quidem ea præstare, quæ ſpectant ad usum Ordinis Episcopalis, qualia ſunt Ordinum collatio, Ecclesiarum consecratio, at illa exequi poterit, quæ ſunt Ordinis mere Sacerdotalis, ut Miſsam celebrare instar simplicis Sacerdotis, hoc enim non pertinet ad Pontificalia.

Quæres 3tio: Quid efficit Suspensio à Beneficio?

Resp: 1mo: Suspensio, à Beneficio simpliciter lata, ſuspendit ab omnibus Beneficiis. Quemadmodum enim ſuspensio ab Ordine generaliter lata, ab omnibus Ordinibus suspendit, ita pariter Suspensio à Beneficio simpliciter lata, ab omnibus ſuspendit Beneficiis. Unde qui plura in variis Diæcesibus poſsidet Beneficia, ab omnibus ſuspendi potest, per censuram ab uno, tantum latam, Episcopo. Quia licet hæc omnia Beneficia non ſubjaceant uni Episcopo, ei tamen ſubjacet ille, qui ea omnia poſsidet, ac proinde ab omnibus per eum ſuspendi potest, si id mereatur. Si tamen Episcopus quempiam ſuspendat a Beneficiis, nec exprimat ſe ab omnibus ſuspendere, credi potest eum non ab omnibus, ſed ab iis ſolum, quæ jurisdictioni ſuæ ſubsunt ſuspendere voluiſse, unde ſuspensio quæ ex Statuti alicujus violatione incurritur, ab iis ſolum ſuspendit Beneficiis, quæ sita ſunt in loco, in quo obligat illud statutum: contra vero ea, quæ per ſententiam fertur, nunc à quibusdam, nunc ab omnibus ſuspendit, prout Episcopus vel quædam ſolum, vel omnia adimere vult; in dubio ſatius est Episcopum interrogare.

2do: qui à Beneficio simpliciter ſuspensus est, non privatur ipso Beneficii titulo, privatur tamen ipsius fructibus. Quia ſuspensio ipsam rei ſubstantiam non destruit, ergo ipso Beneficii titulo non privat, ſed nonnisi fructus illius adimit, alias nihil ipsa efficeret. Hinc qui etiam occul-

occulte à Beneficio ſuspensus percepit ejusdem fructus, tenetur in conscientia ad illos restituendos Ecclesiæ, in qua Beneficium poſsidet. Potest tamen si indiget, eam sibi fructuum partem retinere, quæ ad moderatam ſui ſustentationem neceſsaria est, potest etiam, si officium ſuum implevit, ea detrahere, quæ ſub titulo donanda forent, qui loco ipsius Ecclesiæ inſerviret. Excipitur tamen, si in ſuspensione ob animi obstinationem perseveraverit. Tunc tamen officium divinum recitare, & alias muneris ſui partes implere tenetur, quod enim fructus Beneficii non percipiat, ejus est culpa, nemini autem ſua culpa patrocinari debet.

3tio: qui ſuspensus est ab iis ſolum Beneficiis, quæ actu poſsidet, valide & licite aliud Beneficium acceptare potest, quia id prohibitum ei non est, qui vero ab omni prorsus Beneficio ſuspensus est, & aliquod Beneficium expost accepit, neceſse est ut vel ei renuntiet, vel absolutionem, dispensationem, novamque collationem obtineat. Hæc obligatio quia ad minus dubia est, & nulla ſatis firma juris authoritate elidi potest, adimpleri debet, & id tutius est, atque ſecurius. Si quis tamen à Suspensione in foro pænitentiæ absolutus fuerit, jam licite & valide Beneficia recipiet. Nisi tamen Suspensio denuntiata fuerit, & qui ea ligatus est, nondum in exteriori foro absolutus est, tunc enim provisiones Beneficii eidem collati, invalidæ censebantur, donec publicam absolutionem receperit.

Quæres 4to: Quid efficit ſuspensio à jurisdictione lata?

Resp: Suspensio à jurisdictione absolute lata, privat omni usu ſpiritualis jurisdictionis, consequenter omni actu Ordinis, qui exerceri absque jurisdictione non potest, veluti collatio Ordinum, absolutio sacramentalis. Potest vero sic ſuspensus Miſsam celebrare, Sacramenta alia præter Pænitentiam ministrare, nisi tamen ea ex officio administret, ut Parochus, quia tunc actum jurisdictionis exerceret, qua privatus est. Si ſuspensio sit à determinata parte jurisdictionis, non privat altera, ut si Parochus sit ſuspensus ab excipiendis confeſsionibus, potest Miſsas celebrare, & alia Sacramenta ministrare, quia limitata causa, limitatum producit effectum, & exceptio unius firmat regulam in contrarium.

Quæres 5to: Utrum actus per suspensum exerciti validi sint?

Resp: Actus per ſuspensum exerciti, si sint actus Ordinis, & non jurisdictionis, quamvis illiciti sint, vali-

di

di tamen ſunt; licetsi ſuspensus nominatim denuntiatus fuerit, quia istiusmodi actus Ordinis characterem consequuntur, eos proinde Ecclesia irritare non valet. Hinc valet Ordinatio, Confirmatio à ſuspenso Episcopo data, Miſsæ Sacrificium à ſuspenso Sacerdote celebratum. Si vero actus à ſuspenso exerciti, jurisdictionem requirunt, & ſuspensus nominatim denuntiatus sit, non solum illiciti, ſed & invalidi erunt, unde invalida est absolutio sacramentalis ab eo data, qui est ab officio ſuspensus, & nominatim denuntiatus, quia actuali reipsa privatus est jurisdictione. Quodsi istiusmodi ſuspensus, non sit nominatim denuntiatus, tales actus validi ſunt.

Quæres 6to: Quas pœnas incurrunt, qui suspensionem violant?

Resp: Qui Suspensionem violant, eamque transgrediuntur, peccant mortaliter, nisi excuset materiæ parvitas. Et præterea ſuspensi ab Ordine contrahunt etiam irregularitatem, quando ſolemniter exercent ea, quæ ſunt sacri Ordinis, a quo ſuspensi sunt. Et id constat ex Cap: 1. de Sentent: Excom: in 6to. Et istam irregularitatem incurrunt etiam illi, qui violant ſuspensionem ad tempus solum latam, aut ſub conditione latam; exg. *donec satisfacta pars fuerit*, si enim ante elapsum tempus, ante adimpletam conditionem, non obtenta absolutione, sic ſuspensus celebraverit, irregularis efficitur.

Porro ut hæc irregularitas incurratur neceſse est *1mo*: ut ea quæ ſunt sacri Ordinis solemniter exerceantur. Si enim non ſolemniter exerceantur, non incurritur irregularitas; unde Subdiaconus à ſuo officio ſuspensus non erit irregularis, si Epistolam in Miſsa cantet sine manipulo, quia non censetur eam ex officio cantare. Debent autem exerceri munia illius sacri Ordinis, à quo quis ſuspensus est, alias item non incurritur irregularitas; quapropter qui à Presbyteratu ſuspensus, Diaconi, aut Subdiaconi functiones exercet, non fit irregularis, is enim non violat Suspensionem à Presbyteratu, à quo solo ſuspensus est. *2do:* Ut ea exerceantur, quæ ſunt sacri Ordinis, quia cum actus minorum Ordinum jam pridem exerceantur, etiam à Laicis, qui hæc etiam ſolemniter exercet, quamvis ſuspensus sit, non fit irregularis. Unde ſuspensio, juxta modernam Ecclesiæ praxin, ab iis solum incurritur qui ſunt ſacris Ordinibus initiati, quare cum in Sacramento Pænitentiæ præmittitur absolutio â Censuris, omitti-

omittitur vox à *vinculo Suspensionis* nisi pænitens ad minus sit Subdiaconus.

Hinc ſequitur *1mo:* ſuspensum ab Ordine, nec peccare, nec irregularem fieri, si communem Mensam benedicat, aut cum aliis in Choro decantet, secus si juxta Ecclesiæ solemnitatem die Dominico benedicat aquam, aut in festo Purificationis Cereos, Mulierem post partum; quia hæc omnia ſunt totidem sacri Ordinis munia.

2do: Sequitur Episcopum à Pontificalibus ſuspensum irregularem fieri, si exerceat actus, qui neceſsario ſupponunt Episcopalem consecrationem, puta si conficiat Chrisma, Altaria, Calices consecret, Ordines conferat.

3tio: Sequitur ſuspensum à jurisdictione, aut Beneficio non fieri irregularem, si vel ea, quæ jurisdictionis ſunt, exerceat, ferendo exg. Censuras, ab eis in foro exteriori absolvendo, vel si Beneficiarius Miſsam celebret, aut alia perficiat munia; quia non violant ſuspensionem ab Ordine. Solius autem ſuspensionis ab Ordine violatio, inducit irregularitatem, transgreſsio ſuspensionis à Beneficio, jurisdictione, eam non inducit.

Quæres 7mo: Quæ ſunt præcipuæ Suspensiones in Jure communi statutæ?

Resp: Suspensiones in Jure communi statutæ, aliæ ſunt Papæ, aliæ Episcopo reservatæ.

Suspensiones Papæ reservatæ ſunt ſequentes *1mo:* qui cum titulum non habeant, promittunt, aut etiam jurant ſeu Episcopo à quo ordinandi ſunt, ſeu cuilibet Beneficiario, â quo ad Ordines præsentantur, ſe nihil unquam ab iis ad victum petituros. Episcopus, & alii qui talem promiſsionem exigunt, manent per triennium ſuspensi, ille à collatione, hi vero ab executione Ordinum, quos receperunt, ipse vero sic ordinatus, ab ordine ſuscepto manet ſuspensus, donec dispensationem ſuper hoc ab Apostolica Sede obtinuerit. Pariter ſuspensionem incurrunt, tum ii, qui sine Episcopi licentia ordinantur absque titulo, tum ii, qui ſub fraudulento Beneficii, vel patrimonii titulo Ordines ſuscipiunt. Qui ab hac ſuspensione absolutus fuit, non potest sine dispensatione ad ſuperiorem Ordinem ascendere, nisi cum eo in titulo dispensatum fuerit. Unde etiam qui cum vero titulo ad Subdiaconatum promotus fuit, & prædicto titulo dimisso, sic ad Diaconatum, aut Presbyteratum ascendit, prædictam incurrit Suspensionem, quia reipsa sine titulo ordinatur.

2do: Suspensionem Papæ reservatam contrahunt, qui

qui excommunicatione ligati Ordines recipiunt. Hic tamen ignorantia invincibilis excusat.

3tio: Qui eodem die, duobusve diebus continuis duos sacros Ordines recipit. Is enim qui sic ordinatus est, ab executione Ordinis ultimo recepti, ſuspensus manet. Pariter qui Ordines per Simoniam recipiunt, ſuspensi ſunt.

4to: Qui Ordines furtive ſuscipiunt, hoc est absque eo, quod ab Episcopo examinati, aut admiſsi fuerint, si Episcopus furtivam hanc Ordinum receptionem ſub excommunicationis pæna prohibuit, alioqui ab Episcopo relaxari poterit.

5to: Qui ante legitimam ætatem ordinantur. Hæc autem ſuspensio ubi semel contracta fuit, ſuperveniente ætate non tollitur, ſed non contrahitur ab iis, qui bona fide rati se ætatem competentem habere, sacris Ordinibus initiati ſunt. Unde si postea re comperta abstinuerint ab Ordinum usu, poterunt absque ulla absolutione, aut dispensatione celebrare statim ac ætatem præscriptam attigerunt.

Suspensiones vero Episcopo reservatæ ſunt.

1mo: Cum per ſaltum Ordines recipiuntur, hoc est cum Ordo ſuperior ſuscipitur omiſso inferiori, cum talibus ergo, modo tamen non ministraverint in Ordine sic ſuscepto, Episcopus ex legitima causa poterit dispensare.

2do: Cum aliquis sine litteris dimiſsoriis proprii Episcopi, aut iisdem ſuppositis, ab alio Episcopo ordinatur.

3tio: Cum Parochus vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive sæcularis, alterius Parochiæ Sponsos, sine licentia illorum Parochi, Matrimonio conjungere ac benedicere præsumit, talis enim ſuspensus manet, quamdiu ab Episcopo illius Parochi, qui matrimonio intereſse debuit, absolvatur.

4to: Suspensionem Episcopo reservatam incurrunt, qui scienter celebrant, vel celebrare faciunt divina officia in locis interdictis, aut qui excommunicatos publice, atque nominatim denuntiatos, vel interdictos ad divina Officia, ſeu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam ſepulturam admittunt.

Quæres 8vo: Quibus modis tollitur suspensio?

Resp: Suspensio semel ob commiſsum crimen contracta, non tollitur nisi per absolutionem. Verum ſuspensio aliquando imponitur ad tempus, exg. ad triennium, vel in perpetuum, vel ſub conditione, donec sic ſuspensus satisfecerit. Quæ ad tempus lata est, aut ſub condi-

tione præstandæ exg. satisfactionis, elapso tempore, aut præstita satisfactione, ipsa cefsat per seipsam, sine absolutione, non tamen ante ab alio potest relaxari, quam à quo imposita fuit. Si perpetua sit, tamdiu durat quousque revocata sive relaxata fuerit ab eo, qui vel eam tulit, vel ab illius fuccefsore, sive fuperiore ipsius.

Absolvere autem à Suspensione si sit lata ab homine contra aliquem nominatim, ille solus potest, qui eam tulit. Si sit lata à jure & nulli reservata, Episcopus absolvere potest, pariter & ab iis quæ ipsi reservatæ in jure funt. Imo etiam à Suspensionibus Papæ reservatis potest Episcopus absolvere fubditos fuos, quando ipsæ proveniunt ex delicto occulto, & quod non est ad forum contentiosum deductum.

Quæres 9no: Quid sit, & quotuplex Interdictum?

Resp: Interdictum est Censura Ecclesiastica, qua prohibetur divinorum Officiorum celebratio, atque auditio, & alia nonnulla, quibus fideles uti, & frui consveverunt.

Interdictum duplex est, *Personale*: quod immediate personas afficit, easque ubicunque sint arcet à divinis officiis, & *Locale*: quod immediate respicit locum, prohibetque ne Mifsa in eo celebretur, vel audiatur etiam ab extraneis, ne quis in eo Sacramenta recipiat, aut fepultura donetur. Est etiam Interdictum *mixtum* quod complectitur personale, & locale, unde si fpeciale sit, cadit & in loca quoad omnes personas etiam extraneas, quæ hic divina facere non pofsunt, & in personas quoad omnia loca, quia personæ illæ nullibi divinis frui pofsunt, ut cum Incolæ alicujus loci, & locus ipse interdicuntur, aut etiam interdicitur persona, & omnis locus ad quem illa se contulerit.

Interdictum autem tum locale, tum personale iterum duplex est, generale scilicet, & particulare. Interdictum *locale generale*, illud est, quo interdicitur locus universalis, fub quo alia continentur loca exg. Regnum, Diæcesis, Civitas. Siquidem ad interdictum generale fufficit, & requiritur, ut locus ille, in quem cadit, duo locorum genera contineat, scilicet locum sacrum & locum profanum, tunc enim prohibetur celebratio divinorum officiorum non solum intra Ecclesiam, ubi fieri consveverunt, fed & extra Ecclesiam, extra quam in casu necefsitatis fieri pofsent, si non extaret Interdictum. Interdictum *locale speciale* est illud, quo interdicitur locus aliquis particularis, non autem ea quæ licet ad eum pertineant, non

ita

ita tamen ut partes illius sint, aut ei accefsoria. Hinc particulare est interdictum, quod fertur in solam Ecclesiam. Licet enim ipsa Ecclesia interdicta, interdicantur etiam Capellæ, quæ intra eam funt, & Cæmeterium ei contiguum, quod ut accefsorium sequitur naturam principalis, haud tamen interdicta funt alia loca profana ad ipsam aliquo modo pertinentia, in quibus proinde divina officia celebrari pofsent, si id necefsitas exigeret. Unde interdictum latum in omnes alicujus Districtus Ecclesias, adhuc fpeciale efset, multitudo enim Ecclesiarum interdictarum, non constituit interdictum locale generale, nisi etiam loca quæcunque ejusdem Districtus interdicto fubijciantur, quia adhuc tunc extra Ecclesias divina officia peragi pofsent, sive in Oratoriis constructis, sive alibi. Hæc stricte ponderanda funt, quia illi, quibus ex privilegio competit, ut tempore interdicti generalis pofsint audire, percipere, vel celebrare divina, id non pofsunt tempore interdicti particularis atque specialis.

Hic annotanda funt fequentia *1mo*: quando Civitas, castrum, aut villa fubijciuntur Ecclesiastico interdicto, fubijciuntur, illorum etiam fuburbia, & continentia, feu vicina ædificia eo ipso funt interdicta. Pariter si Ecclesia sit interdicto fupposita, nec in capella ejus celebrari poterit, nec in Cæmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis, secus si ei contigua non fuerint. Ea porro censentur ædificia efse Civitati, Castro continentia, ac vicina, quæ ita parum ab Urbe, sive Castro distant, ut à Civibus commode adiri pofsint, adeoque si in illis celebrentur divina Officia, parvi ponderaretur interdictum in Urbem, Castrumque latum. Cæmeteria vero illa dicuntur efse Ecclesiæ contigua, quorum extrema Ecclesiam immediate tangunt, ita ut nullus inter ea mediet locus planus, aut vacuus, & unum censeatur moraliter efse pars alterius, aut accefsorium illius.

Ceterum interdicto Cæmeterio non ideo interdicitur Ecclesia eidem contigua, quia interdictum totius cadit quidem in partes ipsius, fed interdictum unius partis non cadit in totum.

2do: Interdictum quodcunque locale complectitur ac continet interdictum personale eorum, qui eidem causam dederunt. Unde hi, ubicunque fuerint, iis omnibus privantur, quibus privantur *illi*, qui personaliter funt interdicti, secus de iis sentiendum est, qui criminis, propter quod latum est interdictum conscii, & participes non fuerunt, ii enim extra locum interdictum, pofsunt licite interefse

teresse divinis officiis. Interdictum vero personale, si particulare sit, nullum complectitur, neque in se continet interdictum locale. Sed neque interdictum generale totius populi in civitate aliqua existentis, loci ipsius interdictum involvit, quia hæc interdicta omnino distincta sunt, unde tum extranei in Ecclesiis ejusdem loci officia divina facere possent, modo tamen abessent ii qui in illo loco interdicti sunt.

Quæres xomo: Quid sit personale interdictum tum generale, tum particulare?

Resp: Interdictum personale aliud est generale, aliud particulare. *Generale* illud est, quod directe fertur in aliquam Communitatem, prout certum aliquod corpus constituit, vg: in aliquam Universitatem, & hoc interdicto comprehenduntur omnes, qui sunt de illa Universitate. Interdictum vero personale *particulare*, illud est, quod in unam, vel plures personas particulares, etiamsi plures sint, sive aliqui nominatim interdicantur sive generaliter tantum. Interdictum siquidem personale, semper particulare est, nisi cadat in Communitatem.

Eæ vero duæ personalis interdicti species in hoc conveniunt, quod sicut specialiter interdicti nullibi possunt divinis interesse officiis, aut Sacramenta suscipere, sic & qui generaliter interdicti sunt, etiamsi innocentes sint, vel absentes dum fertur interdictum, quamdiu manent, & sunt pars Communitatis interdictæ, ubicunque sint, à divinis abstinere tenentur. Differunt vero in eo, quod specialiter interdicti, non nisi per absolutionem ab hac Censura eximi possunt, contra vero qui generaliter interdicti sunt, modo causam interdicto non dederint, statim ac desinunt esse pars Communitatis, quæ immediate interdicta est, ab interdicto relevantur, unde a contrario non interdicti, hoc ipsi, quod communitatis alicuius interdictæ pars fiunt, statim incipiunt subjacere interdicto.

Quæres xxmo: Quos interdictum comprehendere solet?

Resp: Si sententia interdicti proferatur in clerum, non intelligitur interdictus populus, tunc ergo ille potest alios advocare Sacerdotes, qui sibi divina celebrent. Pariter interdicto populo, non interdicitur Clerus, aut Religiosi. Neque etiam interdicto Clero, interdicuntur Religiosi. Si tamen Regularis pastoratum in Civitate, aut simile officium gerat, interdicto Clero, & is interdicitur. Interdicta etiam certa familia, interdicuntur etiam Clerici ejusdem familiæ, quia familiæ nomen tam Clericis

quam

quam laicis commune est. Pariter interdicta Universitate, quæ laicis constat, Clericis, & Regularibus, omnes interdicti manent.

Interdicto etiam quamtumvis generali, non ligantur. *1mo*: Episcopi, nisi exprefsa eorum mentio fiat. *2do:* Pueri, & quicunque doli capaces non sunt, ii tamen sepulturæ Ecclesiasticæ tradi non pofsunt, quia sepeliri non pofsunt absque ministerio Sacerdotum, quo ipsi per interdictum prohibentur, *3tio*: Peregrini atque exteri, aliique, qui per longum etiam tempus interdicti commorantur. Et si enim hujusmodi homines locorum legibus teneantur, non tamen tenentur iis, quæ afficiunt personas singulares, prout sunt, pars hujus populi, qualiter afficit interdictum generale personale.

Quæres 12do: *Qui sunt effectus interdicti?*

Resp: Effectus interdicti triplex est, privatio scilicet divinorum officiorum, nonnullorum Sacramentorum, atque sepulturæ Ecclesiasticæ. Sunt etiam alii effectus per accidens ex interdicto profluentes, pænæ nimirum quas contrahunt illi, qui interdictum violant. Et quidem, *1mo*: Eucharistia nec interdicti tempore, nec interdictis etiam infirmis conferri potest: nisi sint in mortis periculo. Specialiter autem interdicti Sacramentum hoc ministrare tunc nequeunt, si adsit alius qui illud valet ministrare. Cum vero ad infirmos interdicti, tempore viaticum defertur, solitæ Cæremoniæ usurpari pofsunt. Pro morientibus etiam consecrari, & renovari Eucharistia potest, quare interdicti tempore, januis Ecclesiæ occlusis, & ejectis interdictis, licet semel in Hebdomada Mifsam celebrare.

Neque etiam Unctio-extrema, etiam Clericis, aut Religiosis, nec ordo conferri pofsunt interdicti tempore. Incertum autem est, an interdicti tempore Matrimonium contrahi, & benedici pofsit, unde tunc ad Episcopum recurrendum est.

Sed tempore interdicti conferri potest, & recipi sive ab infantibus sive ab adultis Baptisma, idque etiam in Ecclesia specialiter interdicta, & cum consvetis solemnitatibus. Non debet tamen Baptisma conferri ab eo, qui est specialiter interdictus, nisi in casu necefsitatis, tumque sine solemnitatibus Sacramentum hoc ministrari debet. Sacramentum quoque Confirmationis interdicti tempore conferri potest; quia pro quodam Baptismi complemento

mento habetur. Haud tamen confirmari potest, qui specialiter interdictus fuit.

Denique tempore interdicti ab homine, vel â jure lati, tam sani, quam infirmi ad pænitentiam licite admittuntur, iis tamen exceptis, qui interdicto causam dederunt, eisque consilium, vel favorem præbuerunt, isti enim ad pænitentiam admitti non debent, nisi prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem. Verum Sacramentum Pœnitentiæ á personaliter, simul & specialiter interdictis licite conferri non potest, valide tamen confertur, quia licet excommunicatus denuntiatus sua spolietur jurisdictione, non tamen interdictus denuntiatus.

2do: Interdictum tam locale, quam personale privat divinis Officiis, & ab iis prohibet. Nomine autem divini Officii eá omnia munia intelliguntur, quæ à solis Clericis fieri debent, ut celebratio Mifsæ, benedictio solemnis Nuptiarum, fontis baptismalis, aquæ, olei, chrismatis. Item recitatio officiorum ecclesiasticorum, prout etiam à Monialibus fieri solet. Clerici tamen ac Religiosi privatim Horas Canonicas recitare tenentur. Imo concefsum est *1mo:* Ut singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Mifsæ celebrentur, & alia dicentur officia submifsa voce, & clausis januis, interdictis, & excommunicatis exclusis, & campanis non pulsatis. *2do:* In solemnitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & afsumptionis Mariæ Virginis, nec non in festivitatibus Corporis Christi, ac Conceptionis Mariæ Virginis, & utriusque octava, permifsum est ut Campanæ pulsentur, & januis apertis, alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admifsis, sic tamen, quod illi, propter quorum excefsum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. Sed hæc concefsio non extenditur ad interdictum locale speciale, sed ad generale tantum, & licentia, singulis diebus celebrandi divina officia, non suffragatur Laicis fed Clericis solum, sub quorum nomine veniunt omnes, qui gaudent privilegio fori Ecclesiastici, & Canonis. Hinc Mifsæ in privatis Oratoriis interdicti tempore celebrari nequeunt, quia privata Oratoria nec sunt Ecclesiæ, nec Monasteria pro quibus istiusmodi licentia concefsa est.

3tio: Ecclesiastica sepultura tempore interdicti generalis, omnes prorsus privantur, exceptis solum iis Laicis, qui privilegio gaudent, & Clericis, qui nec specialiter interdicti sunt, nec causam interdicto dederunt, illud-

que

que observarunt, hos enim, in loco ad Fidelium sepulturam destinato etiamsi specialiter fuerit interdictus, si alius desit, sine Campanarum pulsatione, cefsantibus solemnitatibus, cum silentio sepelire permifsum est. Hæc tamen permifsio non extenditur neque ad Infantes, neque, ad eos etiam quibus Sacramentorum percepto specialiter indulta fuit. Stante interdicto locali speciali, qui nec specialiter interdicti sunt, nec causam interdicto dederunt, sepeliri pofsunt in alio loco sacro non interdicto, qui vero personaliter interdicti sunt, & denuntiati, in loco sacro sepeliri non debent. Denique in generali loci interdicto mortui sepeliendi sunt in aliquo loco non benedicto, unde cefsante interdicto exhumari, & in locum sacrum deferri pofsunt, si nec specialiter interdicti fuerint, nec interdicto causam dederint, qui vero rei sunt, non modo in locum sacrum post interdicti cefsationem deferri non debent, sed etiamsi in loco sacro sepulti fuerint, exhumandi sunt, & in loco profano tumulandi.

Quæres 2tio: Quibus in casibus Interdictum contrahitur?

Resp: Jure communi interdictum contrahitur *1mo*: Quando Civitas quemvis Pontificem injuriose, vel temere percufserit, aut cæperit, seu banniverit. *2do:* Interdicto subjacent Ecclesiæ, & Cæmetaria Religiosorum, & Sæcularium, qui ibidem sepelierunt eos, quos induxerunt ad promittendum, vel vovendum, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non mutent. *3tio*: Interdictum contrahunt loca, in quibus Hæretici sepeliuntur *4to:* Et Ecclesiæ in quibus ad officia admittuntur nominatim interdicti. Porro locale interdictum nullum est, nisi denuntietur, quia quemadmodum nullus est Censura ligatus, qui vitari debeat, nisi sit denuntiatus, ita nec locus interdictus vitari debet, nisi interdictus efse denuntietur. Neque etiam negatur Sepultura Ecclesiastica, nisi nominatim interdictis, aut saltem nisi consulto prius Episcopo.

Interdictum quoque ab ingrefsu Ecclesiæ ipso facto incurrunt *1mo*: Qui celebrant in loco interdicto. *2do*: Qui ad officia, Sacramentave aut Ecclesiasticam Sepulturam admittunt nominatim excommunicatos vel interdictos, donec satisfaciant ei, cujus sententiam violarunt. *3tio*: Episcopi, & alii Prælati qui Beneficiorum & Ecclesiarum vacantium bona, & hæreditatem usurpant. *4to*: Episcopi

pi qui in visitationis decursu aliquid recipiunt, ultra id quod Sibi debitum est, nisi intra Mensem duplum restituant.

Porro per interdictum ab ingreſsu Ecclesiæ intelligitur privatio exercitii Ordinis sacri, & Sepulturæ in ipsa Ecclesia ejusque Cæmeterio, ac tandem prohibitio audiendi divina Officia in Ecclesia, atque Sacramenta in ea recipiendi. Celebre quoque est interdictum, secundum quod omnis utriusque sexus fidelis, qui Paschali non fungitur officio, vivens ab ingreſsu Ecclesiæ arceri debet, & moriens Christiana sepultura privari. Sed istud interdictum non est latæ sententiæ sed ferendæ.

Quæres 14to: Cui obnoxii Sunt pœnæ qui Interdictum violant?

Resp: Clericus qui scienter celebrat in loco interdicto denuntiato, irregularitatem contrahit, et fit paſsive & active irreligibilis, ac inportulabilis ad Dignitates Ecclesiasticas. Qui vero personaliter interdictus, aut suspensus, vel ab ingreſsu Ecclesiæ, vel à divinis, Ordinis cacri functionem exercet, eisdem quoque subjacet pænis.

2do: Celebrans in loco interdicto suspenditur insuper ab ingreſsu Ecclesiæ, donec ei satisfecerit cujus sententiam violavit. Idem dicendum tum de eo qui coram excommunicatis, aut interdictis non toleratis celebrat, vel celebrari facit, tum de iis, qui eosdem excommunicatos, vel interdictos ad divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta vel Sepulturam admittunt, imo qui sepeliunt excommunicatum, vel interdictum in loco sacro, vel non interdictos, in loco interdicto, contra juris permiſsionem, excommunicantur.

Eidem quoque excommunicationi subjacent *1mo*: Religiosi, etiam exempti qui non servant interdictum, quod Ecclesia Matrix, aut Parochialis servat. *2do:* Domini temporales, qui cogunt aliquos in locis interdictis divina celebrare, vel Campanæ pulsu, sive alio modo plebem etiam non interdictam convocant ad audienda iis in locis Officia, vel impediunt ne nominatim excommunicati, aut interdicti, juſsi & templo egrediantur, aut demum qui cum sint nominatim excommunicati, moniti, ut ab Ecclesia exeant, exire nolunt, & hæc iterum excommunicatio Papæ reservata est.

Ceterum omnes sive Clerici, sive Laici qui Interdictum violant, illudque transgrediuntur, mortaliter peccant

eant, quia in re gravi justam ac gravem Ecclesiæ prohibitionem transgrediuntur.

Quæres 15to: A quo interdictum tolli potest?

Resp: Imprimis per facultatem, ac privilegium absolvendi ab omnibus Censuris alicui concefsum, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale generale, & neutrum potest tolli, nisi ab eo, qui habet jurisdictionem fori exterioris in locum, vel communitatem interdictam.

Interdictum latum ad tempus, aut fub conditione, cefsat elapso tempore, vel conditione adimpleta, sine absolutione, fecus si interdictum absolute latum sit. Quando interdictum à jure latum est, potest fummus Pontifex fuspendere effectus interdicti, quin illud tollat. Interdictum ad tempus latum, potest auferre qui illud tulit. Quando interdictum est locale, etiamsi locus, puta Ecclesia dispensetur, non propterea cefsat interdictum, ideo in tali loco non pofsunt cadavera mortuorum fepeliri. Latum vero interdictum contra Communitatem, si hæc difsolvatur, interdictum cefsat respectu eorum, qui innocentes erant. Ab interdicto locali, aut generali personali à jure lato, & non reservato, Episcopus absolvere potest, quia hoc ipso quod non sit reservatum, relinquitur illius potestati. Si interdictum latum sit ab homine, ille qui tulit, potest ab eo absolvere, non vero aliquis inferior. Unde Episcopus nequit absolvere ab interdicto lato à fummo Pontifice, quia illo inferior ipse est. Plures autem Theologi docent, ab interdicto personali particulari non reservato, pofse absolvere quemlibet Confefsarium approbatum.

Quæres 16to: Quid sit cefsatio à divinis?

Resp: Interdicto proxima est cefsatio à divinis, illa vero recte definitur: *Prohibitio à legitima potestate facta Clericis, ne in certo loco Sacramenta ministrent, aut divina celebrent officia.* Hæc vel ab homine per fententiam magis, vel minus generaliter decernitur, vel à jure statuitur, ut cum Ecclesia polluitur, & ideo in ea à divinis cefsatur.

Conveniunt omnes Theologi. 1mo: illicitum tunc temporis efse ulla officia celebrare, præter unum in hebdomada Mifsæ Sacrificium. 2do: pofse tamen tunc temporis Baptismum, Pænitentiam, & Eucharistiam in mortis periculo administrari, prout interdicti tempore. Potest etiam juxta non paucos Matrimonium celebrari, & Pænitentiæ Sacra-

Sacramentum administrari, etiam iis, qui infirmi non ſunt.

Ex his ſequitur ceſsationem â divinis, & interdictum, in quibusdam convenire, in aliis disconvenire. Et quidem in eo conveniunt, quod per utrumque Fideles iisdem ſpiritualibus bonis priventur. Differunt vero. *1mo*: Quod Interdictum sit Censura, ceſsatio vera à divinis simplex prohibitio in signum doloris ac mæroris ab Ecclesia concepti ob gravem injuriam, Deo in se, vel in Ministrorum ſuorum persona, illatam. *2do*: Quia interdictum etiam locale semper aliquas afficit personas, illas nempe quæ interdicto causam dederunt, cessatio vero â divinis non item. *3tio*: Quia violatio ceſsationis à divinis, irregularitatem non inducit, quemadmodum interdicti violatio illam parit. Religiosi tamen, qui prædictam ceſsationem violant, excommunicationis sententiæ ipso facto ſubjacent.

Quæres 20mo: Quando violatur, & polluitur Ecclesia, ut proptsrea in ea divina officia ceſsare debeant?

Resp: 1mo: Violatur & polluitur Ecclesia per homicidium in ea voluntarie, & injuriose perpetratum. Nihil autem interest sive homicidium sit Christiani, sive infidelis, Judæi, Gentilis, sive cum effusione, vel sine effusione sanguinis contigerit. Unde polluitur locus sacer, si quis in eo ſuffocetur, ſuspendatur. Sed istud homicidium debet *1mo*: in Ecclesia eſse factum, sive in quacunque illius parte, quæ vere sit locus sacer. Locus vero sacer dicitur illud ſpatium, quod ſpectat ad interius Ecclesiæ corpus, â tecto interiori usque ad pavimentum. Unde si homicidium fiat in Sacristia, Campanili, ſupra fornicem Ecclesiæ, vel in ſpecu ſubterraneo, modo non sit ad ſepulturam mortuorum destinatum, vel in Cameris Ecclesiæ adhærentibus, non violatur, neque polluitur Ecclesia, quia hæc non veniunt nomine loci sacri, cum non ad officia divina, ſed in alios usus deputentur. Violatur tamen Ecclesia, si quis in ea recipiat læthalem ictum, etiam sine effusione sanguinis, unde extra Ecclesiam moriatur. Si quis vero ab homine intra Ecclesiam existente, letaliter extra eam vulneretur, non inde polluitur locus sacer, etiamsi vulneratus Ecclesiam ingrediatur, ibique sanguinem effundat, aut moriatur. Polluitur autem si quis foris existens jaculum mittat, eumque, qui in Ecclesia est, occidat. *2do*: Istud homicidium debet eſse voluntarie perpetratum, neque enim polluitur Ecclesia si quis fortuito casu, puta trabe corruente oppreſsus moriatur. Item si quis mentis impos se occidat, secus si ille, qui se occidit;

dit, sit sanæ mentis. Ea autem sola occisione polluitur Ecclesia, quæ ita voluntaria est, ut ad peccatum mortale ſufficiat. *3tio*: Debet eſse injuriose perpetratum, unde non polluitur Ecclesia, si quis ad sui defensionem, & cum justo moderamine alium occidat, pollueretur vero si mors reo in Ecclesia inferatur, etiam per sententiam Judicis.

2do: Polluitur Ecclesia per humani ſanguinis effusionem injuriosam, etiamsi mors non ſequatur. Si modicus sanguis ex injuriosa etiam percuſsione effusus sit, non polluitur Ecclesia, imo nec pollueretur ob effusionem copiosam sanguinis è naribus in rixa puerorum eliciti, præsertim si rixa hæc vacet, à peccato mortali. Non polluitur etiam Ecclesia ob percuſsionem casu factam, vel ab amente, vel quæ fiat ex joco, ad debitam ſui defensionem, quia non est injuriosa. Si vulnus in Ecclesia infligatur, sanguis vero extra Ecclesiam defluat, polluitur Ecclesia, quia per accidens est, quod sanguis in ipsa Ecclesia non fluxerit.

Ad violationem ergo Ecclesiæ non ſufficit vulnus grave vg. carnium contusio, fractio oſsium absque effusione sanguinis. Canones enim loquuntur vel de illata morte, vel de vulneratione cum effusione sanguinis, in pænalibus autem non est facienda extensio. In dubio an ex vulnere citra sanguinis effusionem illato, mors secutura sit, nec reconcilianda est Ecclesia, quæ nonnisi in mortis instanti polluta evadit, nec tamen ibidem continuanda ſunt divina Officia ob imminentis mortis periculum.

3tio: Violatur Ecclesia per quamcumque humani seminis effusionem in ea voluntarie factam, sive in carnali copula, sive extra illam. Et id præstat copula carnalis etiam Conjugatorum in Ecclesia habita. Non polluitur tamen Ecclesia per humani seminis effusionem, quæ vel in somno vel in vigilia contingeret, ſed involuntarie, & renitente humana voluntate.

4to: Polluitur Ecclesia cum in ea etiam ignoranter ſepelitur excommunicatus denuntiatus. In hoc vero casu Ecclesia nonnisi exhumato cadavere, si ab aliis discerni queat, aut collata à Censuris absolutione, si excommunicatus pænitentiæ signa dederit, reconciliari potest. Ubi autem obtinet usus, ut Hæretici cum Catholicis ſepeliantur, ut in Germania, & alicubi in Pruſsia, Ecclesia vel Cæmeterium inde non polluetur. Licet autem excommunicati, & interdicti in jure æquiparantur, non

viola-

violatur tamen Ecclesia, si interdicti denuntiati in ea ſepeliantur, quia id nullibi statutum est.

5to: Polluitur Ecclesia si infidelis in ea ſepeliatur. Hac de causa violatur Ecclesia, si infans non baptisatus, qui extra Matris uterum mortuus est, in ea ſepeliatur

Hic notanda ſunt sequentia. *1mo*: Ecclesiam non pollui per facta occulta, qualia ea etiam dicuntur, quæ per duos aut tres testes probari poſsunt. *2do*: Sola tamen facti notorietas ſufficit, ut Ecclesia censeatur eſse violata. Unde si Sacerdote coram pluribus Miſsam celebrante, committatur in Ecclesia homicidium, dimittenda est Missa, nisi jam Canon inchoatus sit. *3tio*: Cæmeterium Ecclesiæ contiguum polluitur, cum polluitur Ecclesia, adeoque illud ante reconciliandum est, quam in eo quis sepeliatur. Haud tamen polluitur Ecclesia, polluto cæmeterio. *4to*: Mortalis peccati reus est, qui sine consensu Episcopi in Ecclesia polluta celebraret, haud tamen irregularis efficitur, neque etiam per istiusmodi Miſsæ celebrationem Ecclesia reconciliatur.

Quæres 21mo: *Quomodo fieri debet Ecclesiæ pollutæ reconciliatio?*

Resp: Vel Ecclesia illa fuit solum benedicta, & tunc reconciliatio ejus ab Episcopo sive Vicario generali committi potest simplici Presbytero, qui ad id uti poterit aqua simpliciter benedicta. Vel illa Ecclesia fuit consecrata, & tunc ipsa nonnisi per Episcopum reconciliari potest.

Quæres 22do: *Quid sit Depositio, Degradatio?*

Resp: Depositio est pæna Ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum, & sine ſpe restitutionis privatur omni Officio & Beneficio, retento tamen privilegio Clericali, ſeu fori, & Canonis.

Degradatio, est pæna Ecclesiastica, qua Clericus privatur in perpetuum & sine spe restitutionis non solum omni Officio & Beneficio, ſed etiam privilegio Clericali, unde si quis talem Clericum percuteret, peccaret quidem, ſed excommunicationem non incurreret. Taliter autem degradatus Clericus, nec à castitatis voto, nec à recitatione horarum Canonicarum immunis foret.

TRACTATUS

DE

IRREGULARITATIBUS

Irregularitates eos, qui iis onusti ſunt, & à ſuscipiendis Ecclesiasticis Ordinibus arcent, & ab illorum exercitio prohibent, quare Irregularitatum notitia neceſsariâ est tum iis, qui ad Ecclesiasticum aspirant statum, tum iis qui in eo jam positi ſunt.

CAPUT PRIMUM

De Irregularitatibus in genere.

ARTICULUS 1mus

De natura, divisione, & effectibus Irregularitatis.

Quæres 1mo: Quid sit irregularitas?

Resp: Irregularitas est *Impedimentum Canonicum, quo impeditur Ordinum ſusceptio, & ſusceptorum usus.* Irregularitas itaque est quædam inhabilitas ex quadam indecentia proveniens. Ista vero inhabilitas, ſeu impedimentum, per Ecclesiæ Canones constituta ſunt; nulla itaque irregularitas est juris divini, & nemo irregularitati ſubjacet, nisi per Baptismum Ecclesiæ sit ſubjectus. Duo autem efficit irregularitas, ſcilicet primario impedit Ordinum ſusceptionem, ſecundario vero Ordinum ſusceptorum usu atque exercitio privat. Multipliciter autem irregularitas dividitur. Et quidem 1mo: in perpetuam, & temporalem. Irregularitas *perpetua* ea est, quæ ſemper durare debet, & ſola dispensatione tolli potest. Irregularitas *temporalis* est ea, quæ ad certum ſolum tempus durat, & lapsu temporis ceſsat, talis est irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate tollitur.

2do: dividitur in *totalem*, quæ abſolute, & totaliter

ter excludit ab omni Ordine, & Ordinis usu, ac Beneficio etiam, & *partialem*, quæ non omnes istos effectus parit, ſed aliquos ſolum ex ipsis. Porro certum est *1mo:* dari irregularitates partiales quoad usum Ordinum, quæ ſcilicet ita excludunt ab exercitio unius Ordinis, ut non excludant ab omni aliorum Ordinum usu. Sic cap: 12. de homic: permittitur, ut Sacerdos dubitans an homicidium commiserit in minoribus Ordinibus, non tamen in ſacris ministret. *2do:* dantur etiam irregularitates partiales respectu Beneficiorum, quæ nimirum ita excludunt ab uno, ut non excludant ab alio Beneficio. Sic Cap: 11. de Filiis Presbyt: Filius etiam legitimus Beneficia à Patre possessa immediate post eum tenere nequit, adeoque ad hæc, licet non ad alia, irregularis est. Jam vero ut ſciatur quando irregularitas totalis est, quando ſolum partialis, ſequentes regulæ præscribuntur.

1mo: Irregularitas, quam incurrunt Laici ex defectu, vel ex delicto, ſemper totalis est, excepta tamen ea, quæ oritur ex defectu ætatis, vel ſcientiæ, qui enim junior est, aut imperitus, ut ad Subdiaconatum promoveatur, non ideo inhabilis est ad Ordines minores.

2do: Irregularitas, quam incurrunt Clerici, ſemper totalis est respectu promotionis ad Ordines, at non ſemper totalis est respectu functionum Ordinis jam ſuscepti. Qui tamen ſuscipiunt Ordinem, ad quem irregulares ſunt, in eo ministrare non poſsunt.

3tio: irregularitas, quam incurrunt Clerici, toties debet censeri totalis, quoad Ordines, & Ordinum usum, quoties eadem irregularitas pure, simpliciter, & absolute annexa est facto, cujus iidem Clerici participes & rei efficiuntur.

Quæres 2do: Quotuplex præterea est irregularitas?

Resp: Duplex adhuc est irregularitas, ſcilicet alia ex defectu, alia ex delicto. Hæc propria culpa contrahitur, illa sine propria culpa innodari quis poterit. Differunt autem istæ duæ irregularitatis ſpecies *1mo:* in eo, quod irregularitas ex delicto, sine peccato mortali exterius consummato nunquam contrahatur, quæ vero est ex defectu, sine quacunque culpa contrahitur. *2do:* irregularitas ex delicto, si facti infamia excipiatur, ſola dispensatione tollitur, quæ vero est ex defectu, non raro ipsa ceſsat, ceſsante defectu.

Ad irregularitatem igitur ex defectu, non requiritur peccatum, ſed ſufficit defectus inculpabilis etiam, qua-

lis est defectus natalium, at vero ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiritur peccatum *1mo:* mortale, quia pæna gravis pro levi culpa infligi nequit. Porro irregularitas, quæ ob commiſsum delictum incurritur, est pæna graviſsima, cum privet rebus maximi momenti, & difficiliter relaxetur. Ergo nonnisi propter grave peccatum incurri potest. Hinc irregularitas ex delicto non incurritur, si actus, qui eam inducere consuevit, propter aliquam circumstantiam â mortali excusetur. Id autem, quod ſub irregularitatis pæna vetitum est, ſemper censetur eſse vetitum ſub peccato mortali. *2do:* hoc peccatum debet eſse externum, quia Ecclesia, vel non potest, vel non vult peccata mere interna pænis ſuis plectere. *3tio:* debet eſse in genere ſuo consummatum, quia is, qui irregularitatem in pænam facinoris instituit, non vult illa plectere, nisi post plenam ſceleris executionem, quare irregularitas propter homicidium constituta, non incurritur, si mors ſolum attentata fuerit, vulnus læthale inflictum, & mors de facto non fuit ſecuta. Si tamen lex irregularitatem statuens, actum nonnisi inchoatum & attentatum innuat, ut talis irregularitas incurratur, non requiritur peccatum consummatum, ſed ſufficiet attentatum.

Attamen ad incurrendam irregularitatem, non requiritur, ut peccatum sit publicum, quia irregularitas etiam propter occultum ſcelus contrahi potest, & reipsa per ſecreta scelera irregularitates, quæ ex delicto ſunt, contrahuntur.

Quæres 3tio: Quis irregularitates statuere potest?

Resp: Sola Ecclesia, vel Romanus Pontifex irregularitatem statuere potest, unde omnes irregularitates, vel á Conciliis generalibus, vel à Romanis Pontificibus constitutæ ſunt, quare statutis Diæcesanis irregularitates constitui nequeunt, neque etiam consuetudine aliqua irregularitas invehi potest, quapropter communi Theologorum consensu, illæ ſolum admittuntur irregularitates, quæ in jure communi expreſsæ ſunt. Si tamen controversia esset de aliqua irregularitate, quæ non ita clare in jure communi eſset expreſsa, si eam extare testetur consuetudo communi Theologorum ſensu agnita, admitti illa debet, quia ſatis in jure communi expreſsum est, quod in illo contineri usus, & consuetudo unanimi Theologorum consensu firmata testatur. Neque igitur in irregularitatibus valet argumentum à simili vel â fortiori, ſed juris expressio, ac ſonantia attendi debet, similis namque aut major

insti-

instituendæ irregularitatis ratio non efficit, ut hæc de facto instituta fuerit, unde male quis argumentaretur, hoc modo discurrens. Irregularis est, qui duas uxores duxit, ergo & qui cum duabus fornicatus est, primum enim jus commune habet, non secundum. Hinc etiam colligitur eum, qui irregularitate aliqua, etiam ex delicto innodatus, Ordines recipit, aut eos exercet, novam non incurrere irregularitatem, quia id nullibi in jure statutum est.

Quæres 4to: Quos effectus parit irregularitas?

Resp: Certum est, nullam esse irregularitatem, qua homo privetur iis actionibus, quæ Clericis, & Laicis ex æquo conveniunt, unde irregularis potest Sacramenta quæcunque præter Ordinem recipere, cum aliis fidelibus communicare, in loco sacro sepeliri, Ordinum Minorum officia exercere, quia hæc nunc passim à Laicis peraguntur, poterit etiam officia divina publice cum aliis decantare, modo tamen abstineat ab iis, quæ ex Ecclesiæ usu, sacro sunt Ordini annexa, potest demum absolvi à quolibet peccato, atque ab eo etiam, propter quod irregularitatem contraxit. Neque ideo, quia irregularitas reservata est, reservatum idcirco erit peccatum, propter quod illa contracta fuit, quia absolutio à peccato non habet necessariam connexionem cum dispensatione ab irregularitate. Itaque irregularitatis effectus sunt sequentes.

1mo: Irregularitas si totalis sit, impedit omnium Ordinum susceptionem, & illorum executionem. Imo irregularitas ab ipsa etiam prima tonsura arcet, quia primarius irregularitatis finis est, ut à statu Clericali arceantur illi, quos ad eum admittere nec convenit, nec decet. Jam vero per primam tonsuram, status Clericalis suscipitur. Ergo irregulares etiam à prima tonsura suscipienda prohibentur. Hinc mortaliter peccat, irregularis primam tonsuram recipiens, eamque illi scienter conferens, quia uterque Ecclesiæ prohibitionem in materia gravi transgreditur. Valide tamen tum omnes Ordines ab irregulari recipiuntur atque exercentur, tum ipsa etiam prima tonsura, neque illa repeti debet, aut iterari. Aliquando tamen irregularitas omnes parit effectus, quos parere assolet, aliquando non omnes, sed quosdam solum; omnes quidem parit si sit totalis, unde Sacerdos, qui simpliciter irregularis factus est, nec communicare sub duplici specie, nec ex præsanctificatis seipsum communicare potest, quia hujusmodi actus, Ordinis sacri executionem continent. Contra vero: qui partialiter solum irre-

gu-

gularis est, arcetur ab exercitio hoc vel illo sacri cujusdem Ordinis, sed non ab omni illius usu, sic Sacerdos, qui duos digittos cum medietate palmæ amisit, non permittitur Mifsam celebrare, potest tamen ceteris officiis Sacerdotalibus fungi, ac proinde potest solemniter baptisare, aliaque Sacramenta ministrare.

Porro irregularitas, quæ solum partialis est in eo, qui jam Ordinem aliquem recepit, est totalis in eo, qui necdum illo Ordine initiatus est, ac proinde ille qui ex policis defectu inhabilis est, ad suscipiendum Sacerdotium, non potest ad inferiores promoveri Ordines, si iis necdum initiatus est. Tutius ergo & probabilius est, illos, qui etiam sine sua culpa ad Sacerdotium irregulares sunt, neque ad primam tonsuram sine dispensatione admitti pofse.

2do: Beneficii collatio irregulari facta, non solum illicita, fed & invalida est, si nimirum irregularitas sit totalis, & ipse non pofsit omnia Beneficii munia obire. Hoc constat ex variis Juris statutis. Et vero irregularitas à toto statu Clericali removet. Ergo & à Beneficiis removere debet, non prohibendo solum, sed & illorum collationem irritando. Irregularitas ergo inhabilem facit ad quodlibet beneficium obtinendum, si sit totalis, quia Beneficium datur propter officium, & ad hoc ex se ordinatur. Cum ergo irregularis sit inhabilis ad officia exercenda, est etiam inhabilis ad Beneficia recipienda. Quodsi vero irregularitas tantummodo sit partialis, plures Theologi contendunt, per eam non impediri receptionem Beneficii, cujus munia irregularis ille licite obire potest. Nomine autem Beneficii veniunt hic etiam Dignitates Ecclesiasticæ.

Hinc sequitur irregularem non facere suos fructus, quos a Beneficio in irregularitate nulliter acquisito percepit, quia hujus Beneficii acquisitio, atque pofsefsio, cum propter irregularitatem, irrita sit, ad illius fructus jus nullum habet, quapropter illos restituere debet; neque potest illos penes se retinere. Debet itaque talis Beneficium dimittere, nisi irregularitatis, qua constrictus est, dispensationem, & insuper novam Beneficii collationem obtineat.

3tio: Pariter irregularitas inhabilem facit ad recipiendam de novo jurisdictionem ordinariam, sive in foro interiori, sive in exteriori. Jurisdictio enim ordinaria non convenit neque competit nisi ratione Beneficii, aut Eccle-

sia-

siasticæ alicujus Dignitatis. Igitur dum collatio Beneficii, sive Dignitatis irregulari facta nulla, atque irrita est, nulla etiam eſse debet jurisdictio, quæ in his fundatur; hinc non potest Beneficiarius irregularis administrare Sacramentum Pænitentiæ, nisi interveniat, prout frequenter intervenire solet, error communis. Aliud est de jurisdictione delegata, & de illa omni, quæ non ex intrinseco titulo, ſed ex commiſsione procedit, hæc enim licite, & valide ab irregulari recipi potest. Jurisdictio siquidem delegata, non pendet â Beneficio, ſed à sola delegantis voluntate, quæ nulla lege quoad irregulares irritatur. Valide ergo illis conferri potest. Irregulares ergo jurisdictionem delegatam, in iis, quæ usum Ordinis sacri non requirunt, etiam licite exercere poſsunt.

4to: Irregularitas tamen superveniens, non privat Beneficiis antea rite obtentis. Id enim nullo jure constitutum est, nisi Crimen, cui annexa est irregularitas tale sit, quod ipso facto privet Beneficio. Pariter irregularitas, superveniens jurisdictioni ordinariæ legitime obtentæ, illius usum, exercitiumque non invalidat, neque ipsam irritat. Quia irregularitas talis, sicut non privat Beneficio prius legitime obtento, sic etiam non privat jurisdictione, quæ eidem annexa est. Porro qui post obtentum Beneficium evadit irregularis, aut irregularitatis dispensationem obtinere debet, aut Beneficium dimittere tenetur.

ARTICULUS 2dus

De iis, quæ ab incurrenda irregularitate excusant.

Quæres 1mo: Quæ excusant ab incurrenda irregularitate?

Resp: 1mo: Certum est, ab incurrenda irregularitate, quæ est ex delicto, hominem excusari per ea omnia, quibus à peccato mortali excusatur, unde ignorantia juris, & facti, oblivio, inadvertentia, bona fides, materiæ levitas, quia à gravi culpa excusant, impediunt etiam ne incurratur irregularitas ex delicto, quia hæc utpote gravis pæna, pro culpa quæ vel levis, vel nulla est, incurri non potest. Aliud est de irregularitate ex defectu, hæc enim posito etiam inculpabiliter defectu, cui annexa ipsa est, semper contrahitur, nisi forte talis sit defectus ille, ut irregularitatem non pariat nisi oriatur ex actu voluntario.

Hinc

Hinc irregularis est Judex, qui latronem promeritæ morti addicit, secus si eum vel nolens, vel amens occidat.

2do: Est quoque indubitatum, ignorantiam, oblivionem, inadvertentiam vere hic, & nunc vincibilem, atque culpabilem ab incurrenda irregularitate non excusare, quia cum istiusmodi ignorantia, oblivio, inadvertentia non excuset á gravi peccato, in facto, cui annexa est irregularitas, neque etiam ab ipsa excusat irregularitate contrahenda. Unde sequitur ignorantiam sive legis Ecclesiasticæ quidpiam prohibentis, quod jam divino, aut naturali jure vetitum efse dignoscitur, sive solius irregularitatis facto vetito annexæ, ab incurrenda irregularitate non eximere, neque excusare. Quare qui scit quidpiam exg: homicidium, jure divino efse vetitum, fed ignorat illud etiam jure Ecclesiastico efse prohibitum, vel solum nescit ei irregularitatem efse annexam, per istiusmodi ignorantiam ab incurrenda irregularitate non eximitur, quia per illam à peccato non excusatur, quoties autem quis mortaliter peccat in facto, cui annexa est irregularitas, toties illa contrahitur. Et vero irregularitas etiam ex delicto proveniens, non est pure pæna pænalis, neque est medicinalis, quæ contumaciam requirat, fed magis est macula quædam, quæ propter reverentiam rebus sacris debitam, ab iis arcet. Porro ignorantia pænæ, ab ea subeunda non excusat, ubi contumacia non requiritur, ibi scientia legis prohibentis non omnino est necefsaria, & macula turpi facto voluntarie perpetrato semper contrahitur. Igitur, quamvis invincibiliter sive lex Ecclesiæ factum prohibens ignoretur, sive annexa eidem irregularitas, semper illa contrahitur, quoties in eo grave admittitur peccatum.

Quæres 2do: *An in dubio incurratur irregularitas?*

Resp: Dubium hic duplex est, juris scilicet, & facti. Dubium *juris* est, quando lex canonica ita obscura est, ut peritiores Theologi ambigant, an irregularitas per eam sit constituta, an non? vel etiam quando ambigitur, an hic, vel ille casus contineatur sub lege irregularitatem decernente. Dubium *facti* est, cum aliquis ambigit, an illum perpetraverit actum, cui lex irregularitatem exprefse annectit. Et hoc dubium facti vel respicit homicidium, ut si quis dubitet an ex inflicto ab ipso vulnere mortuus sit homo, vel aliud quidpiam concernit, ut si dubitet aliquis, an rebaptisaverit quempiam, qui jam baptisatus erat.

Ita-

Itaque *1mo*: Qui dubitat an irregularitatem contraxerit, debet istud dubium perpendere, priusquam Sacra operetur, quia alias exponeret se periculo violandæ irregularitatis, quam forte pleniore instituto examine à se contractam eſse deteget. Et id servandum est, quoties occurrit dubium probabile, utrinque scilicet ſolidis rationibus innixum, si enim dubium leve sit, veluti merus scrupulus contemni debet.

2do: In dubio juris, nemo censetur eſse irregularis. Quia non ſubsistit irregularitas nisi in jure expreſsam eſse certo, vel saltem probabiliter constet. Porro quando prudentiores, peritioresque Theologi dubitant, utrum hac, vel illa lege constituta sit irregularitas, jam illa neque certo, neque probabiliter in jure expreſsa est. Ergo illa non subsistit. Neque in tali dubietatis casu, tenetur quisquam se pro irregulari reputare. Igitur in dubio juris nulla incurritur irregularitas

Quodsi quæstio irregularitatem concernens, non sit simpliciter dubia, ſed cadat ſub opinionem, quæ à dubio longe discrepat, tunc ſequendum est id, quod circa opiniones probabiles statuitur, adeo ut, quis pro irregulari habendus sit, si opinio, quæ irregularitatem statuit, atque pro ea decertat, longe sit probabilior opposita, ſecus si utraque sit æque probabilis. Tunc enim occurrit ipse dubii juris casus, in quo nemo irregularitate ligatur. Unde etiam qui non discuſso juris dubio, in quo versabatur, Ordines recepit, peccavit quidem, quia ſe exposuit periculo illicite Ordines ſuscipiendi, si forte irregularitate ligatus eſset, verum si adhibita deinceps diligentia, atque ſerio examine, idem dubium juris perseveret, recepti Ordinis functiones exercere potest.

3tio: in dubio facti homicidium concernentis, quisque debet ſe pro irregulari gerere. Sic Innocentius 3. & Clemens 3. Romani Pontifices statuerunt, atque consulti quid agendum eſset in dubio homicidium concernente, responderunt tutius eſse à divinis ceſsare, quam temere divina celebrare. Unde qui abortus causa fuit, & dubitat an fætus animatus eſset, aut qui dato patrandi homicidii consilio, dubitat an ſuum consilium in mortem alterius efficaciter influxerit, non potest sine dispensatione aut Ordines ſuscipere, aut ſusceptum exequi.

4to: pariter in quolibet alio facti dubio, cum nempe quis dubitat utrum posuerit actionem, cui irregularitas certo annexa est, tenetur ſe gerere pro irregulari. Ideo nam-

namque in dubio perpetrati homicidii ex decisione Innocentii 3. & Clementis 3. tenetur quisque pro irregulari ſe habere, quia *in dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem, & in hoc casu à divinis ceſsare tutius ac consultius sit, quam temere celebrare, cum in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.* Porro istiusmodi rationes universales ſunt, & æque valent pro dubio facti in qualibet materia sive homicidii, sive alterius cujusvis. Igitur quemadmodum in dubio facti, quod homicidium respicit, quilibet pro irregulari ſe gerere debet, ita pariter in quolibet alio facti dubio, quod actionem concernit, cui certo jure communi annexa est irregularitas immunem ſe ab ea reputare nequit.

Quæres 3tio: Quando ceſsat irregularitas, & quis ab ea dispensare potest?

Resp: 1mo: Omnis irregularitas ex defectu proveniens, quæ causam habet transitoriam, ceſsante causa ipsa etiam irregularitas ceſsat, absque ulla dispensatione. Hinc qui ſunt irregulares ex defectu ætatis, ſcientiæ, irregulares eſse desinunt. adepta ætatate, ſcientia. Et hoc extenditur etiam ad infamiam facti, quæ licet sit ex delicto, potest aliquando per ſolam contrariam agendi rationem tolli. At istud non extenditur ad irregularitates, quæ causam habent permanentem, unde irregularitas bigamiæ, aut illa, quæ oritur ex defectu lenitatis, quæ licet non sint ex delicto, ſemper perseverant, nisi dispensatione relaxentur. Idem quoque contingit in irregularitatibus ex delicto, quæ, infamiam, & hæresim excipiendo, non auferuntur, posita delicti emendatione, & læsæ partis ſatisfactione.

2do: nulla est irregularitas in qua Papa dispensare non poſsit. Porro qui ab Apostolica Sede irregularitatis dispensationem obtinere volunt, ad Datariam, ubi petentis nomen, & Diæcesis exprimenda ſunt, recurrere debent, si crimen sit publicum, si vero occultum fuerit, ſatis est ut ad Pænitentiariam recurratur, ubi nihil horum exprimendum est.

3tio: Episcopis juxta dispositionem Concilii Trident: Seſs: 24. Cap: 6. licitum est, *in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis ad forum contentiosum deductis, dispensare.* Illud porro delictum in præsenti occultum dicitur, quod licet probari poſsit per testes, quia à duobus, aut tribus personis cognoscitur, hactenus tamen notorium non evasit, neque per ſententiam

aut

aut decretum Judicis, vel ipsius rei confefsionem in Judicio factam, neque per tantam ipsius facti divulgationem, ut jam nulla pofsit tergiversatione celari in tota vicinia, aut majori ejus parte.

Sed hic notanda funt fequentia. *1mo:* femper occultum id censetur, quod certo, & indubie non est cognitum, unde quod folo rumore publico nititur, non est vere publicum, cum fama veris falsa addere foleat. *2do:* crimen quod publicum est, in ratione criminis, non femper parere irregularitatem publicam. Sic si notorium sit Sacerdotem ex atroci alterius Sacerdotis percufsione incurisse excommunicationem, certum vero non sit eum absolutionem non recepifse antequam facra celebraret, irregularitas hæc non erit publica; unde etiam qui publice excommunicatus, non publice, fed clam celebraret, publice irregularis non efset. Sic quoque si Sacerdos Censura notoria percufsus, publice etiam celebret coram populo, qui fciat id quid malum efse, fed per hoc irregularitatem contrahi ignorat, non erit habendus pro publice irregulari. Ita docent duo insignes Sacræ Pænitentiariæ Ministri, Navarrus, & M. P. Leo: 3. Non omne etiam delictum, quod ad forum contentiosum deducitur, parere irregularitatem Papæ reservatam. Nam *1mo:* necefse est ut reus faltem citatus fuerit, à citatione enim Judicium inchoatur. *2do:* si Reus innocentiam fuam etiam ex falsis allegatis probaverit & propterea in Judicio absolutus fuerit, verum crimen ejus manet occultum, quia accusatio sine effectu nihil efficit. Pariter si reus in judicio neque absolutus, neque condemnatus fuerit, fed rem composuerit cum delatore, delictum ipsius ita manet occultum ut ab Episcopo absolvi pofsit.

4to: Irregularitates ex defectu, tum irregularitates ex delicto publico provenientes, omnes Romano Pontifici funt jure communi reservatæ. Verum irregularitates alias Papæ reservatas potest Episcopus sive ad tempus, sive in perpetuum relaxare, cum irregularis vel nunquam ad Apostolicam Sedem recurrere potest, vel faltem hic & nunc recurrere nequit, tunc enim ob imminens exg. fcandalum, ab Episcopo dispensari potest, quia alioqui reservatio efset in destructionem. Non potest autem Episcopus dispensare in irregularitate, si sit publica, quam quis incurrerat, latam ab eo violando censuram; quia licet hæc Censura sit ab Episcopo, irregularitas tamen jure communi annexa est violationi cujuscunque Censuræ. Cum

ergo


ergo in Jure communi dispensare Episcopi nequeant, talem irregularitatem relaxare nequeunt.

Quæres 4to: Quibus præterea modis irregularitas tollitur?

Resp: Irregularitas quælibet ex proprio delicto proveniens, per Baptismum tollitur, ſeu potius nulla irregularitas ante Baptismum ratione proprii delicti incurritur. Aliud est de irregularitate ex defectu proveniente, nisi defectus sit lenitatis, unde bigami, illegitimi, laborantes aliquo corporis defectu, quo quis ad Ordines inhabilis efficitur, accepto etiam Baptismo ad Clericatum sine dispensatione aſsumi nequit. Profeſsio etiam Religiosa id efficit, ut illegitimi ad ſacros Ordines promoveri poſsint.

Quæres 5to: Quomodo ſe gerere debet, qui habet facultatem dispensandi in irregularitate?

Resp: Qui facultatem habet dispensandi in irregularitate, post datam absolutionem à peccatis, debet uti forma consueta in Rituali Romano ad id præscripta. Porro potest quis pluribus irregularitatibus, ejusdem, sive diversæ ſpeciei detineri, propter idem etiam facinus pluries commiſsum. Quare obtinens dispensationem ab irregularitate cum expreſsione causæ ex qua illa promanarat, non censetur dispensatus eſse in aliis irregularitatibus contractis ex alia causa, quæ in dispensationis instrumento non est expreſsa, nisi dispensans exprimat ſe velle ab omnibus dispensare, quia una irregularitas sine altera auferri potest. Cui autem datur facultas absolvendi à Censuris reservatis etiam, non censetur dari facultas dispensandi in irregularitatibus, difficilior enim est irregularitatum, quam Censurarum relaxatio. Omnis tamen Sacerdos ad audiendas Confeſsiones approbatus potest absolvere à peccatis, modo non reservatis, si pro illis non sit approbatus, irregularitatem annexam habentibus, quamvis ab irregularitate non dispenset, quia per absolutionem ſacramentalem tolli potest peccatum, manente irregularitate.



CA-

CAPUT SECUNDUM

De irregularitatibus in Specie.

Duæ ſunt ſpecies irregularitatum, aliæ ſiquidem ſunt ex defectu, & octo numerantur, ſcilicet ex defectu natalium, animi, corporis, ætatis, libertatis, famæ, bigamiæ, atque lenitatis; aliæ ex delicto & quinque recenſentur, quæ proveniunt ex homicidio, iteratione baptismi, mala Ordinum ſuſceptione, pravo eorundem uſu, ac demum ex hæresi.

ARTICULUS 1mus

De irregularitatibus ex defectu natalium, animi, corporis, ætatis atque libertatis.

Quæres 1mo: Qui ſunt irregulares ex defectu natalium?

Resp: Ex defectu natalium ſunt irregulares omnes illegitimi, sive sint canonice, sive naturaliter illegitimi. Naturaliter illegitimi ſunt illi, qui ex Parentibus vero matrimonio non conjunctis procreati ſunt, ac proinde ex illicito concubitu progeniti ſunt. Illegitimi canonice illi dicuntur, qui progeniti ſunt ex vero, & legitimo Matrimonio, ſed cujus usus evasit illicitus propter ſolemne castitatis votum, ſeu in Ordinis ſacri ſuſceptione, sive in Religiosa profeſsione legitime emiſsum. Omnes isti sive naturaliter, sive canonice illegitimi sint, sive illegitimitas eorum occulta sit, sive publica, irregulares ſunt. Et id constat ex variis Juris Canonici statutis. Ratio vero cur hanc irregularitatem Eccleſia constituerit, triplex est. *1ma:* periculum incontinentiæ ex paterna imitatione, nam ſæpe ſolet filius similis eſse patri, & vitia parentum etiam ad posteros transferuntur. *2da*: est justa ratio timendi, ne hoc vitio laborantes, populorum ludibrio, & dicteriis exponantur. *3tia*: est, ut, paternæ incontinentiæ memoria è locis Deo consecratis longiſsime arceatur. Porro illigitimitas etiam occulta irregularitatem inducit; hinc si Titius ſolus ſe illegitimum eſse noverit, quamvis alii id ignorent,

rent, necefsum est, ut prius dispensationem petat, antequam Ordines, aut Beneficium recipiat. Potest tamen Mater, quæ sola filium suum Titium novit esse illegitimum, svadere ei, ut Clericatum suscipiat, si legitimæ vocationis signa ille præseferat, quia nec Mater turpitudinem suam filio revelare tenetur, & id, quod ipsa svadet, in se bonum, ac licitum est, illudque filius, propter bonam suam fidem, illæsa conscientia exequi potest. Quare etiam si quis inculpabiliter propter ignorantiam ad Ordines promotus, certo postea comperiat se illegitimum esse, necefse est, ut statim ab Ordinum usu abstineat, donec dispensationem obtinuerit. Verum qui pro legitimo habetur, non tenetur Matri vel Patri fidem adhibere, qui declararunt illum esse illegitimum, nisi rationibus invictis id probarent, atque solide evincerent. Infantes autem expositi, pro illegitimis reputari debent, quia communiter illi solum exponuntur, qui ex illegitimo concubitu nati sunt, rarifsime ii, qui de legitimo Matrimonio procreati fuerunt.

Quæres 2do: Qui ergo pro legitimis reputantur, relative ad Ordines, & Beneficia recipienda?

Resp: Relative ad Ordines, & Beneficia suscipienda legitimi sunt. *1mo*: qui nati sunt de Matrimonio vero, etiamsi in ratione solum Contractus civilis validum fuerit, quale est Matrimonium Infidelium, quod rationem Sacramenti non habet. Et hoc verum est, quamvis Matrimonium Infidelis, in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, qui ab Ecclesia solum prohibiti sunt, contractum efset, quia tale Matrimonium in infidelitate contractum, legitimum est, ac proinde etiam filii ex eo progeniti legitimi sunt. *2do*: qui nati sunt de Matrimonio, nullo quidem, & invalido, propter aliquod impedimentum dirimens, sed quod invincibiliter saltem ab uno contrahentium ignoratum fuit; idque verum est, etiamsi impedimentum istud postea innotuerit, & partes per Judicis sententiam à se invicem separatæ fuerint. Si tamen Matrimonium clandestine contractum fuifset, aut Bannorum promulgationes omifsæ, partes quæ illud contraxerunt, non censerentur impedimentum, quo ligati erant, bona fide ignorafse, unde filii eorum reputarentur illegitimi, & irregulares. *3tio:* qui licet ex fornicatione nati sint, per Matrimonium deinceps contractum legitimati sunt. Et hoc extenditur ad illos filios, quorum Parentes nonnisi post intermedias nuptias, Matrimonium secum contraxerunt. Quare si Petrus

ex

ex Lucia concubina filium habuerit Andream, deinde Mariam in Uxorem duxerit, eaque defuncta, Luciam acceperit, Andreas legitimus fiet. Hic tamen notandum est, ut legitimatio, quæ fit per ſubſequens Matrimonium, illorum, qui ex illicita copula concepti ſunt, ſubsistat, necesse eſse, ut, coitus carnalis tempore, Parentes illorum potuerint Matrimonium valide contrahere. Unde si vir vivente uxore ſua, aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet post mortem uxoris ſuæ eam duxerit, nihilominus ſpurius erit filius. Eadem de causa, si consanguineus cum consanguinea, vel affinis cum affine in gradibus ab Ecclesia prohibitis, rem carnalem habuerit, filii inde concepti non legitimabuntur per Matrimonium deinceps contractum; quia conceptionis tempore Parentes, propter consaguinitatis, aut affinitatis impedimentum, valide ſecum contrahere non poterant. Et hoc ſubsistit, etiamsi ante prolis nativitatem Parentes ex dispensatione legitimum Matrimonium contraxiſsent, aut etiamsi post, invalide contractum Matrimonium revalidatum eſset, per dispensationem simpliciter ad illud revalidandum concesſam; aliud eſset: si in tali dispensatione proles concepta, & ſuscepta legitimaretur.

Quæres 3tio: Quot modis tollitur irregularitas ex defectu natalium proveniens?

Resp: Quatuor modis *1mo:* profeſsione Religiosa, ſed partialiter ſolum, hoc est non nisi quoad Ordines & simplicia Beneficia. Sed Religiosus illegitimus, qui vota ſua Religiosa caſsari curat, nequidem receptis in Monasterio Ordinibus uti potest, multo minus ad alios, quos nondum recepit promoveri.

2do: tollitur per legitimationem. Hæc autem vel fit per ſequens Matrimonium, vel ex conceſsione sive Papæ sive Principis ſæcularis. Quæ fit à Principe ſæculari non ſervit nisi ad effectus civiles, unde vi ipsius nemo ad Ordines aut Beneficia idoneus efficitur. Quæ vero à Papa conceditur, non inservit ad effectus Civiles, ſed tantum ad Ecclesiasticos, unde sic legitimatus & ad omnes Ordines evehi potest, & ad quælibet Beneficia promoveri valet.

3tio: irregularitas ex defectu natalium orta, tollitur dispensatione, circa quam hæc notanda ſunt. *1mo:* ſolus Papa dispensat ad Ordines majores, vel Beneficia curam animarum habentia. Episcopi proinde poſsunt dispensare ſolum ad primam tonsuram, & minores Ordines, eaque

Beneficia recipienda, quibus animarum cura non incumbit, modo Beneficia hæc Ordinem facrum hic & nunc non exigant, neque etiam sint dignitates, Personatus, vel Canonicatus. 2do: pro dispensatione ab istiusmodi irregularitate ad Beneficia duplicia fuscipienda, & Ordines facros recipiendos, recurrere necefse est ad Papam, etiamsi isthæc irregularitas occulta sit, quia facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus à Concilio Tridentino Episcopis concefsa, ad illas tantum fe extendit irregularitates, quæ ex proprio delicto proveniunt. Ubi tamen irregularitas prorsus occulta est, non ad Datariam, fed ad Pænitentiariam fcribendum est. 3tio: dum petitur à Papa dispensatio exprimendum omnino est, an illegitimus sit ex foluto, & foluta, ex foluta & conjugato, ex Sacerdote an ex Laico, quia qui ex graviore crimine nati funt, difficilius dispensantur, & aliquando duplici egent dispensatione. Sic illegitimus, qui in eadem Ecclesia, in qua Pater fuus Sacerdos Beneficium habuit, habere idem vult Beneficium, indiget dispensatione gemina, qua & ad Beneficium absolute, & ad Beneficium in tali Ecclesia possidendum habilis efficiatur.

Porro dispensatio in irregularitate ex defectu natalium proveniente, stricte debet interpretari. Unde qui simpliciter dispensatus est ad Ordines, non intelligitur dispensatus efse ad Ordines facros, qui dispensatus est ad Diaconatum, potest quidem fuscipere Subdiaconatum, fed non Presbyteratum. Dispensatus ad unum Beneficium, non est dispensatus ad plura, dispensatus ad Beneficium simplex, non est dispensatus ad Beneficium Curatum, neque dispensatus efse censetur ad Episcopatum, qui dispensatus est ad Dignitates. Quia quo magis in dispensatione receditur à jure communi, eo dispensatio utpote odiosa juri, strictius est interpretanda.

Quæres 4to: Qui animi defectus irregularitatem pariunt?

Resp: Tres funt animi defectus qui irregularitatem pariunt, fcilicet defectus rationis, fcientiæ, & fidei confirmatæ. Et quidem 1mo: defectus rationis, quare irregulares funt, qui totaliter usu rationis carent, quales funt perpetuo amentes, isti enim nec ad Ordines promoveri, nec in Ordinibus, quos forte fusceperant ministrare possunt. Pariter ii irregulares funt, qui variis temporum intervallis à rationis usu excidunt, quales funt. *Lunatici* qui lucida nonnunquam habent rationis intervalla, fed & quas-

quasdam ejusdem patiuntur eclipses. *Furiosi* qui irruente furoris excefsu, non funt liberæ mentis. *Epileptici* qui morbo caduco tenentur, atque ita corripiuntur, ut quasi exanimes cadant.

Circa hæc fequentia notanda funt *1mo*: amentes, lunatici, & alii facilius ab Ordinibus arcentur, antequam eos fusceperint, quam ab eorundem jam fusceptorum exercitio removentur, unde qui vere amentes fuerunt, licet omnino sani videantur, vix unquam ad Ordines admitti pofsunt, quia femper timendum est, ne idem malum redeat, quod prius fuit. *2do*: Licet epileptici vere sint irregulares, ufu tamen receptum est, ut irregularis efse non reputetur, qui affectiones Epilepseos experti funt ante pubertatem, quia Epilepsis sæpe curatur, & omnino recedit in iis, qui pubertatem attingunt. Expectandum igitur est, donec annum 25. ætatis attigerint, qui enim post ætatem hanc morbo illo affligi pergunt, vix unquam ab eo liberantur, ac proinde nec Ordines fuscipere, nec in fusceptis ministrare debet.

De iis vero, qui folum post acceptos Ordines morbis modo recensitis obnoxii efse incipiunt, hæc statuuntur. *1mo*: Qui frequenter his morbis corripiuntur, ab Ordinum exercitio removeri debent. *2do*: Si convaluerint, Ordinum functiones exercere pofsunt, postquam competenti tempore probati fuerint. *3tio*. Qui raro & leviter impetuntur, non prohibentur ab officio Mifsæ, dummodo tamen juxta se habeant alium Sacerdotem, ut si illi cadant, vel deficiant, isti fupleant. Hoc tamen maxime difficile est, ob periculum ne morbus ingruat, dum calix elevatur.

Etsi illi, qui vertigine laborant non sint irregulares, si tamen vertigines ita graviter Sacerdotem afficiant, ut sine indecentiæ, & irreverentiæ periculo Sacra facere non pofsit, tunc igitur à celebranda Mifsa abstinere debet, si vero nullum fubsit irreverentiæ periculum, poterit quidem celebrare, fed omnia præcaveri debent, ne quid fuboriatur mali, scilicet celebrando in loco humili, cum altaria excelsa vertiginem pariant.

Quæres 5to: Qualis scientiæ defectus irregularitatem parere potest?

Resp: Defectus scientiæ competentis, atque ad debite Sacrorum Ordinum functiones exercendos requisitæ & necefsariæ, irregularitatem inducit. Unde qui scientia competente ac necefsaria carent, sine gravi peccato nec Ordines fuscipere, nec fusceptos exercere pofsunt. Et

in hac irregularitate neque Papa dispensare potest; quia ineptitudo ad Ordinum munia debite obeunda, natura sua impedit susceptionem & exercitium Ordinum. Hæc tamen irregularitas non est perpetua, quia industria, & studio auferri potest.

Quæres 6to: Qui sunt irregulares ex defectu fidei confirmatæ?

Resp: Ex defectu fidei confirmatæ irregulares sunt Neophyti, seu recens ad fidem Catholicam conversi, cujuscunque illi generis sint, sive qui recens ad Religionem Christianam ex Judaismo, aut Gentilismo conversi sunt, sive qui nunc primum ab hæresi recesserunt, & catholicam fidem amplexi sunt. Hi ergo sufficienti tempore prius probari debent; & fides eorum experiri, antequam ad Ordines admittantur.

Quæres 7mo: Quales corporis defectus irregularitatem inducunt?

Resp: Jlle solum corporis defectus hominem facit irregularem, quo qui laborat, vel secure propter debilitatem, vel sine scandalo, sive notabili indecentia, quæ Ministri, adeoque & Ministerii ipsius contemptum pariat, propter deformitatem, functiones suas exercere non potest, ita statuitur Cap: 2. de Clerico ægrot. Multo igitur magis irregularis est, qui ex corporis defectu omnino impotens redditur ad exequendum officium pastorale, quia ratio ipsa dictat ab Ordinibus illum arcendum esse, qui eos vel tuto, vel sine adstantium horrore exercere nequit, & ad pastorale officium admitti non debere eum, qui illud adimplere non valet.

Hinc ob impotentiam irregulares sunt. *1mo*: Qui altera manu mutilati sunt, qui carent pollice, tum etiam qui alios præter pollicem, & indicem digitos non habet, unius tamen ex iis, aut etiam duorum carentia, qui ad sacras functiones non sunt necessarii, irregularitatem non parit.

2do: Irregulares sunt non solum muti, sed etiam illi, qui tantam loquendi difficultatem habent, ut risum pene invitis pariant, aut qui ita balbutiunt, ut nullam distincte, & integre vocem pronuntient, secus si licet tarde, verba bene exprimant. Pariter irregulares sunt omnino surdi, qui vero altera tantum aure audire nequeunt, item surdastri, & difficilem auditum habentes, modo utramque aurem habeant, ad Ordines promoveri possunt.

3tio: Qui non vident, sive occuli eruti, aut effusi sint, sive non, irregulares sunt. Monoculus, seu qui uno oculo,

lo, quisquis ille sit, orbatus est, irregularis quoque est. Sed si utrumque oculum habens, unius solum visu careat, quamvis oculi sinistri, qui canonicus dicitur, non erit irregularis, modo tamen ea sit oculi dextri vis, ut absque indecenti corporis conversione, Canon legi posit.

Jam vero propter deformitatem irregulares sunt ii omnes, qui talem habent corporis, membrorum, ac præsertim faciei conformationem, quæ populos notabiliter offendat, tum illi, qui laborant morbis, qui horrorem incutiunt. Unde irregulares esse censentur, qui habent os turpiter distortum, faciem valde fætidam, labia corrosa, aut abscissa, qui notabilem habent maculam in occulo, quamvis occulus integer sit. Pariter qui naso carent, sive auriculis, qui carent altero pede, aut absque baculi fulcimento functiones sacras exercere nequeunt. Denique gibbosi, qui vix se erigere, & recto capite stare possunt, secus si deformitas, quæ ex tali corporis situ procedit, oculos non offendat. Qui caret membro, aut corporis parte occulta, per se loquendo, non est irregularis, sed tunc solum, cum quis vel sibi aliquod membrum resecavit, vel sua culpa meruit illud ab aliis resecari. Unde qui sibi virilia amputavit, etiam ad conservandam castitatem, aut ad conservandam vocem, hæc sibi resecari, & abscindi permittunt, irregulares sunt.

Porro non eadem est ratio defectuum Corporis, qui Ordines, & Beneficia præcedunt, ac eorum, qui subsequuntur, in tribus siquidem differunt. *1mo*: Defectus Corporis, qui præcedunt Ordines, ab omni Ordine excludunt qui vero Ordinum receptionem subsequuntur, ab eorum dumtaxat functionibus removent, quos ii defectus exerceri non sinunt. *2do:* Defectus, qui primam tonsuram præcedunt, ab omni Beneficio excludunt, qui vero post primam tonsuram superveniunt, ab iis solum arcent Beneficiis, quorum incapacem reddunt hominem. *3tio*: Defectus corporis, qui promotionem ad Beneficia antecedunt, impediunt, ne eadem Beneficia sine dispensatione conferri possint illi, qui iisdem ut decet defungi non potest, e contra: defectus, quibus Beneficiarium affligi contingit, haud permittunt eum suo Beneficio privari, quia ut statuitur Cap: 5. de Cler: ægrot: *afflicto non est addenda afflictio, sed miseriæ miserendum.*

Quæres 8vo: *Cujus est judicare an ordinandi ex defectu corporis irregulares sint?*

Resp: In dubio standum est judicio Episcopi eorum,

qui

qui ad Ordines promoveri exoptant, ut patet ex Cap: 3. de Corp: vitiat.

Variis autem modis cessat irregularitas ex defectu corporis proveniens. Et quidem per cessationem defectus, ut si curetur morbus, quo quis irregularis efficiebatur. 2do: Per dispensationem, & hæc à solo Papa concedi potest, cujus executio nonnisi Episcopo committi solet.

Quæres 9no: Qui sunt irregulares ex defectu ætatis?

Resp Juxta præsentem, quæ jam diu viget, Ecclesiæ disciplinam, *nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promoveri potest.* Ita Concilium Trident: Sess: 23. Cap: 12. In his porro annus inceptus habetur pro completo. Jam vero ad primam tonsuram & minores ordines suscipiendos nulla certa ætas à Concilio Tridentino est constituta, sed tantummodo statutum est, Sess: 23. Cap: 4. ut nullus, prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante 14 ætatis annum Beneficium possit obtinere.

Quod vero attinet Prælaturas, Dignitates, hæc in jure communi habentur. Ad Episcopatum requiritur annus ætatis trigesimus jam jam exactus, Beneficia quæcunque curam animarum annexam habentia, seu sint Parochialia, seu Dignitates, Personatus, conferri nequeunt nisi illis, qui jam 25 annum ætatis attigerunt, ad Dignitates vero sive Personatus, quibus cura animarum annexa non est, sufficit ut ii, qui ad eas assumuntur, non sint minores 22. annis, quod est intelligendum de anno 22. ætatis jam completo. Quoad alia Beneficia quæ curam animarum non habent, sed tamen de Jure requirunt Sacerdotium, Diaconatum, Subdiaconatum, illa sufficit ætas, & requiritur, ut provisus in tali sit ætate constitutus, quatenus intra annum ad Ordinem requisitum promoveri possit. Si vero Beneficium aliquod ex sua fundatione aliquem Sacrum Ordinem exigat, tunc illud ei solum conferri potest, qui actu illo Ordine jam est condecoratus, ac eo insignitus. Ad Canonicatum Ecclesiarum Cathedralium requiruntur anni ætatis 14. completi, ad Canonicatum Ecclesiarum Collegiatarum anni decem item completi. Denique ad Beneficia simplicia, requiruntur anni quatuordecim.

Jam vero ætas sive ad Ordines, sive ad Beneficia requisita, computari debet, non à tempore collati Baptismi, sed à puncto nativitatis, atque in hac supputatione nume-

numerandus etiam est dies bissextilis, & quemadmodum alii anni, sic & bissextilis numerari debet. Defectus igitur ætatis sive ad Ordines sive ad Beneficia ex Jure prærequisitæ irregularitatem inducit. Et id constat ex pluribus Decretis quæ distinct: 77. habentur. Atque defectus ætatis ad capessanda Beneficia requisitæ, ita irregularitatem inducit, ut Beneficii collatio ei facta, qui legitimam ætatem non est adeptus, in foro Ecclesiastico pro nulla reputetur. Quia vero qui ante legitimam ætatem Sacris Ordinibus initiantur, etiam ab eorum usu suspensi sunt, ideo si hanc suspensionem violaverint, Ordinis suscepti functiones exercendo, novam irregularitatem incurrunt, à qua nisi dispensentur, etiamsi ætatem competentem attigerint, Sacra celebrare non poterunt, quia ætas nec suspensionem, nec ex ejus violatione contractam irregularitatem tollere potest. Qui vero in illa suspensione Sacra non celebraverunt, adepta ætate, & obtenta à Suspensione absolutione, possunt Sacra celebrare, quia irregularitas ex defectu ætatis proveniens cessavit. Si autem quis bona fide existimans se ætatem competentem habere Sacris Ordinibus initietur, prædictam suspensionem non incurret, adeoque adepta ætate celebrare poterit absque dispensatione.

In ætatis autem defectu solus Romanus Pontifex dispensare potest.

Quæres 10mo: Qui sunt irregulares ex defectu libertatis?

Resp: Ex defectu libertatis irrugulares sunt. *1mo*: mancipia, nisi â Dominis suis libertate donati fuerint. *2do*: qui obligati sunt ad ratiocinia reddenda, quales sunt alienorum Bonorum Administratores, Procuratores. Isti non debent ordinari, nisi post deposita onera, & reddita ratiocinia. *3tio*: conjugati, qui neque ad primam tonsuram, neque ad ulla Beneficia admitti possunt. Attamen cum dispensatione possunt Conjugati ad Ordines promoveri, si in id libere ac benevole uxor consenserit, & ipsa si juvenis sit, in aliqua Religione profiteatur, vel si Senex fuerit & ab omni incontinentiæ periculo aliena, in Sæculo manens, votum castitatis perpetuæ emiserit.

ARTI-

ARTICULUS 2dus

De irregularitatibus ex defectu famæ, lenitatis, atque ex bigamia provenientibus.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex est infamia?

Resp: Infamia opponitur bonæ famæ, cum igitur bona fama sit bona existimatio, quæ publice habetur de alicujus excellentia, pietate, rectitudine, atque bonis moribus, consequenter infamia est denigratio boni nominis, seu amissio publicæ ac bonæ existimationis, quam quis de se apud alios habuit. Duplex autem est infamia, scilicet juris, & facti. Infamia *juris* illa est, quæ ex jure promanat, & eam incurrunt 1mo: Ii, qui aliquod crimen commiserunt, cui jure sive Canonico, sive Civili, infamia annexa est, & tali juris infamia notantur homicidæ, fures, perjuri, lenones, & alii. *2do*: Illi qui per sententiam Judicis vel tamquam infames declarati sunt, vel ad pænam infamantem damnati sunt, exg: ad exilium, ad flagella publica, quare infames sunt, qui fustibus cæsi sunt, aut stigmate notati. *3tio*: Illi qui exercent artem, cui in jure annexa est infamia, sic infames sunt mimi, histriones. Infamia *facti* est ea, quam quis contrahit ex commissione, delicti, quod apud viros graves, & ex communi sensu, infame esse censetur, etsi istiusmodi crimini in jure non sit annexa infamia. Et hæc infamia *facti* iterum duplex est, alia *legalis*, quæ contrahitur ipso facto, cui in jure annexa est infamia, alia *popularis* quæ incurritur ob crimen, quod licet in jure infamia non notetur, tale tamen est, ut ex prudentum, & bonorum hominum æstimatione, dedecus inducat, & boni nominis pariat amissionem.

Quæres 2do: Utrum ex infamia oriatur irregularitas?

Resp: Infamia quæcunque parit irregularitatem, quia ex variis Juris Canonici statutis infames ad sacros gradus provehi inhibentur, & ex Regula juris 87. in 6to: *Infamibus portæ non pateant Dignitatum*. Quare infames infamia juris, vel facti legalis, vere irregulares sunt. Nullum tamen crimen quamtumlibet grave, & enorme infamiam, neque irregularitatem inducit, quamdiu manet occultum, nisi illi in jure irregularitas sit annexa, quale est homicidium voluntarium, & alia delicta, ex quibus irregularitates quædam promanant.

Mul-

Multis autem modis infamia tollitur. Et quidem *1mo*: Infamià popularis tollitur emendatione sceleris publica & crimini proportionata, quæ nimirum prioris vitæ maculas deterserit, & ex virtutis operibus bona succedat existimatio. *2do*: Infamia vero per sententiam Judicis inflicta, prout ipsa irregularitatem inducit, non tollitur per emendationem, ſed per Ecclesiæ dispensationem. Pariter infamia facti legalis sola etiam dispensatione tollitur. Infamis vero in uno loco infamia facti popularis, si in alium transmigret locum, ubi infamia illius ignota est, desinit eſse irregularis, ſed irregularis ex infamia juris, quamvis locum mutet, non desinit eſse irregularis.

Quæres 3tio: Quid sit irregularitas ex Bigamia proveniens?

Resp: Bigamia est ſucceſsiva cum duabus uxoribus conjunctio. Unde Bigamus est ille, qui duas succeſsive uxores habuit. Triplex autem est Bigamia, scilicet vera seu realis, interprætativa, & similitudinaria.

Bigamia *realis* est, cum quis plures legitimas duxit, & carnaliter cognovit uxores.

Bigamia *interprætativa* est, cum quis fictione juris censetur plures habuiſse uxores, licet reipsa plures non habuerit. Id vero contingit *1mo*: Cum quis ante uxoris suæ mortem, bona, vel mala fide contraxit Matrimonium cum aliqua muliere, eamque carnaliter cognovit. *2do*: Cum quis duo contraxit Matrimonia ſed invalida, ut si duas quis duxit uxores, cum quibus propter aliquod impedimentum dirimens, contrahere valide non poterat, & cum ipsis carnalem copulam habuit. *3tio*: Cum quis viduam à suo marito cognitam, aut puellam cum alio fornicatam, in uxorem duxit, & eam carnaliter cognovit, sive sciverit eam corruptam eſse, sive nescierit. *4to*: Qui unicam uxorem & virginem duxit, ſed eam post adulterium ab ipsa commiſsum, carnaliter cognovit.

Bigamia denique similitudinaria est, cum quis post emiſsum solemne castitatis votum, contrahit Matrimonium, cum quacunque muliere, eamque carnaliter cognoscit. Porro Bigamia realis contrahitur etiam ab eo, qui duas uxores habuit, unam ante Baptismum, alteram post Baptismum, aut etiam utramque ante Baptismum. Sed neque realis Bigamia, neque etiam interprætativa exurgit nisi Matrimonium contractum consummatum fuerit, & ad copulam carnalem deventum fuerit. Hinc qui legitimo Matrimonio Virginem accipit, quam non cognovit, eaque mor-

mortua, alteram duxit, quam carnaliter cognovit, non est bigamus, sicut & ille non esset bigamus, qui duceret viduam ab altero relictam, sed intactam, neque ab alio quopiam cognitam. Idem est de eo, qui plures duceret uxores, & vel cum nulla, vel cum una tantum Matrimonium consummavit. Denique qui puellam non ab alio, sed à se defloratam, postea in Matrimonium duxit, non est Bigamus, quia in his omnibus casibus, nec Maritus nec uxor carnem suam in plures diviserunt, ex hac vero solum carnis in plures divisione, Bigamia sive realis, sive interpretativa oritur.

Quæres 4to: Qui ergo ex Bigamia irregulares sunt?

Resp: Bigami, quocunque modo tales sint, sive reali, sive interpretativa, sive denique similitudinaria Bigamia, irregulares sunt. Quod ex toto canonico jure apertissime constat. Porro in irregularitate ex Bigamia reali & interpretativa contracta solus Papa dispensare potest, quia hæc potestas nullibi in Jure concessa est Episcopis, imo expresse iisdem interdicitur Cap. 2, de Bigamis. Et hoc verum est, etiam respectu primæ tonsuræ, Episcopi siquidem, ex reali, & interpretativa Bigamia irregularem neque ad primam tonsuram, minoresque Ordines suscipiendos, neque ad illorum usum, si jam suscepti fuerint, dispensare valent. Jam vero in Bigamia similitudinaria Episcopi dispensare possunt, non solum ut qui ea involuti sunt, peracta pænitentia suis Ordinibus utantur, sed etiam ut ad altiorem gradum promoveantur, nisi cum quis post emissum solemne castitatis votum Matrimonium contrahere attentavit, cum vidua, vel deflorata muliere, vel contrahere nisus est cum virgine, sed ante Ordinum susceptionem contraxerat cum alia, post cujus mortem Ordines susceperat, tunc enim Episcopus dispensare non potest, quia Bigamiæ similitudinariæ adjungitur interpretativa, quæ Papæ est reservata. In petenda autem dispensatione ab irregularitate ex Bigamia orta, explicandum est, quot quis contraxerit Matrimonia, quia difficilius dispensatur cum trigamis, quam cum Bigamis.

Quæres 5to: Unde & quando contrahitur irregularitas ex defectu lenitatis?

Resp: Irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur, quando homo baptisatus, voluntarie, & actu consummato, hominem occidit, vel mutilat licetsi juste, aut si ad occidendum, vel mutilandum proxime concurrit. Huic ergo irregularitati subjacent. *1mo*: Soli baptisati, quia jus Canoni-

nonicum de iis solum loquitur, qui post baptismum homicidii conscii sunt. *2do:* qui actu consummato occidunt, mutilant, lex enim hanc irregularitatem statuens, factum requirit. Quare ab ista irregularitate immunes sunt, qui solum conantur occidere, mutilare, ſed id exequi non poſsunt, qui vulnerant, lacerant, sanguinem effundunt, ſed nec mors, nec abscifsio membri subsecuta fuit. *3tio*: Qui voluntarie occidunt, vel mutilant. Unde furiosus, dormiens, ebrius, si occidat, mutilet, irregularis non est, propter rationis defectum. Excipitur tamen dormiens, qui prævidet cum interdiu iratus est, per noctem arma rapere, & sibi obvios ferire, is enim nisi arma sibimet subtratat, irregularis fiet etiam in somnis hominem occidendo, mutilando. Idem dicendum est de ebrio. *4to*: Qui occidunt, vel mutilant; quantum enim ad incurrendam istam irregularitatem, occisio & mutilatio æquiparantur. Porro mutilatio est membri humani Corporis amputatio, seu resecatio. Hinc irregularis non est, qui membrum incidit, debilitat, aridum reddit, quia hoc non est membri abscifsio. Per membrum vero intelligitur illa corporis humani pars, quæ proprium & ab aliis partibus distinctum exercet officium, & est quasi integrum ac proximum instrumentum alicujus humanæ actionis, tales sunt oculi, manus, pedes. Horum abscifsio irregularitatem inducit. Illæ vero corporis humani partes, quæ vel ad ornatum corporis humani, ut Capilli, pertinent, vel ad ejus integritatem serviunt, ſed non habent operationem ab aliis partibus distinctam, ſed acceſsoriam tantum, & conjunctam cum aliqua corporis parte præcipua, quales sunt digiti, qui manibus, dentes, qui ori & linguæ, auriculæ, seu cartilagines, quæ auribus & Capiti adhærent, & illis inserviunt, non ſunt membra proprie dicta humani Corporis, & horum abscifsio irregularitatem non inducit. *5to*: ii demum huic irregularitati subjacent, qui ad occisionem vel mutilationem proxime concurrunt, sive physice ut Carnifex, sive solum moraliter, vel positive, ut mandans, consulens, vel negative, ut is, qui non obstat, cum ex officio obstare tenetur. Atque ista irregularitas sine peccato contrahitur, quia non est ex delicto, ſed ex defectu, & in hoc differt ab irregularitate quæ ex homicidii crimine profluit, quare hac irregularitate illi etiam constringuntur, qui juste, & aliquando meritorie quoque alios necant, aut mutilant, quales sunt Judices & quotquot justæ morti Reorum coope rantur.

Quæ-

Quæres 6to: Utrum irregulares sint, qui occidunt, vel mutilant hominem ad propriam defensionem?

Resp: 1mo: Qui ut vitam ſuam ab injusto invasore tueatur, eundem mutilat, vel occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non est irregularis. Sic decisum est. Clement: unica de Homicidio, ubi ita habetur. *Si furiosus, aut infans, ſeu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit, & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invasorem.* Si tamen dubitetur, an invasus intra moderatæ defensionis limites steterit, an non exceſserit? tunc ad majorem cautelam, tollendamque omnem ſcandali, propriique ſcrupuli occasionem, res tota Episcopo aperiri debet, an ille occisor indigeat dispensatione, prout præcipit Concilium Trident: Seſs: 24. Cap: 7. Porro ille ſolum ab istiusmodi irregularitate immunis est, qui mutilat, aut etiam occidit, ut vitam ſuam ſervet, quia Clemens de eo ſolum loquitur, qui mortem aliter vitare non valens occidit, aut mutilat. Unde qui alium occidit, aut mutilat ad honoris vel bonorum defensionem, exinde fit irregularis; quia in Jure is ſolum ab ista irregularitate eximitur, qui hominem occidit, mutilat ad propriæ vitæ defensionem. Porro ut in defensionem propriæ vitæ alium occidendo aut mutilando ista non contrahatur irregularitas, neceſse est ut ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, hoc est non plus fiat ad vitæ ſuæ defensionem, quam neceſse est ad propulsandum injustum aggressorem; quare excedit modum justæ defensionis, ac propterea irregularis est, qui occidit, cum mutilare ſatis esset, mutilat, occidit ut calumniam, minas propulset, ista enim non ſunt proprie vis intentata; denique irregularis est, qui cum poſsit fugere, aut alio quovis modo injustum aggreſsorem declinare, eum mutilat, aut occidit, quia tunc occisio, mutilatio non est neceſsaria ad propriæ vitæ defensionem.

Quæres 7mo: Qui præterea irregulares ſunt ex defectu lenitatis?

Resp: Ex defectu lenitatis irregulares ſunt 1mo: qui in Iudiciis proxime ad mortem aut mutilationem Rei concurrunt, sive ad prolationem ſententiæ, sive ad executionem illius cooperando. Unde irregularis est Judex ferens ſententiam mortis, aut mutilationis, ejus Aſseſsores, & omnes Ministri justitiæ, ut notarius, ipse etiam Advocatus. Sententiam mortis vel mutilationis exequentes, Satel-

tellites, Carnifex, quia hi omnes proxime ad mortem, sive mutilationem rei concurrunt. *2do*: qui alium criminaliter accusat, hoc est qui directe, & expreſse vindictam ſanguinis intendit. Qui vero de malefactoribus noxiis ſolam petunt ſatisfactionem sibi fieri, & nonnisi ad boni ſui recuperationem, accusant, expreſse protestando ſe nolle vindictam sanguinis, non sunt irregulares. Atque talem accusationem facere etiam Clericis permisit Bonifacius 8. Cap: 2. de Homicid: in 6to. Poſsunt ergo Clerici accusare de damnis sibi, aut domesticis suis, & magis Ecclesiæ suæ illatis, etiamsi mors, aut mutilatio malefactoris sequatur, dummodo nec ipsa intendatur, & contra eam serio, ac sincere, ab accusante fiat protestatio. *3tio:* Irregulares quoque sunt testes, qui in causa criminali testificantur, si inde mors, aut mutilatio sequatur. Si tamen testimonium contra malefactorem ferant, ut vitam innocentis servent, vel quia ad ferendum testimonium, justo ac legitimo præcepto adacti sunt, immunes ab irregularitate erunt.

Immunes etiam sunt ab ista irregularitate, qui nonnisi remote ac contra suam voluntatem ad mortem rei; sive ejus mutilationem concurrunt, Tales sunt, Confeſsarius qui Reo mandat ut veritatem patrati à se criminis Judici fateatur, ut justæ sententiæ se submittat. Pariter non est irregularis Princeps, qui legibus suis pænam mortis, aut mutilationis pro certis criminibus constituit, quia istiusmodi leges nonnisi remote se habent ad infligendam Reis pænam, neque illam Princeps primario intendit, sed criminum repreſsionem.

2do: Ex defectu lenitatis omnes irregulares sunt, qui pugnant in bello injusto, si aliqui in eo occidantur, aut mutilentur, etiamsi aliquis militum neminem propria manu necaverit, neque mutilaverit & is etiam irregularis est, quia omnes concurrunt ad necem, & mutilationem multorum. Qui vero pugnant in bello justo, publica authoritate contra hostes indicto, si propriis manibus aliquem occiderint, aut mutilaverint irregulares fiunt, ceteri vero milites in tali bello pugnæ adstantes, qui propriis manibus neminem occiderunt, nec mutilaverunt, non fiunt irregulares. Qui dubitat an non aliquem in bello occiderit, vel mutilaverit? dispensationem petere debet. Duces, milites, & Clerici, aliique in bello justo consulentes, exhortantes milites ut strenue se gerant in pugna & conflictu, non fiunt irregulares. Plures Theologi docent Militem

tem se defendentem in bello defensivo, vel etiam offensivo, sed justo, non fieri irregularem, etiamsi aliquem occidat, dummodo servet moderamen inculpatæ tutelæ, quia hæc defensio est illi justa, sicut & bellum, & omnes qui vitam suam defendunt, cum moderamine inculpatæ tutelæ ab irregularitate immunes sunt.

3tio: Medici, Chirurgi qui juxta artis suæ regulas membrum alicui ægroto amputant, non fiunt irregulares, forent vero irregulares ex delicto, si contra artis suæ regulas id agerent, aut si ob illorum negligentiam, sive imperitiam ægrotus interiret. Sed quia tunc ipsi fierent irregulares ex delicto, & ex delicto nulla irregularitas contrahitur, nisi illud mortale, & grave fuerit, ideo tunc tantum Medici ac Chirurgi irregulares fiunt, quando ex eorum gravi, & mortali incuria mors ægri sequitur, verum in re tanti momenti, ubi de vita hominis agitur, minus ad culpam læthalem requiritur, quam in alia quacunque materia. Pariter imperiti Medici ac Chirurgi, qui propter suam imperitiam causa sunt mortis, aut non necefsariæ mutilationis alicujus membri, irregularitatem ex delicto contrahunt, quia imperitia in iis, qui ut periti operam suam promittunt, culpa est. In dubio, utrum Medici ac Chirurgi adhibuerint necefsariam diligentiam ac curam? se gerere debent ut irregulares. Neque fiunt irregulares, qui adjuvant Medicos, Chirurgos, cum resecant membra corporis. Clerici etiam Monachi exercentes artem medicam, & Chirurgicam, fiunt irregulares ex defectu lenitatis si resecent aliquod corporis humani membrum, quia ejusmodi artes cum incisione, & adustione exercere, est illis prohibitum. Si tamen Clericus in arte Medica, aut Chirurgica peritus, consulat tantum, aut imperet, opemque ferat Chirurgo ut membrum abscindat, irregularitatis expers erit, quia etsi Clericis sacris vetitum sit, ne per se adurant, incidant, non tamen prohibitum illis est, ne id fieri consulant, aut imperent, si sat periti sint, ut id prudenter suadere pofsint; unde si non ex vi morbi, sed ex consilii, iufsionisque imprudentia mors ægri sequatur, ille Clericus irregularis erit. Pariter si Clericus deficientibus Chirurgis, necefsitate præmente membrum ægroto amputaverit, non erit irregularis, quia necefsitas excusat. In dubio an mors secuta sit ex abscifsione, incisione, an ex vi morbi, vel ex culpa ægroti, qui regulam sibi præscriptam sequi noluit? tutius est, ut Clericus ea mandans, consulens pro irregulari se gerat. Non sunt autem

autem irregulares, qui infirmum vertendo, erigendo, in alium locum transferendo mortem ejus præter suam intentionem accelerant, si id prævidere non poterant, in hoc enim nullus est defectus lenitatis, ſed est actus charitatis. Qui tamen contra Medici præscriptum aliquid tradit, aut tradi consulit infirmo, aut qui cum debet non obstat, ne id tradatur, etiamsi id faciat ne æger diutius careat optato cibo, irregularitatem incurrit, si infirmus inde pereat, aut mors ejus acceleretur.

Porro ab ista irregularitate, quæ ex defectu lenitatis provenit solus Romanus Pontifex dispensare potest. Quia Concilium Tridentinum solummodo conceſsit Episcopis potestatem dispensandi in irregularitatibus ex delicto provenientibus. Irregularitas autem ex solius lenitatis defectu procedens non est ex delicto. Ab illa ergô Episcopus dispensare nequit.

ARTICULUS 3tius

De irregularitatibus ex homicidio, & aliis delictis provenientibus,

Quæres 1mo: *Utrum ex homicidio oriatur irregularitas?*

Resp: Ex homicidio oriri irregularitatem indubitatum est. Et id constat ex innumeris Juris Canonici statutis. Porro homicidium hic triplex consideratur, neceſsarium, voluntarium, & casuale. *Neceſsarium* illud est, ad quod quis quasi obligatur, seu ratione legitimæ defensionis, ut cum vitam suam aliter tueri non potest, seu ratione offiicii, ut cum Magistratus furem morti addicit. *Voluntarium* illud est, quod contra justi & æqui regulas intenditur directe vel in se, ut cum alicui Caput abscinditur, vel in causa ita cum effectu conjuncta, & ut tali cognita, ut non poſsit quis causam velle, quin effectum ab ea inseparabilem voluiſse censeatur, ut cum quis venenum maxime mortiferum alteri propinat. *Casuale* denique illud est, quod agens nec in se, nec in causa, quæ cum effectu neceſsario conjuncta est, voluit, quodque ideo præter intentionem agentis accidiſse dicitur. Hoc vero homicidium casuale duplex est, aliud pure casuale, quod etiam inculpatum vocatur, aliud mixtum & culpabile. Homicidium *pure casuale* est illud, quod præter intentionem

nem agentis sequitur ex actione, ex qua nec prævidetur, nec moraliter prævideri potest eſse secuturum. Tale est homicidium ab eo factum, qui cum pulsaret campana, cadens tintinabulum percuſsit quemdam puerum, qui ex eo vulnere mortuus est. Homicidium *casuale mixtum* est illud, quod quis nec intendit, ne prævidit, ſed prævidere potest, & debuit, atque ideo impedire tenebatur sive majorem adhibendo diligentiam, sive abstinendo ab opere periculoso, in quo satis peritus non erat. Unde patet in homicidio casuali mixto mortem alteri illatam partem casualem eſse, quia ab agente non intenditur, partim eſse voluntariam in causa, quatenus agens libere omittit diligentiam debitam, aut suscipit opus in quo satis peritus non est. Quare rursus homicidium non est voluntarium, prout voluntarium opponitur casuali mixto, quoties est contra intentionem agentis, etiamsi ex tali opere non raro, ſed sæpius, modo tamen non neceſsario & inseparabiliter mors sequatur. Quia in Jure illud homicidium pro simpliciter voluntario exhibetur, quod directe volitum est, sive in se, sive in causa, cujus volitio cum effectus nolitione non compatitur. In jure siquidem exhibetur homicidium cui annectitur irregularitas, quod quis commisit per industriam, per insidias, voluntate sua, ex proposito, non ex casu. Porro istud homicidium neceſsario importat intentionem directam, voluntatem, & propositum occidendi. Tale ergo nonnisi homicidium in materia hac tam pænali pro simpliciter voluntario habendum est.

A contrario homicidium erit simpliciter voluntarium, etiamsi raro admodum ex actione quæ posita est sequatur, modo ab agente intentum, & præcogitatum fuerit, quia casuale, & voluntarium in intentionem agentis præsertim refundi debent, sicut ergo qui nec in se, nec in causa inseparabili homicidium voluit, non censetur directe & simpliciter illud perpetraſse, ita voluntarie homicidium patraſse judicari debet, qui illud intendens, usus est causa, quæ hoc effectu frustrari poterat. Unde si quis Campanam pulset ex intentione ut cadens malleus aliquem obruat, quem etiam de facto obrui contingit, qui Campana pulsat, ex hoc facto, licet parum communi, homicidii voluntarii reus erit.

Quæres 2do: Ex quali homicidio oritur irregularitas?

Resp: Ex homicidio voluntari. Ita Concilium Trident. Seſs: 14. Cap: 7. ubi sic statuitur. *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit etiamsi crimen id nec ordine*

dine

dine Judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit nullo tempore ad sacros Ordines promoveri poſsit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam animarum non habeant conferri liceat. Porro voluntarii hujus homicidii illi omnes rei sunt qui actione sive physica sive morali proximi mortem directe intendunt, & procurant. Unde homicidæ voluntarii, ac per consequens irregulares sunt. *1mo:* Omnes, qui in duello, in bello aperte, & clare injusto, in rixis, sive aliis quibusvis circumstantiis, occasionibus, casibusque ex proposito alium injuste, & spontanee occidunt, sive protinus enecant, & absque mora, sive sensim & via longiori, ut si quis alteri præbeat venenum, quo paulatim extinguitur. Et id verum est quamvis ille qui talem posuit causam de suo facto sincere doleat, priusquam effectus sequatur, propterea enim non desinet ille eſse irregularis.

2do: Homicidæ simpliciter voluntarii, atque irregulares sunt, homicidium mandantes, consulentes, & alii ad illud cooperantes, Hi enim omnes sunt veræ homicidii causæ; verum circa mandantem hæc sunt notanda *1mo:* Eum directe himicidii reum eſse, quamvis homicidium non expreſse, ſed tacite & implicite solum mandaverit, unde si injuriatus dicat filio, vel servo suo *ne redeas, donec me vindicaveris* reus erit subsecuti homicidii. Si tamen mandatum revocaverit, jam nec homicidii causa erit, quod in mandatarii nequitiam refundi debet, neque irregularis reputabitur. *2do:* Si mandatarius ab initio mandatum acceptare noluerit illudque postea mutata voluntate exequatur, etiam contra ipsius mandantis voluntatem, qui à priori proposito receſsit, adhuc tamen idem mandans irregularitati subjectus erit, quia ad inducendam in hac materia irregularitatem, non requiritur mandatum quod obligationem faciendi alicui imponat, ſed sufficit mandatum, quo alter veluti petitione, exhortatione ad agendum impellitur, hæc porro omnia, licet ab initio repudiata, semper idonea fuerunt ad movendum, semper mandatarii animo exhibebant eam eſse mandantis voluntatem, ut hostis ejus occidatur, donec ipsemet sufficienter declaraverit se voluntatem hanc abjeciſse. *3tio:* Si contingat mandatarium ab eo, cui mortem intentat occidi, mandans, quod & de consulente sentiendum est irregularis efficitur, non quidem ex homicidio voluntario, quia mandatarii mortem non intenderat, ſed ex homicidio carnali, quia causa fuit cur alter propriæ mortis periculo se

se exposuerit, vix enim fieri potest, ut quis sine sui periculo alteri mortem machinetur.

Jam vero circa consulentem hæc notanda sunt. *1mo*: Ille ab irregularitate immunis est, qui ad patrandum homicidium consilium quidem dedit, ſed ei, qui jam ad illud patrandum adeo paratus fuerat, ut nullam ex hoc consilio determinationem acceperit. Aliter dicendum si consulens occidendi voluntatem in alio auxerit, puta si suo consilio effecerit ut alter facilius, citius, aut animo firmiori homicidium committat, tunc enim consulens irregularis est, quia jam consilium in mortem alterius influit. *2do*: Ut cognoscatur an consilium in mortem alterius influxerit? interrogandus est ille, cui datum est consilium, qui si dicat se consilio motum minime fuiſse, nec voluntatem suam ullatenus ex eo, in proposito occidendi obfirmatam fuiſse, consulens ab irregularitate liber erit, modo tamen is, qui interrogatur, talis sit, ut fidem mereatur. Quodsi id ab eo resciri nequeat, semper præsumendum est datum consilium in mortem alterius influxiſse, ac proinde consulentem irregularem eſse. *3tio*: Qui consilium occidendi alteri dedit, ut irregularitatem effugiat, debet omni modo consilium à se datum revocare, maligni quod injecit consilii motiva, aliis motivis elidendo, precibus importunis utendo, ut illum cui consilium dederat, à sententia deterreat. Quodsi hæc nihil prosint, debet occidendum secundum charitatis & prudentiæ regulas præmonere ut sibi caveat, quo peracto, liber erit ab irregularitate, morte etiam subsecuta, quæ tunc in solius occisi negligentiam, et in occidentis malitiam refundetur. Si autem occidendum monere non poterat, morte subsecuta erit irregularis. Unde Clericus qui Mulieri abortus consilium dedit, a quo postea eam amovere non poterat, est irregularis.

Quæres 3tio: *Quid sentiendum est de iis, qui homicidio cooperantur?*

Resp: De iis qui homicidio iniusto cooperantur, una vox omnium Theologorum est, illos irregulares eſse. Et tales sunt. *1mo*: Omnes & singuli milites in bello iniusto existentes, etiam ii, qui neminem manibus trucidarunt, aut mutilarunt, tum etiam illi, qui ad istiusmodi iniquum bellum milites conducunt, neceſsaria subministrant. *2do*: qui iniuste damnatum ad mortem, inique accusarunt, judicarunt, contra eum false testificati sunt. *3tio*: qui homicidio, rixæ, pugnæ aſsistunt, parati opem

ag-

aggresſori ferre, hi enim præsentia sua ad pugnam acuunt, & sic stragi ſuo modo cooperantur. *4to:* si plures communi consilio se se ad cædem excitent, nemo illorum effugiet irregularitatem, si vel unus tantum occidatur. Si autem absque communi consilio in rixa subito exorta, unus exg. à Titio læthali vulnere percussus fuit, ab aliis nonnisi leviter cæsus, interiit, solus Titius de homicidio tenebitur, & est irregularis. In dubio quis læthate vulnus inflixit? omnes pro irregularibus habendi sunt. Qui tamen certus esset se leviter solum percuſsiſse, non eſset irregularis. Qui homicidio voluntario consentiunt, tunc solum irregulares sunt, quando illorum consensus tantus est, ut restitutionis obligationem inducat. Unde cum ratihabitio damni, quod exg. nomine Petri, ipso nesciente illatum est, eundem restitutioni obnoxium non faciat, si alias in damnum non influxerit, sic nec homicidii ratihabitio, nomine & intuitu ipsius commissi, reum illum efficiet, aut irregularitati obnoxium reddet; quod verum est, etiamsi homicidium approbando, remuneraverit, quia semper verum est eum in illud nullatenus influxiſse.

Quod attinet eos, qui homicidium non impediunt, cum impedire possunt & tenentur. hæc statuenda sunt. *1mo:* qui solum ex charitate homicidium impedire tenentur, & non impediunt, non fiunt irregulares, quia qui solum charitatem violat, iniusti homicidii stricte obnoxius esse nequit, nec proinde est irregularis. Aliud est, si qui-, homini periclitanti etiam ex sola charitate, subvenire paratus, per fraudem, vel dolum à quopiam ab eo charitatis opere abducatur; is enim qui â ferendo auxilio dolose abduxit, si inde quis pereat, irregularis efficitur. *3tio*: qui vero ex iustitia ad avertendam proximi cædem obligantur, si non obstent quantum poſsunt, irregularitati ſubiacent, quia iustitiam lædendo, ex qua homicidii obsistere tenentur, stricte patrati homicidii rei sunt, ac propterea irregulares sunt. Unde etiam ferarum custos, cuius negligentia factum est, ut à fera homo occidatur, & mortis ipsius reus est, & irregularitati fit subiectus.

Quæres 4to: Quinam ex homicidio casuali irregulares fiunt?

Resp: 1mo: Qui vacat rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam, ne quem occidat, non contrahit irregularitatem, aliasque homicidii pænas, etiamsi ex facto ejus mors alicuius subsequatur. Quia hoc homicidium nec ulla-

tenus voluntarium, nec culpabile est, non enim reus, aut culpabilis est, qui facit aliquid liciti, unde sequitur aliquod malum quod nec præcavere, nec prævidere, nec denique impedire potuit; & homicidium hanc irregularitatem non inducit, nisi voluntarium, & culpabile sit. Hinc irregularis non est, qui ex improvisa equi ferocitate raptus, obvium infantem opprimit, secus si cognovifset equi ferocitatem, eumque fræni impatientem efse, aut frænum nimis tenue efse ut equum coercere possit. Sed ut hic effugiatur irregularitas, necesse est, ut vacando rei licitæ debita adhibeatur diligentia, si enim interveniat culpa, & in vitando periculo negligentia, tunc incurritur irregularitas, quia homicidium, quod non est evitatum, cum vitari potuerat, & debuerat, merito reputatur voluntarium, & culpabile est. Hinc irregularis est Magister, qui immoderate discipulum percutit, atque in hac percufsione nimium excedit, fit irregularis, si inde mors discipuli sequatur. Ceterum ad contrahendam hanc casualis homicidii irregularitatem, requiritur culpa mortalis, ac proinde gravis in præcavendo periculo negligentia.

2do: Qui dat operam rei illicitæ, sed non periculosæ, seu rei, quæ quamvis prohibita sit, ex se tamen non tendit ad inferendam homini mortem, nonnisi ex culpa lata casualis homicidii irregularitatem incurrit, quare ab ea immunis est, si ad præcavendum homicidium eandem adhibeat diligentiam, quam adhibent communiter homines, qui similem actionem exercent, debitam scilicet atque sufficientem, actionique proportionatam. Unde qui cædit ligna, aut venatur in aliena sylva, quæ sunt actiones illicitæ, sed non pæriculosæ, si adhibita omni diligentia nihilominus cadens arbor hominem opprimat, aut feram putando hominem occidat, non erit irregularis, quia istiusmodi homicidium prorsus involuntarium, & inculpabile est.

Qui vero vacat rei illicitæ, & non parum periculosæ, secuto homicidio, irregularis efficitur, licet sufficientem ad illud præcavendum adhibuerit diligentiam. Quia tale homicidium est voluntarium in causa, parere ergo debet irregularitatem; neque enim ulla diligentia naturam rerum mutare valet, & efficere, ut id quod valde periculosum est, à periculo liberum sit, ac proinde quisquis vacat rei periculosæ, voluntarie se exponit periculo, reus itaque est eorum, quæ periculum consequuntur.

Quæ-

Quæres 5to: Utrum etiam ex mutilatione contrahatur irregularitas?

Resp: Quemadmodum ex homicidio, ita pariter ex mutilatione iniusta, & iniuriosa contrahitur irregularitas, quamvis istiusmodi mutilatio foret casualis, dummodo sit vere culpabilis. Homicidium namque, & mutilatio in Jure æquiparantur ex cap: ult: de homicid: in 6to, & ex Clement: eodem titulo. Igitur sicuti ex homicidio voluntario, & casuali, ita etiam ex mutilatione voluntaria, atque casuali vere culpabili, ac injuriosa, oritur irregularitas. Atque huic irregularitati subiacent quoque illi, qui inique cooperantur mutilationi.

Porro in irregularitate ex homicidio proveniente solus Romanus Pontifex potest dispensare, sed gravissima tantum & singularifsima id exigente causa. Episcopi in hac irregularitate, etiamsi occulta sit, dispensare nequeunt, quia id eis exprefse prohibitum est à Concilio Tridentino. Jam vero in irregularitate proveniente ex mutilatione Episcopi dispensare pofsunt, si occulta sit, quia licet mutilatio afsimilatur in jure homicidio, non est tamen homicidium. Et ideo cum Concilium Tridentinum subtrahat Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate ex homicidio voluntario proveniente, non infertur eos non pofse dispensare in irregularitate ex mutilatione profluente.

Possunt etiam Episcopi dispensare in irregularitate contracta ex homicidio casuali occulto, quia homicidium casuale mixtum non est stricte, & proprie voluntarium. Concilium autem Tridentinum tantummodo homicidium voluntarium excepit, ne Episcopi in irregularitate ex eo proveniente, dispensarent. Quare si quis mulierem prægnantem percutiendo abortum procuraverit, quam gravidam esse ignorabat, aut leviter percutere intendens errante manu duriorem inflixit plagam, cum eo Episcopus dispensare potest, is enim simpliciter homicidii voluntarii reus censeri nequit.

Quæres 6to: Quis & quando ex iteratione Baptismi irregularitatem contrahit?

Resp: Qui scienter rebaptisat, & rebaptisatur, ambo irregulares sunt, prout habetur in jure. Haud tamen irregularis est, qui in infantia semel & iterum baptisatus fuit, idemque dicendum est de eo, qui illum rebaptisat, quem baptisatum fuisse nescit, aut de cuius priori Baptismo legitimum est dubium. Est enim hæc irregularitas ex deli-

delicto. Porro nullum est delictum, in casibus modo recensitis rebaptisare. Qui ergo scienter, aut ex mera suspicione, absque maturo examine temere vel rebaptisat, vel se rebaptisari curat, irregulares sunt, atque huic irregularitati subiacent etiam rebaptisanti ministrantes. Plures autem Theologi ad hanc incurrendam irregularitatem requirunt rebaptisationem solemnem, & dicunt non sufficere privatam, aut occultam. Hæc vero irregularitas impedit quidem ascensum ad alios Ordines, non prohibet vero in susceptis ministrare. Irregulares quoque sunt, qui extra casum necessitatis ab Hæretico declarato Babtismum suscipiunt. Jam vero præter Baptismi iterationem nullius alterius Sacramenti iteratio irregularitatem inducit, quia nullibi in Jure constituta est. Unde qui bis confirmatur, graviter quidem peccat, ſed non fit irregularis.

In irregularitate ex iteratione Baptismi proveniente, si est occulta, Episcopi dispensare possunt, quia est ex delicto.

Quæres 7mo: Qui sunt irregulares ex susceptione, aut malo usu Ordinum?

Resp: *1mo* Qui Ordines suscipiunt furtive, id est, qui examen fraudulenter effugerunt, sed per dolum, aut ignorante Episcopo immiscent se ordinandis, irregulares sunt. Ab hac irregularitate potest Episcopus dispensare si ipse hanc furtivam Ordinum receptionem, sub excommunicationis pæna non prohibuerit, sed quia modo passim juxta Pontificale Romanum Archidiaconus ante Ordinationem monet sub excommunicationis pæna, ne quis non descriptus, non examinatus, non approbatus, non nominatus ullo pacto ad Ordines audeat accedere, ideo hæc irregularitas, si publica sit, semper est Papæ reservata, nec ab Episcopo relaxari potest.

2do: Qui scienter ordinatur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, deposito, peccat mortaliter, & est suspensus ab Ordinis sic suscepti executione, & aliquo modo irregularis efficitur, quia ad ſuperiores Ordines promoveri nequit, nisi neceſsitas, vel utilitas aliud ſuaserint, quemadmodum statuitur Can: 4. quæst: 2. Hæc autem de Ordinato ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto dicta intelligi debent, de eo Episcopo, qui ut talis nominatim denuntiatus est.

Præterea Joannes 22. Papa titulo 6. de voto constituit. *Qui durante Matrimonio nondum etiam consummato,*

ali-

aliquem de Sacris Ordinibus præsumit accipere, nec in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines, etiam soluto Matrimonio potest promoveri.

3tio: Ligatus majori excommunicatione, ſuspensione, vel interdicto, etiamsi toleratus sit, & occultus, irregularis efficitur exercendo ſolemniter, ſeu ex officio actum majoris Ordinis, nisi legitima causa excuset. Ita habetur in variis Juris Canonici statutis. Ab hac autem irregularitate excusat ignorantia invincibilis, inadvertentia, oblivio inculpabilis, aut neceſsitas vitandi scandali. Nisi ergo ista excusent, irregularis erit qui excommunicatione, aut ſuspensione, sive interdicto ligatus Epistolam, aut Evangelium cum Stola, aut Manipulo canunt, qui Matrimonium ſolemniter benedicunt, aut cum ſolemnitate baptisant. Hæc enim propria ſunt Sacri Ordinis munia. Aliud eſset, si privatim, & sine ſolemnitate in casu neceſsitatis baptisaret, id enim aliquando etiam Laici præstant. Porro qui duplici ligatus censura, Ordines Sacros exercet, duplicem quoque incurrit irregularitatem, aliud eſset si una tantum ligatus censura pluries Miſsam celebraſset.

4to: Denique qui ſerio, ſcienter, & quasi ex officio, Sacrum, quem non receperunt Ordinem, exercent, irregulares fiunt. Ad hanc autem incurrendam irregularitatem, neceſse est. *1mo:* ut ſerio, & ſcienter Sacer exerceatur Ordo, si enim id fiat repræsentative solum ad cæremonias addiscendas, aut bona fide, si quis ex ignorantia, ſed non affectata, in Ordine Sacro, quem non habet, ministraverit, putans se eum habere, aut ministerium quod exercet eſse ſui Ordinis quem habet, irregularitatem non incurrit. *2do:* ut Sacri Ordinis ministerium ſolemniter, & quasi ex officio exerceatur. Quia qui Minorum Ordinum, quos non habet, officia exercet, aut Sacri Ordinis munus ita, qualiter aliquando etiam à Laicis peragitur, non est irregularis. Unde ille solum irregularis est, qui Sacri Ordinis talem exercet actum, & taliter, qualis, & qualiter peragi nequit nisi ab eo, qui hunc Ordinem habet. Unde qui non est Sacerdos, & Confeſsionem excipiat, sive absolutionem proferat, sive non, irregularis efficitur.

Porro ab irregularitate ex violatione Censuræ in Ordinis exercitio contracta, solus Papa dispensat, si crimen publicum sit, Episcopus vero si occultum fuerit. In ea vero irregularitate, quæ incurritur per exercitium Ordi-

Ordinis sacri, quem quis non habet, dispensat Episcopus quo ad usum Ordinis, quem quis jam habebat, post pænitentiam triennio, vel biennio peractam. Papa vero quoad ascensum ad Superiores Ordines, si crimen publicum fuerit, si autem occultum fuerit, Episcopus etiam ad Ordines Superiores dispensat.

Quæres 8vo: *Utrum ex delicto hæresis incurratur irregularitas?*

Resp: Jure communi irregulares sunt hæretici, apostatæ à fide, eorumque fautores, defensores, unde nequidem post acceptam ab hæresi, sive apostasia absolutionem ordinari possunt, neque etiam ad Ecclesiastica Beneficia admitti valent.

Circa hæc sequentia notanda sunt *1mo*: Ut incurratur irregularitas ex hæresi necessum non est, ut hæresis sit notoria, notorietate facti, sed satis est, ut non sit mere interior. *2do:* Qui exterius ex metu, aut propter aliorum favorem captandum hæresi assentiuntur, non autem interius, hanc irregularitatem non incurrunt, quia reipsa hæretici non sunt. Ii tamen qui exterius solum à fide apostatant, nihilominus irregulares sunt. *3tio:* Qui à professione Religiosa apostatant, ex Jure communi ad Clericatus officium admitti non debent. Unde sequitur ipsos esse irregulares. Aliud est de Clericis, qui ab habitu, & tonsura Clericali apostatant, ii enim nullibi in Jure declarantur irregulares.

In nostris Regionibus qui in hæresi nati sunt, & postea fidem Catholicam professi fuerunt, non habentur pro irregularibus, unde cum ab errore conversi, absolutionem receperunt, possunt absque dispensatione ordinari, Beneficia possidere.

ERRATA

Pag:	lin:	errata	corrige
4.	25.	motus	metus
5.	6.	motum	metum
6.	35.	ant	aut
7.	7.	metn	metu
Ead:	17.	initantur	irritantur
8.	37.	prodecentes	procedentes
10.	22.	bibera	libera.
13.	8.	& ultimo	& ut ultimo
16.	1.	alie alij	alij aliis
Ead:	39.	principué	præcipue
22.	31	excolentes	excolantes
23.	22.	cap: 2.	cap: 12.
28.	22.	probabili	probabilis
Ead:	39.	Tnrcæ	Turcæ
50.	30.	uis	suis
55.	9.	pest	peste
64.	13.	impunit	imponit
72.	24.	petitur	patitur
73.	8.	illum	illam
76.	4.	pusillimitate	pusillaminitate
Ead:	13.	eque	cæque
Ead:	37.	muitæ	multæ
91.	35 & 36	diversit	dirersis
101.	20	allicitus	allicitur
141.	5.	præcimus	præcipimus
160.	19.	se	seu
175.	18	notarietas	notorietas
185.	40	inhabliis	inhabilis
205.	6	impræcande	impræcando
208.	23.	dictum	strictum
216.	21.	propteга	propterea
ibid:	32.	casu	causa
ibid:	34.	eodem	eadem
217.	12.	mantis	mentis
ibid:	16.	patest	potest
220.	35	notiam	notitiam
241.	1	eorum	earum
257.	22.	impedienti	impediendi
271.	7.	cagantur	cogantur
274.	19.	fidie	fidei

Pag:

Pag:	lin:	errata	corrige
298.	10.	Hon	Non
300.	41.	statuerut	statuerunt
314.	33.	volunarie	voluntarie
321.	31.	securrilitas	scurilitas
324.	28.	quævis	quavis
527.	5.	mortaliter	moraliter
328.	11.	paritionem	partitionem
ibid:	19.	fictias	fictitias
332.	40.	mendaciam	mendacium
333.	28.	ut	aut
347.	34.	opionem	opinionem
365.	40.	publicaria	publica via
380.	4.	itenerari	itinerari
397.	6.	illium	illum
ibid:	42.	annus	annos
401.	25.	reletationem	relaxationem
413.	43.	excidit	excedit
416.	41.	vera	vero
ibid:	44.	sui	cui
419.	17.	habete	hebete
464.	35.	commodataria	commodatarij
465.	1.	diat	impediat
488.	20.	opum	apum
481.	19.	consentur	censentur
513	6.	emalumenti	emolumenti
518.	2.	ipse	ipso
521.	5.	moneranda	moderanda
528.	38.	censentire	consentire
544.	2.	Præfeci	Præfecti
550.	8.	mutilitus	mutilatus
554.	26.	emiti	eniti
559.	17.	vulto	vult
564.	35.	supecti	suspecti

